De morbis cõmunib⁹ Diomed. Amici.

DE MORB. COM. DIOM. AMI.

277
F. XVII
16/a

53350

DE MORBIS COMMVNIBVS Liber,

DIOMEDIS AMICI PHYSICI PLACENTINI,

Eiuſdem

TRACTATVS DE VARIOLIS,

&

Appendix ad Librum de Morbis Communibus, in quo agitur De cauſa præſentis tempeſtatis.

CVM PRIVILEGIO.



Venetijs, Apud Franciſcum de Franciſcis. 1596.

D. Luigi Zangrandi

ILLVSTRISSIMO
ac Reuerendiſsimo
Cardinali Ampliſs.

ALEXANDRO MONTALTO BONONIÆ LEGATO, ET S.R.E. VICECANC. MERITISS.

Domino meo Colendiſs.

IVRE legibus ſancitum eſt, Ampliſſime Cardinalis, vt quicquid ſeruus acqu r t Domino acquirat, ſiue id bona fortunæ ſpectet, ſiue animi, ſiue corporis. Me autem deuinctiſſimum Illuſtriſſ. Dom. tuæ ſeruum eſſe, notius eſt, quam vt demonſtrari poſſit, aut debeat: ad hoc enim me fata inclinarunt, conſenſit voluntas, tua in me merita me ad hoc aſtrinxere. Ergo ſi quid vel ingenio, vel arte mihi paraui, id omne tuum eſt. parum ne an multum, parui ne an multi res ſit, non refert. hoc vnum veriſſimum eſt, quicquid in me eſt,

vel à me proficiſcitur,id omne me tibi debere. Propterea,quæ nũc amicorum cohortatione, in lucem edere decreueram,qualiacũnque eſſent Illuſtriſſimæ Do.tuæ dedicanda erant:res enim ſua in hoc agebatur. Eo autem libentius id mihi agendum erat, quoniam ſub vmbra feliciſſimæ illius virgæ floreſcentis Aaron, ipſe quieſcens, noxios viperarum malignantium morſus, deuitare poteram, quum antipathia quadã, adeo illis ſit inimica, vt à ſe talia venenatorum animalium genera procul repellat, ac propterea nullum genus eorum illam attingere valeat, in ignem potius, quam in vmbram talem ſe daturum. Nec mirum cum præ miraculo, germinauerit, floruerit, & tales fructus protulerit virga iſta floreſcens Aaron, tui inquã ipſius Ampliſſime Cardinalis, ob quos te tali ſacerdotio dignũ demonſtras. Hæ ſunt animi tui dotes, hæc fructifera illa, & egregia opera, ob quæ te elegit Altiſſimus, qui in Sancto ſuo miniſtres. Suaues enim, ac proficuos fructus, ſemper, ingratos autem, aut noxios nunquam producis.

Hos ergo meos labores læto animo, hilari, ac benigna fronte accipias humiliter deprecor,quo ſi aduerſi quippiam (vt ſunt humana) contingat, ex his aliquam opem petens,

id

id quod noxiũ eſt propulſare valeas, ſin quòd votis omnibus eſt expetendum, ſemper valueris, vnus hic Commentarius firmiſſimum ſit monumentum ſinceræ, ac bonæ in te voluntatis meæ, qua in re nulli vnquã ero ſecundus, quòd ſi vt ſpero, & quæ tua eſt benignitas feceris, reliqua ſub tãto præſidio tutus, facilius exequar; Interim vale ampliſſime Cardinalis, & diu, ac feliciſſime uiue, nec (ſi tãta petere fas eſt) mei immemor. Mediolani die 4. Septemb. 1596.

Illuſtriſſime, ac Reuerendiſſ. D. S.

Humiliſſimus, ac deuotiſſimus ſeruus

Diomedes Amicus.

ILLVSTRI, AC EGREGIO
TOTIVS MEDIOLANENSIS STATVS PROTOPHYSICO REGIO,
ZACCHARIÆ CAYMO,

Diomedes Amicus Phyſicus Collegiatus Placentinus. S. P. D.

VNIVERSIS hominibus, inſitam eſſe à natura diſcendi cupiditatem, & memoriæ traditum reliquit Ariſtoteles, et omnes quotidie maximo cum ſalutis periculo experimur. Nam hoc deſideriũ nos ſæpius eo perducit, ut nedum cæterorum res, ſed noſtros etiã obliuiſcamur, à quo enim diſciplinæ amor non auocat? à patria, à parentibus, à ſemetipſis uſque ad mortem inquit inſignis ille Aretæus, quod tu optime omnium expertus es uir Excellentiſſ. qui dum doctos ſermones, & res graues meditaris, dum culmen præclariſſimarum ſcientiarum aſcendis, dum aſſidua philoſophandi conſuetudine Circumfuſas audito-

rum intellectui tenebras diſcutis, dum in ſomnis vigilas, & ſtudendo totas noctes pertranſis, dum non ſolum huic ſtatui, ſed magnis principibus, & ipſi etiam imperatrici medendo ſeruis, Mulieri omnium quas mundus vnquam nouit præclariſſimæ, ſi eius patrem Carolum V. Imperatorem inuictiſſimum ſpectes ſi Maximilianum Imperatorem Maritum, ſi Rodulfum filium eius, Imperatorem, ſi (vt alios filios Archiduces, & Cardinales omittam) Magnum Philippum Catholicum, Regem Hiſpaniarum, quem fratrem habere meruit dum in ſumma nullis laboribus parcis, vt alios ſanes, & erudias, & vt ipſe doctior euadas, dum vel medicinæ operam nauando, vel alias artes præclariſſimas exercendo, omnium in te oculos conuertis, qui te colunt, ac ſummopere admirantur, dum te Protophyſicum Regium totius Mediolanenſis Status erectũ uident, dum inquam omnibus prodeſſe ſtudes, & propterea in continuis te laboribus detines, tui ipſius iam immemor factus, & in iuuenta ſeneſcis, & deſtillationis incurris, & ventriculi languores, morbos articulares, & alios huiuſmodi, quos non venus, & Bacchus, vt multis, ſed labor ille improbus peperit diſciplina namque vt animo præcipuè neceſſaria ſic corpori eſt inimica, inquit Celſus.

Hoc naturali, & ipſe deſiderio captus ab adoleſcentulo me totum diſciplinis dedi, arti præſertim medicæ, il

lud

lud potiſſimum ſtudens Methodum illam diuiniſſimi Hipp. & fidiſſimi eius interpretis Galeni, illorumq; documenta aſſequi, quo factum eſt, vt nonnulla ipſe obſeruarim, quæ ad te mitto uirum omnium qui ſunt. futuri-ve ſunt eruditiſſimum, & de re medica ſi quē alium bene meritum; virum qui omni officio, ac pietate cæteris omnibus ſatisfacis, tibi ipſi nunquam quo tuum de his iudicium feras, necis ne, an mortis rea ſint pro tua ergo in omnes humanitate, ac qua me proſequeris beneuolentia, te oro atque obſecro, quum te arbitrum horum meorum laborum fecerim, vt tuam liberè ſententiam proferas, quod onus, quum ſit tibi etiam in multis occupationibus detento leuiſſimum (ſpero) non recuſabis. interim bene vale, & me, vt ſoles ama. Mediolani die 4. Septemb. 1596.

DIOMEDIS AMICI
PHYSICI PLACENTINI
DE MORBIS COMMVNIBVS.
Procemium.

MEDICINAE artem non parum exornaſſe ueteres iure fatentur, & oculis cernunt, quicunque ei operã nauare ſtudent ex recentioribus: autem multi, non leuem ſibi famam compararant, qui & antiquorum dicta dilucidare, atque explanare, & clariora reddere tentarunt, & eorum inuentis multa proprio Marte addere, quos iure gloriam mereri fatemur, neq; proprijs laudibus, eſſe defraudandos. at ſi qui ſunt qui, & artem tam præclaram, obſcuris ſuis Cantilenis dedecorant, & ꝙ recte a priſcis authoribus dictum eſt, detrahere conantur, & alij, qui ſe alienis veſtiunt plumis, & aliorum opibus dicantur, hos profecto arguere licet, neque ullo modo permittendum; vt proprio honore alios priuent, & ſibi immeritam laudem adipiſcantur ſunt enim (o hominum audacia ne dicam impudentia) qui in principio ſui operis authores multos nominent, quorum authoritate dicta ſua affirmare profitentur, & morborum tradere curam, in quorum numero Hippocratem deſcribunt, Galenum, Paulum Aeginetam, Actiũ, Trallianum, Aretæum, & alios huiuſcemodi. Legant tamen, & diligenter ſtudioſi eorum opera examinent remedia, ad curandos morbos ab eis deſcripta ſpectent, nulla dictorum authorum, aut pauca ſaltem inuenient, ſed ea ad uerbum ab alijs deſcripta videbunt, quorum nulla ab ipſis facta eſt mentio; imo fingunt, ſe proprio ingenio multa inueniſſe remedia, quę mutatis tantum verbis, & expolitis ſententijs, à Nicolo Florentino, alijsue ſimilibus authoribus, mutuauerunt, & ſibi falſo aſcripſerunt: nonnulli dum quę recte ab alijs demonſtrata ſunt referre ſtudent, inuentores ſe talium faciunt, vt ſic iuniores decipiãt,

b qui

qui minus accurate authorum libros deuoluere, apud quos reſtant in admiratione, dum eos docere prædicant quæ hucuſque nemo cognouerit, quod minoribus facile eſt perſuadere, quibus noua omnia probantur: interim tamen qui oculatiores ſunt, eorum furta detegunt. Nec defuere, qui vt ſapientiores viderentur, Galenum tamquã ſibi ipſi contradicentẽ, & ſui immemorem criminentur, inconſtantiãque redarguant, quandoque, etiam tanquã Medicinæ ignarum notent, & ſeipſos veram nouiſſe medendi artem prædicant, quum tamen interim falſam doctrinam diſſeminent, vnde qui eos audiunt, pro tritico zizania colligere videmus, & cum cœci ſint a cœcis ductos cum illis in foueam cadere, ad uniuerſi generis humani pernitiem. Pro uirili igitur periclitanti ſubueniendũ arti, manu ducẽdique ſunt iuuenes, ad Hippocratis, & Galeni doctrinam, nec tamen permittendi ſunt, vt ſoli per eorum volumina circunuoluantur, nam antequam introducerentur, falſa iam doctrina imbuti, non modo nihil vtile diſcerẽt de morbis ipſis, verum potius (vt Galeni verbis vtar) multa obaudirẽt, prius aũt Hippocratis, & Galeni doctrinam tenentes, & fruentes ea abunde, poterunt poſtea nonnullorum nugas cognoſcere, & eas reprehendere. prædicta nos quidem facere tentabimus, neglecto orationis ornatu: qui.n. fieri aliter poteſt in tanta diuerſitate authorum? eoque magis quoniam ornari res ipſa negat contenta doceri, & morbi non eloquentia, ſed remedijs curantur inquit Celſus, dicẽdique genus, quod ſimplex ratio poſtulet teſte Actuario ſatis perſuadere eis poterit, qui utilitatem ſpectarint, quam oratio ꝑbet, vt ea neglexerint, quæ delectationem tantum afferunt, dum leguntur qualia hoc ſeculo permulta ſunt, non tamen ea quis à me exigat aut expectet, vt quæcunque ab antiquis recte prodita ſunt literis veritatem continere demonſtrem, eaque redarguam, quæ ab alijs peruerſe dicta ſunt, neque ut quæ Captioſe a nonnullis interdum fuere reprehenſa ſingulis reſpondendo, priſcorum authoritatẽ defendere tentem: ſic enim res in immenſum procederet, verũ tamen quoniam in conſuetudinem iam venit, vt qui eo fungitur munere, quo nunc fungi intendimus nonnulli, etiam horum proſequatur ipſo Gal. teſte, aliqua quandoque eorũ breuiter recenſebo, quę ab vtraque parte dicta fuerint, quo facilius quoque noſtra oratio interponi poſ-

poſsit, & paucula quandoq; adiiciam, ad ea confirmanda quæ recte dicta ſunt, & ad alia refutanda, quo magis veritas elucescat, & vt vnicuique, quod ſuum eſt tribuatur, ac proinde ne eorum authoritas, qui de re medica ſunt benemeriti in defenſa maneat: ſicut.n. vt verbis celſi vtar recentiores uiros in his quæ repererunt, aut recte ſequuti ſunt fraudare non oportet, ita quæ apud antiquiores viros poſita ſunt, authoribus ſuis reddere eſt neceſſe; quorum ſententijs (& ſi a nonnullis pauca illis referãtur accepta) ſubſcribere inquit Dioſcorides, oportet iuuenibus minus aſſentiendum, nunquam tamẽ obſtinate pro authoris decreto contendã, aut pugnabo, neque hũc vel illũ nominatim redarguam, ſed veritatem ipſam pro virib. perſcrutabor ſic (ni fallor) Aſclepiadum medicina reuiuiſcet, quæ ferè ſepulta videtur, cui incumbant quæſo, qui artem tam præclaram diſcere cupiunt, alioqui nunquam mihi credant, metam conſequi poterunt. Cum autem vel teſte Platone, vt etiã refert Galenus nullus ſcribendi mordacitatem fugere poſſit: alij enim prolixitatem accuſant, breuitatem alij, mediam propterea ſermonis formam eligere mihi optimũ uiſum fuit, ea tantum demonſtrãs, quæ oportet de neceſſitate illum cognoſcere, qui recte ſit morbos curaturus.

Interim vniuerſum medicorũ cætum rogatum volumus, vt ſi Dei nos compotes uoti fecerint, minime laborem noſtrum criminentur, ſin minus, generoſi medici, verique amatores, & qui labores in optimis rebus non refugiunt, neque theorematũ difficultatem, neque temporis prolixitatem, neque exercitij laborem verentur, ad commemoratorum perfectionem veniant, & quod nos tentauimus aſſequi procurent, in hocque ſe exerceãt, vt & ueteribus famam reſtituant, & eos a falſis accuſationibus tueantur, & & ad hoc contendant, vnuerſo humano generi prodeſſe, neque deteriora illa ueritati anteponant, & ſcientiæ. diuitias nimirum honorem, ciuilem potentiam, alioqui melius erit ne hanc quidem contemplationem attingere, nam ſic vel teſte Gal. puram aquam in puteum cœno plenum infunderent, vnde & aquã deſtruerẽt neque tamen puteum quicquã iuuarent verũ hos omittamus, quibus miſereatur omnipotens, & nobis pro ſua miſericordia præſto ſit, mẽteſq; noſtras illuminet ipſe, qui eſt lux uera, cuius diuino freti auxilio rem aggrediamur.

DE DIOMEDE
AMICO PRAESTANTISS. PHYSICO
Lazari Mar. ab Ouo à Caſtro Arquato.

Ad Lectorem

EPIGRAMMA.

IAM decus eximium clari Diomedis ad aſtra
Euolat, & parta eſt fama perennis ei.
Artis cui Medicę Phœbus, ſophiæque Minerua
Arcana vnanimes iam tribuere diu.
Miraris? cauſam vis lector candide? toti
Humano generi natus AMICVS *erat;*
Accipere eſt homini uitam, nam gratia prima:
Accepta fungi, proxima, poſſe diu.
Dant homini vitam ſuperi: conſeruet AMICE
Author Apollinea, dantque, vt AMICVS ope.
Ne mirere igitur, Lector; nam certior orbe
Nullus amicus erat. nullus amicus erit.

SONETTO DI LAZARO MARIA DALL'OVO
da Caſtell'Arquato,

AL SIGNOR DIOMEDE AMICO,
Fiſico eccellentiſſimo.

SE'L Ciel benigno, e ſtella alma, e gradita
Gratie sì eccelſe, e pellegrini honori
Signor vi diè, ch'à Principi, e Signori
Rendete l'alma ogn'hor quaſi ſmarrita;
Ragion'è ben, ch'à viua voce ardita
Mente di fregi, e d'honorati allori
Ogn'un vi ſtimi, riueriſca, e honori:
Quale ogni ſpirto hormai gentil v'addita.
Come altrui dunque prolungate l'hore;
Così ne ſerbi il Ciel lieto, e felice
AMICO sì fedel mille, e mill'anni.
Perche la fama del ſouran valore
Voſtro (che pur'il uer dir ſempre lice)
Sormonta hormai fin'à i ſuperni ſcanni.

TABVLA EORVM QVÆ IN OPERE CONTI-
nentur magis memorabil.

A

AEREM peſtilentẽ morborum cauſam eſse quomodo fol. 35
Aer in peſte quomodo mutetur, & purgetur. 74 & 76
Aer an putreſcat. 37
Aer publicus quomodo purgandus. 81
Aer montuoſus an mutandus in peſte a cauſa ſuperiori. 80
Aer peſtil. ſecundum Anni tempora quomodo alterandus. 76. & ſequentibus.
Anginæ peſtilentis curatio. 135
Aeſtatis natura & conſtitutio 7
Aegroti quomodo tempore peſtis ſint uiſitandi a medico. 112
Anni tempore uide Tẽpora anni
Analogia quam habent ſeminaria peſtis cum corporibus humanis.pag. 4. & 7
Aquarũ cognitionem neceſſariã eſſe ad cognit.morb.cõium. 15
Antidota in peſte conuenientia; & an quæ uenenis aduerſentur, proſint morbis peſtilentibus, & utrũ in præſeruatione et curatione antidota calida cõueniant. 98. *per proceſſum,* & 129 & 130

B

BVbones peſtil. etiam a ueterib. cognitos 65
Bubonum peſtil.curatio. 129

C

CAlor febrium peſtil. 54
Carbunculi peſtilentes. 65. & *eorum curatio.* 131
Communes calamitates a Deo, ut plurimum uenire. 29
Corpora quomodo aduerſus peſtẽ præparanda. 83 & 84

D

DIuinum in morbis conſiderãdum. 29
Diuinam iram in peſte primo eſſe placandam. 73
Dies quomodo propriam naturã ſeruare dicatur. 9
Dorſi dolor in feb.peſtilent. 140
Diaria peſtil. Vide Feb. peſtil. ſpirituoſa.

E

EXercitium tempore peſtis quale eſſe debeat. 84
Exanthemata papulæve peſtilentes. 79

Fe-

Peſte qui ſemel capti ſunt immu nes poſtea ab ea euadere 29
Peſte perempti quomodo cognoſcendi 71
à Peſte quæ preſeruet. 72
in Peſte regimen in ſex rebus non natur. 40. per proceßum cum medic. 91
Peſtil. feb. differentiæ tres. 52
Peſtil. feb. humoralis ſi ab aere ſit, vt plurimum ex putredine maſſę ſanguineæ fit, ſi uero à cibis mali ſucci ut plurimum eſt phlegmatica, & diuerſi ge neris 45
Peſtil. febrem ſpirituoſam, & becticam dari 46
Peſte feb. putrida quomodo ab alijs putridis differat 48. quomodo a maligna putrida 49
Peſtil. feb. pulſus declaratio ex mente Gal. 56. ubi habes quo modo moderatis ſimiles quan doque fiant.
Peſtil. feb. ſigna pathognomica 52. & alia ſigna 53. eorum calor anhelitus pulſus, &c.
Peſtil. ſpirituoſæ, ſeu diariæ, & bectica ſigna. 66
Peſtil. feb. preſag. 68
Peſt. feb. curatiuę indicatiões. 113
Regimen in ſex reb. nõ natur. 115
curatio per medic. 118
An uenę ſectio illi conueniat 120
An purgõni ſit præferenda 122
Peſtil. feb. urinæ quales 57
Piſces an peſte afficiantur 28
Putredinis cauſam præter probibitam tranſpirationem. 51

R

Regionis cognitionem eſſe neceſſariam ad morbos cõmunes. 15
Reſpiratio fœtens in peſte. 55

S

Sanguinis ſputum in feb. peſtil. curandi ratio, & alias euacuationes ſymptomaticas. pag. 139
Scoptulæ quid, 111. eorum cauſę. 142. 144 ſigna. 152. pronoſt. 159. præſeruatio 154. curatio. 155
Sitis curatio in peſtil. feb. 138
Somni profundi curatio in peſtil. feb. 140
Spiritus corrumpi, & putrefieri poſſe 44
Spirituoſa feb. peſtil. vide Peſtil. feb. ſpirituoſa.
Sudoris Anglici peſtil. ſigna. 63. curatio. 137
Sydera quomodo in iſta inferiora mutationes faciant 31
Syncopis peſt. feb. curatio. 138
Symptom. quot differ.

T

Tempora anni, eorumq; natura, quam ſi nõ ſeruant morbos pariunt 10
Tempora morbi quomodo noſcenda, & quomodo medici ea diuidant. 13
Terræ motus peſtem inferre 22

F

FEbres peſtil. Vide, Peſtil. feb.
Febris maligna cum peticulis 49
Fluxus colliquatiuus in peſtilenti feb. 135

H

HIppocrates defenditur. 4. & 21. 22
Hominum naturam, & communem & propriam ad morbos communes eſſe neceſſe cognoſcere 16
Hyemis natura 8

I

IGnes in aere apparentes quot ſint 4
Inquietudo in febribus peſt. quomodo curanda 136

M

MAlignitas in febrib. unde oriatur 48
Medicus quomodo debeat ęgrot. peſtil. uiſitare 112
Menſis lunaris propriam naturam ſeruans 9
Morbilli. 151. eorum cauſæ. 144 ſigna. 152. prognoſtica. 153. præſeruatio. 154. curǒ. 155. 160
Morbus quid, & illius differen. 1
Morbi communes & priuati eorũ cauſæ & ſigna 6
Morbi inter dictos medij, & qui patrij, & qui epidemial. & qui epidem. pernitioſi. 2. & infra.
Morbos à malis cibis ortos poſſe eẽ uere peſt. nõ ſolũ malignos. 5
Morborũ cõium pręcognitio. 18 præſeruatio. 20. eorum curǒ. 21

N

NAuſeæ peſtil. curatio. 39

P

PApularum nomen quid. 141 earum cauſa, ſigna prognoſtic. curatio. 142
Peſtem eſſe morbum epidemialem pernitioſum. eius cauſam eſſe cõinquinamenta hum. generi infenſa. 25
Peſtis cauſam eſſe uaporem aereũ & quõ peſtis ſem. uenenum dici poſſint. 25
Peſtis cauſam non eſſe ſolum in aere. 6. & ſeq.
in Peſte maiori ęgrotantium partem mori quomodo 3
Peſtem uerò cum contagio ſemper eſſe. 26
Peſtẽ unicuiq; animantium generi propriam dari, & aliam omnibus communem. 27
Peſtis ſeminaria quam cauſam habeant 29
Peſtem ad ultionem ſcelerum a Deo mitti. ibid.
Peſtis cauſa ſuperior. 30. inferior. 32. media 35. cauſa proxima à media, ſine qua, & diſponens. 38
Peſtem uapores terræ inferre quomodo 32
Peſtẽ portendentia. 38. & ſequ.
Peſtil. morbos eſſe cum febre & ſine feb. 24 & 43
Peſtis quõ nos inficiat. 43
Peſti quę corpora ſint apta. 50
Peſtem Autumno maxime ſæuire. 52

Peſte

INDEX.

V

Variolæ 41. *eorũ cauſæ*.144 *cur unicuique ſemel in uita cõtingant*.144. *ſigna*.149 152.*prognoſtica*.152. *præſeruatio* 154 *curatio*.155.*& an uenæ ſectio & purgatio conueniant. ibid.*

Variol.maturantia.158.*aperientia*.160.*exſiccantia.ibid.earũ cruſtas quę cadere faciant, et quę earum ueſtigia deleant & cauitatem impleant*.161. *præſeruatio ne oculos lædant, guttur pulmonẽ, pectus, et nares, et à ſyncopi, earum*.162. *earum regimen in uictu.* 164

Vapores uarij qui peſtem inferunt. 33

Vapores peſtil. in corporib. noſtris geniti *ibid.*

Ventos aerem peſtilentem reddere. 36

Ventorum differ.& natura. 11

Venti uniuerſales, & quis eorum ſalubrior. ibid.& ſeq.

Venti locales. 14

Vermium curatio in peſte 139

Veſtimenta qualia eſſe debeant tempore peſtis 83

Vigiliarum in feb. peſtil. curatio. 140

Virium imbecillium curatio in peſtil. feb. 137

Vrinam ſanorum ſimilem in feb. peſtil. eſſe quomodo. 57

INDEX FINIS.

DIOMEDIS AMICI
PHYSICI PLACENTINI

DE MORBIS COMMVNIBVS.
Cap. Primum.

IN PRIMIS illud admonitũ volumus, ſermonem noſtrum eos tantum admittere, qui nouerunt morbum eſſe affectum præter naturam qui corporis noſtri operationes lædit, ſiue modo ſit morbus partium ſimilarium, in intemperie, calida nimirum, frigida, humida, vel ſicca, ſimplici vel compoſita, quæ qualitates vel ſolæ infeſtent, uel etiam cum humorum præſentia, ſanguinis nimirum, vtriuſque bilis, & pituitæ, Siue ſit morbus partium inſtrumentalium, in figura nimirum ſitu, numero, & magnitudine, ſiue ſit cõmunis, & in ſtrumentalibus, & ſimilaribus partibus, in ſolutione nimirum unitatis & ſiue ſint morbi ex dictis compoſiti, ut ſunt apoſtemata, & membri corruptiones, ſiue quos in ſubſtantiæ corruptione morbos poſuit Fernelius, & modo ſequatur in iſta compoſitione morbus formadiuerſus, vel non forma diuerſus, ſed ſint morbi aliquo modo inuicem complicati, & ſiue ſint contagioſi uel non, ſiue etiam hęreditarij a parentibusve contracti, uel aliam ſimilem differentiam ſortiti ſint, & ſeu morbi iſti teneant totum corpus, uel vnam tantum partem, aut plures, idque uel proprio primigeniove affectu, aut ſecundario ſiue per conſenſum, & etiam quando uel cum cauſis moleſtent præſentibus, uel iam cauſæ abierint, ſint modo cauſæ externæ, uel internæ, & uel tantum cum manifeſtis

2. de abdi. rerũ cauſ. 9. & 10. & de dif. mor bor. 7.

A quali-

qualitatibus lædant,uel a tota ſubſtantia, ut cum toto ſui genere ſunt præternaturam, qualia uenena, uiruſque animalium,& peſtis ſeminaria, & ſi quæ ſunt alia huiuſmodi,quæ corruptionem formæ uel ēt ſpirituum faciant, ut Fernel.dicit, ſiue ſpecificam formam naturalis caloris corrumpāt, ut uoluit Auerroes, quandoquidem iſti morbi a talibus cauſis orti ſequuntur alterationes,ut lib.de conſt.art.med.habetur,& ſæpe ēt eodē Auerroe teſte qualitates primas, & humores, maxime quando inuicem commiſcentur & ad malam putredinem, uel ad malam complexionem deueniunt.

2.Col.1. *Col.19.* *2.Col.3.*

Sub dictis etiam morbis continentur quos materiales uocauit Auerr. & quos ad immoderantiam materiæ ſequi uoluit Fernelius loco ſupradicto, ut ſunt mollities durities, raritas, & denſitas, & alij huiuſmodi, qui tamen omnes ad remotionem primarum qualitatum,uel aliarum ſupradictarum cauſarum remouentur, quod in parte notauit Nicol. florent. ut uel ex hoc cōſtet & Galenum & alios etiam poſt ipſum medicos hæc omnia nouiſſe,neque neceſſe eſſe nouarū inuentionum ſe vllos auctores facere, ſuperfluumq; eſſe alias differentias morborum,& illorum cauſarum ponere, quum quas retulit Galenus uniuerſas alias comprehendere uideamus.

2.Col.1. *trac.2.ſummæ prima cap.14.*

Nouerint etiam quicunque ſermonem noſtrum audituri ſunt morbos dictos modo ſine ſymptomat. infeſtare, modo cū ſymptomat.ſint modo ſympt.affectus corporis,uel actiones læſæ,uel immoderatæ retentiones, aut excretiones præternaturā.

Quæ omnia optime omniū docuit Gal. prædictis in locis,ſed præcipue lib. de conſtitutione Art. med. & de morborum diff. & de morb.cauſ.& de diff.& de cauſ.ſymptom. & de loc.affect. & in method.med. & lib.de compoſ.med. per loc. & per Gen. in quibus libris optime oportet exercitatum eſſe eum, qui noſtram ſpeculationem ſit aggreſſurus, nunc hæc pauca notaſſe ſufficiat.

Caput

Caput II.

QVICVNQVE ægrotant,eos uel communi aliquo morbo, vel proprio ſeu diſperſo laborare neceſſe eſt, ex omnium ſententia. *Gal.1.Ep. 1.in probe. & 2.de natur. hum. 2.*

Communes ſeu uniuerſales morbos Græci πανκοινοὺς, vel πανδήμους,uel κοινοὺς, vocant, proprios diſperſos ue, aut diſſimiles σποράδας vocant Græci.

Communes ſunt Galeno teſte, qui eodem tempore in communi multos inuadunt. Diſperſi ſunt, qui ſparſim, priuatimque ſeu ſeparatim quemlibet capiunt. *Loc. dictis*

Cauſa diſperſorum eſt uictus uniuſcuiuſque, ſiue peccatum in ſuo uictu proprio, per uictum Galenus intelligit regimen in ſex rebus non naturalibus, de quibus morbis Hippocrates tractat lib.de morb. & lib.de ratione vict. in acut.eodem Galeno teſte, & nos tractatu, qui hunc ſequetur,nam de communibus primo agendum eſt, ut uniuerſum de morbis,qui humano generi contingere poſſunt abſoluamus ſermonem, teſtudinis enim caro, uel tota deuoranda, ut eſt in prouerbio,uel non guſtanda, uel enim tota morbos curandi ſcientia pertractanda eſt, uel ne attingenda quidem, alioqui uniuerſa curandi præcepta edocere eſt impoſſibile. *Loco dicto de nat. hu. & 2. de ratione vict. in acut. 9. et 3.Epid. 3.9.* *Actuar.4. Meth. in princ.*

Horum itaque morborum communium cauſa eſt, quæ omnibus communis exiſtit, ſiue ſit cibus ſiue potus, ſiue aqua, ſiue aer,ſiue loci ſitus aut regionis,ſiue uentorum flatus,aut alia ſimilis cauſa, quæ omnibus ſit communis, ut locis iam allegatis de Nat.hum. & de aere,loc. & aquis manifeſtũ eſt, & infra clarius demonſtrabo, quicquid in hoc alij dixerint, nos enim ueram Hippocr. & Galeni doctrinam ſequimur, quam authoritatibus tantorum virorum confirmabimus,his contenti, reliqua, quæ tempus noſtrum corrumperent, ut Galeni uerbis utar, omittentes.

Caput III.

lib. de aer loc. & aq.

1. probl. 7.

MORBI itaque communes, uel perpetuo tenent aliquem locum, ſiue regionem aliquam, aut urbem, incolasque, ac ſi cognati eſſent omni tempore comitantur, ſiue ſit æſtas, ſiue hiems, ſiue quoduis anni tempus, qui morbi non ſubito, ut notauit conciliator, contingunt, & ſi ſoli talia loca tenent inquit Hipp. niſi forte ex temporum mutatione aliquis alius morbus epidemialis oboriatur, nam & tunc huius, dicti loci participes fiunt, inquit Hip. ἔνδημα eos, ἢ ἐνδήμια interim ἐπιχώρια νοσήματα uocat Hipp. latini uerò patrios ſeu regionales uocant, uel publicos, uel uernaculos, uel collectaneos, talis eſt phthiſis in aliqbus Luſitaniæ partibus, & ſtrumæ in Hiſpaniæ aliqua regione, Hydrocele his, qui iuxta Alpes habitant, lienis ſcirrhus, his qui eas maritimas partes incolunt, quæ ſtagnantes paludoſas & alijs uitijs affectas producunt aquas.

lib. de aer loc. & aq.

De his morbis Hippocr. ex profeſſo agit lib. de aere, loc. & aqua ubi luce eſt clarius cauſam iſtorum communium morborum non eſſe aerem ſolum, ſed & uentos, & terram, & cibos, & aquam, aliosve potus, uel aliam cauſam illi regioni communẽ.

Alij ſunt morbi communes, qui non omni tempore ut antedicti, ſed aliquo anni tempore in regione aliqua abundant inualeſcuntque, quando aer non ſeruat proprium temperamentum, ſed intemperie diutius durante alteratur, ut paſſim in lib. Epid. & 3. Aph. habetur, alteratur autem aer caliditate, uel frigiditate, ſiccitate, uel humiditate, aut in his mixtis, uel in tota ſubſtantia, inquit Galenus alterari in tota ſubſtantia aerem dicunt aliqui, quando putreſit uel comburitur, nos præter hæc dicimus proprie in ſubſtantia alterari aerem, quando coinquinamentis plenus eſt, quæ humano generi aduerſantur ut ab Hipp. habetur lib. de flatibus & 2. de nat. hum. 4. ubi inquit Galenus halitus peſtilentes a tota ſubſtantia humano generi potiuſquam ſimplici aliqua qualitate aduerſari, & alibi ſeminaria peſtis in aere peſtilenti eſſe dixit, halitus dictos intelligens, qui certe halitus nõ modo temperamentum mutando, ſed totam animalis ſubſtantiam caloremue innatũ, & ſpiritus quibus omnibus proprie inimici

in arte medic. c. 85.

lib. de flatibus, & 2. de hum. nat. 4.

1. de diff. feb. 4.

mici

mici ſunt, nos lædant, ut tract. de peſte conſtabit, ſi itaque in ſolis qualitatibus aer alteratur intemperie diutius durante, & morbos communes producat, & quibus maior pars hominum ſeruatur, epidemij, vulgaresve morbi ſimpliciter dicuntur. At uero ſi non in ſolis qualitatibus alteratur, ſed in tota ſubſtantia uel in qualitatibus & tota ſubſtantia & maior pars ægrotantium pereat, quod neceſſario fit quando humano generi a tota ſubſtantia aduerſatur, tunc morbos producit, non ſimpliciter epidemios, ſed epidemios pernitioſos, peſtilentes ne morbos, quod præcipue habetur a Galeno 6. Epid. 7. 1. ubi uult tunc epidemiales factos fuiſſe peſtilentes, quando maior pars ægrotantium mori incepit, & quia nihil eſt aliud peſtis quàm epidemia pernitioſa, ob hoc nullum peculiarem librum de peſte Hipp. ſcripſiſſe aſſerebat, ſiquidem in epidemijs continebatur inquit Gal. Aduertas autem ueriſſimum eſſe quidem peſtem non differre ab alijs morbis epidemialibus niſi ſola pernitie, uerum pernities iſta non a ſimplici alteratione aut putredine oritur, ſed ex ſeminarijs peſtilentibus dictis, quæ ut dixi de mente Hipp. & Galeni a tota ſubſtantia humano generi infenſa ſunt, & propterea calorem noſtrum deſtruunt, quo deſtructo, quoniam regere corpus noſtrum non ualet, ſequuntur ingentes putredines, præcipue ſi corpora ad putredinem apta inuenerint, aerque etiam manifeſtis qualitatibus putredinem fieri adiuuerit, quòd præcipue calida & humida conſtitutione contingit ut 3. epid. 3. manifeſtum eſt, quo factum eſt ut putredinem tantum intuentes nonnulli, & non cauſam eius quam diximus, peſtis cauſam putredinem eſſe tantum dixerint, nullo modo admittentes corpora noſtra a tota ſubſtantia lædi, quòd tamen ex dictis falſum eſſe conſtat, & tract. de peſte notum erit & etiam tractatu de feb. putridis, ubi manifeſtum erit putredinis cauſam non eſſe ſolum prohibitam tranſpirationem, ſed etiam quæcunque calorem innatum deſtruunt. 1. *acut.* 9.

Patet ex dictis ſecundam differentiam morborum communium eſſe eorum quos græci epidemiales, populares uero aut uulgares uocant latini, eosque uel eſſe ex maiori parte ſalubres, & tunc nomen generis retinere, dici nempe epidemiales ſeu populares aut uulgares, uel maiori ex parte inſalubres, & pernitioſos epidemiales, aut peſtilentes uocari, horumque omnium.

nium potiſſimum cauſam eſſe aerem,ſed epidemial.ſimplicium quando in ſimplicibus qualitatibus alteratur , peſtilentium uero,quando in tota ſubſtantia alteratur,a ſeminarijs humano generi ſubſtantiæ proprietate inimicis .

Et licet aerem iſtorum communium morborum cauſam tan quàm communiſſimam poſuimus, poſſunt tamen aliæ eſſe illorum cauſæ,ut ex dictis conſtat, & infra clarius referam .

Concludamus ergo communes morbos eſſe endimus,ſiue patrios,uel uulgares ſiue epidemiales,horumque aliquos eſſe ſalubres ita ut ex illis maior pars ſanetur , qui nomen generis retinent , alios eſſe inſalubres ita ut maior pars ægrotantium pereat,qui pernitioſi epidemiales, aut peſtilentes uocantur.

Veruntamen non uidetur ueritati conſonum,quòd eorum , qui peſtilentibus morbis afficiuntur maior pars pereat , quoniã Hipp.3. epid.3.25. nonnullos morbos peſtilentes connumerat ſine febre exiſtentes,ex quibus plurimi ſuperſtites erant, ut ſacer ignis ſuperficiales tantum corporis partes occupans , qua authoritate compulſi nonnulli magni nominis medici dixere hos morbos non fuiſſe peſtilentes , quoniam ſine febre erant , quod tamen & rationi ipſi & experientiæ ne dum Hipp. & Galeno ut manifeſtum eſt & tract. de peſte dicam,repugnat:quare animaduertendum eſt quod Galenus intelligit per plurimos , aliquos eorũ ſuperſtites fuiſſe, quę interpretatio ſi uera eſt,obiectioni ſatis reſpondet , nam tempore peſtis aliqui ſeruantur ægroti , licet maior pars eorum pereat , ſeruabantur autem ex his qui ſacro morbo laborabant,quibus ſuppuraret affectio,moriebantur quibus potiſſimum nulla ſuppuratio fiebat, hique plurimi erant, licet aliqui etiam ſeruarentur .

Caput IIII.

NON ignoro alios eſſe morbos quos Galenus,& Hippocr. epidemiales uocarunt quandoque, quandoque etiam diſperſos, ut ſunt qui oriuntur in anni temporibus ſuam ſeruantibus temperaturam hos enim 1. epid.1.in prohęmio diſperſos uocauit Gal. contra uero 3. prognoſt. 38.populares una cum Hipp. eos uocat, neque abſque ratione cum

cum enim medij ſint quodammodo inter morbos proprie cõmunes dictos & proprios, iſtorum & illorum appellationem tenere poſſunt, medios inter hos dixi, quoniam, & communis, & priuata cauſa ad illorum generationem concurrit, aer verbi gratia & uictus proprius, ſit namque hiems frigida & humida decenter, ad quam ab autumno paulatim trãſitus ſit factus, hieme morbi pituitoſi non fient in communi, imo fortaſſe ab humiditate hiemis ſiccitas autumni emendabitur, & morbos præcauebit autumnales, modo victu frigidiori & humidiori quis non utatur, quod ſi fuerit, proculdubio morbos pituitoſos incurret ad quam generationem & priuata, & communis cauſa concurret, unde & priuati & communes dici poterunt, licet magis proprie priuati, ut conſtat cum potiſſima illorum cauſa ſit cauſa propria.

Caput V.

HAEC ſunt quæ longo tempore indagaui, & certo iudicio ut Galeni uerbis utar, quæ literis prodere citra ullam malorum interpretũ reprehẽſionem, mihi uiſum fuit, quæ adeo manifeſta aliquibus uideri poſſunt, ut nulla demonſtratione maiori indigeant, quòd etiã mihi uidetur, cæterum quia non defuere qui contraria ſcripſerunt, & ſunt nonnulli, qui ubi in quorundam ſcriptorum nouas cõmẽtationes ſemel inciderint, hac ipſa nouitate ſola capti abſque vlla diſcretione, licet & ueritati, & Galeno ſiquis alius de Re medica benemerito aduerſentur, eas tamen celebrant, & vanas illorum opiniones ſequuntur, age iam luce clarius demonſtremus non aerem ſolum eſſe communium morborum cauſam, & tam patriorum & epidemialium ſimpliciter dictorum, quàm pernitioſorum ſeu peſtilentium, ſed alias etiam communes cauſas, hancque eſſe Hipp. & Galeni mentem. *3.epid.1.4*

Caput

Caput VI.

DE patrijs itaque morbis,optime omnium Hippocrates lib. de aere,locis, & aquis tractauit, ubi legentibus conſtat, non aerem ſolum iſtorum eſſe cauſam, quando alteratur,pro vt eſt in ſublimi uel concauo,& ad orientem uel occidentem, uel ad aquilonem,& auſtrum ſpectat,uel quando loci natura diuerſa fuerit,ut ſulfuroſa & bituminoſa,paludoſa uel petroſa uel argilloſa uel iuxta mare uel flumen aut montes, aut alia ſimili de cauſa, ſed etiam aquam ipſam,ut eſt aquæ uitioſæ potus,& uſum ciborum malorum,quādo communiter homines loci uel regionis illis, utuntur, imo quòd tantum ualet ciborum malorum uſus ad morbos patrios generandos,ut non ſolum utentibus illis,noceat ſed noxa etiā ab eis ad filios tranſeat, uitiato ut aiunt ſemine parentum, ſic in Aegyptijs Elephantiaſim tranſire uidemus,& hunc morbum ob cibos humorem melancholicum gignentes,quibus communiter habitantes utuntur, regioni illi factum eſſe familiarem, eadem ratione podagram Athenis, & lippitudinem,Ac hei re-

6.natur. gionibus,ut Lucretius etiam cecinit dicens.

Eſt elephas morbus,qui propter flumina Nili,
Gignitur ægypto in media,neque præterea uſquam :
Actide tentantur greſſus,oculique in Achæis,
Finibus,inde alijs alius locus eſt inimicus,
Partibus,ac membris, uarius concinnat id aer,

Quorum omnium etiam exempla apud nos conſtant manifeſta,quæ breuitatis cauſa relinquam,ex quibus conſtat præcipue ſecundum mentem Hippocrates patriorum morborum

9. coll.12. & 3. de morb. cur. a principio & ſynops. 24. de qua re infra.lib.8

cauſam eſſe non aerem ſolum,ſed aquam & cibos,quando homines communiter illis utuntur, quod etiam Oribaſ. confirmauit & Paul. & Aet. Auenzoar,& alij multi, ut infra etiam dicam.Popularium etiam ſiue epidemialium morborum cauſam non ſolum aerem poſuiſſe cauſam Hipp. ſed alias etiam nouiſſe,licet principaliſſimam aerem poſuerit,conſtat meo iuditio, & pace Galeni,ſecundo de Nat.hum.3.ubi inquit.

Non igitur quando homines quocunque uictu uſi in eundem morbum incidunt, ratio uictus erit cauſanda, uerum ubi

eodem tempore, uarij ſuboriuntur morbi, clarum eſt quòd ſuus cuique victus cauſa eſt, ubi uult Hipp. nos debere iudicare aerem communium morborum eſſe cauſam, quando ad libitum viuunt homines. Cœterum ſi vno victu omnes uterentur, non aerem ſolum accuſare poſſemus, ſi quidem uictus etiam inculpari poſſet. ex quibus manifeſtum eſt Galenum immerito reprehendere Hipp. eo quia inquit ſolam cauſam morborum communium in aerem retulit. Siquidem inquit Galenus viſi ſunt in Æno ex fame leguminibus utentes crura habuiſſe imbecilla, & qui eruo utebantur illis genua doluiſſe. Alios inquit nouimus qui comeſſe ſemiputridum triticum famis compulſi neceſſitate, communi morbo laborarunt, & exercitus quando cum prauis uteretur aquis ſimili in omnibus militibus noxa uexatus eſt. Hæc ueriſſime quidem refert Galenus, quæ etiam noſtram confirmant ſententiam, nempe communium morborum aerem quidem eſſe cauſam, ſed non ſolam, cum aliæ cauſæ communes ut aquæ, & cibi ſi communiter illis homines utũtur eorundem etiam cauſa eſſe poſſint. Cœterum non iure redarguit Hipp. qui licet lib. dicto de Nat. hum. cauſam morborũ communium aerem aſſignet, tanquam communiſſimam non eſt, tamen quod alias ẽt cauſas nõ nouerit. Sed inquit qui quando non adeſt alia cauſa in cibis .ſ. & potibus, quod non tunc merito argui poteſt talium morborum eſſe cauſam aerem ipſum.

Ac proinde alibi Galenus rectius Hippoc. excuſat, nam cum Gal. dixiſſet aerem non eſſe ſolam cauſam morborum communium, ſed & loci ſitum, & cibum addit quando chironij quos uocãt uenti ex barathris ſpirant, aerem contaminant, ac proinde hanc contineri ſub cauſa quæ ab aere procedit, ſubdit Gal. qui à cibo, & potu proficiſcuntur morbi communes, infrequentes ſunt, & cognitu faciles, quare in lib. de Nat. humana cauſam eius, quod omnibus eſt cõmune cõmuniſſimam appellauit, at cibo, & potu raro communiter omnes utũtur, & ſi utũtur manifeſtum id eſt, & ideo ab Hipp. ut ipſe cenſet omiſſum. Verum meo iudicio, ut antea oſtendi, ſub Hippocr. oratione etiam iſtæ cauſæ comprehenduntur, licet communiſſimam cauſam retulerit aerem ipſum. Præterquã quod .n. aerem uelimus nolimus ue, inſpirare ſit neceſſe omnibus animantibus, qui reſpiratione egẽt, ut lib. de Flatibus, & in methodo Galeni conſtat, eſt

1. Epid. 1. in probœ.

B etiam

Et 3. de hum. ca.3. & 1. de ſanit. tuēda.

etiam ipſe aer aptus facillime proprias,& alienas qualitates ſuſcipere,& alijs communicare, & ideo eſt communiſſima communium morborum cauſa, ex quibus ni fallor manifeſtum eſt omnium popularium morborum naturam ſecundum Hipp. & Gal. mentem non ſolum eſſe aerem,ſed cibum,& potum,& loci ſitū,& alia huiuſmodi,quicquid dicat Valeſ.in princ.l. Epid. qui non ſolum refert Gal. loco dicto in prohem. lib. epid. & 2. de Nat.hum.4.Sed etiam 1. de Diff. feb. 3.ut 3.de hum. 3. ait nec minus fere, quam aer aquæ efficit morbos vulgares idem Paulus, Aet.Auenzoar, & alij fere probatiſſimi authores comprobarunt: id quod de peſte, etiam Lucretius cecinit dicens.

6. natur.

Hæc igitur ſubito clades noua peſtilitaſque
Aut in aquas cadit, aut fruges perſidit in ipſas,
Aut alios hominum paſtus, pecudumque cibatus,
Aut etiam ſuſpenſa manet vis Aere in ipſo,
Et cum ſpirantes miſtas hinc ducimus auras,
Illa quoque in corpus pariter ſorbere neceſſe eſt.

Valeſ.in princ.l.epidem. & 1. de Diff. feb.7.Fernel. l.8. de abditis rer. cauſ. c. 12. & alij multi notantur.

Ex dictis conſtat quā male ſentiāt, qui nolunt morbos à malis cibis communes dici peſtilentes,ſed tantum malignos uocari,cum Gal. aliter dicat locis dictis maxime in prohemio lib. epid.& 6.epid.7.1.

Et quàm male arbitrentur qui aſſerunt tempore annonæ, quia pauperes tantum moriuntur,non poſſe peſtil.morbos eſſe, quando non moriuntur ex omni genere hominum, imo tales morbos ſporades etiam uocandos, quoniam utriuſcuiuſque uictus eſt accuſandus.Verum ſciant iſti, quòd cō munis uictus prauus eſt talium morborum cauſa.Et quòd ex illis morbis maior pars moritur;& ex omni genere hominum à tali morbo correptorum ob talem uictum,& tam iuuenes,quam ſenes, & uiros, quam fœminas, &c. ut ſecundo de natur.hum.& nos infra dicemus, & quod ſi diuites talibus cibis uterentur, quod & ipſi morbis dictis afficerētur,quod & ipſi perirent,id quod ego in Belgica regione expertus ſū;quando nō diuitibus proficiebat multitudo, & abundantia auri,quia non habebant unde cibum bonum emerent. Sed delitiæ maiores erant grana leguminum 20. pro prandio,& cœna:unde tam diuites, quam pauperes fame compulſi eo tempore, quod maxime ſibi obuium erat, ingurgitabant,ex quibus facile eſt reſpondere dictis Valeſij, qui

ſuppo-

ſupponit quod quãdo frumentum putruit,ſiue aquæ fontis ue-nenatæ ſint,quod non eſt cauſa neceſſaria omnibus communis, erunt enim inquit qui eam deuitent,aquam integram, aut fru-menta imputrida aſportanteis. Quid ſi id facere non poſſint,& illis uti coacti ſint?Præterea in aere peſtil.ſi quis domus ſuæ ae rem emendet unde peſte non afficiatur , cæteri peſte pereant, an ob id non erit aer peſtil. quia omnibus non nocet.

Falſum eſt præterea quando ob prauum uictum, aut potum iam eo mali peruenit, ut meatus omnes naturæ arripiat,putan-dam eſſe iam affectionem aeri fuiſſe communicatam ob coin-quinamenta ægrotantium : licet enim id quandoque poſſit eſ-ſe,uel aliud ſimile, non tamen id eſt neceſſe,cum ſoli cibi,potus ue mala qualitate præditi id ex ſe præſtare poſſint aere non infecto, ut ſupra dixi.

Caput VII.

DIGNOSCENTVR autem morbi communes ex eo quoniam in multi homines uno corri-piuntur morbo eodem tempore , uel in cauſa eſt,quod communiſſimum ſit, quoque utimur omnes inquit Hipp. ergo conſiderandum ſi ſit cibus,aut potus aliquis , aut alia ſimilis cauſa . Communis omnibus , & ſi non proculdubio arguere licet cau-ſam eſſe in aere ipſo, ſi uerò aliæ adſint (quod cognitu eſt faci-le) non aer ſolus poterit accuſari,ſed cauſæ iſtæ manif ſtæ. *2. de Nat. hum. d.*

Neque Hipp.intelligit(quod tamẽ multi ſunt opinati) mul-tos homines corripi uno morbo ſolo,tempore epidemiali. Si-quidem poſſunt eſſe plures morbi,qui plures homines tempo-re tali infeſtent,& cum febre, & ſine febre,id quod manifeſtum eſt de morbis ſimplic. epidemialibus paſſim in lib. epid. & de peſtil.6.epid.7. 1. ubi inquit Gal. quod in peſte omne morbo rũ genus excitatur,licet hoc magis,q̃ illud,quod etiam 3. epid. 3.21. & ſequentibus maxime 28. multis exemplis comproba-tur , multi enim Anginoſi moriebantur , multi ſine febre , multi febre peſtilenti , multi alui profluuio , & alij alijs morbis corripiebantur,& expirabant, & tum omnes peſtilentes erant. Vnde dici põt,quod omnes uno morbo pernicioſo ſcilicet & pe *Vide ſupra cap.3.* *Vide infra tr. ct. de Peſte cap.1.*

ſtilenti capiebãtur licet ſpecie diuerſi, ex qualibet autem ſpecie morborum peſtilentium multi ægrotabant, & moriebantur multi vt loc. dictis habetur ab Hipp. & à Gal.

Sic etiam lib. de cibis boni, & mali ſucci legimus eo tempore varios morbos, qui tum omnes peſtilentes erant, vt ipſe Gal. refert. d. libro 1. de Diff. feb. 3. uariaque ſymptomata paſſos fuiſſe, quando non modo ætate, aut natura inter ſe inuicem ægri differrent, ſed uictus quoq; ratione, quo varie & contrarias vires habẽte ob ſuperiorem victus inopia vſi fuerãt. His enim rebus inquit quorum cuique copia erat paſcebantur; quæue diſſimiles, & uariæ eſſent; eas nonnulli ſumebant; quæ vel acido, vel acri, uel amaro, ſalſoue ſucco forent, alij quæ auſtero, aut tenaci, aut adſtringendi, vel refrigerandi, uel humectãdi, ui, aut quæ ueneni participes extitiſſent, ipſe. n. inquit nõnullos inſpexi ab uſu fungorũ protinus interijſſe, alios ex eſu cicutæ, alios ferulę, ex hiſq; ægritudinibus perpaucos mortis periculo liberatos.

Hoc ergo tempore, ut fere fit in maxima penuria, qua quilibet quo poteſt cibo utitur (quod hoc etiam noſtro tẽpore per duos annos continuos in multis Italiæ locis, experti ſumus) eo magis uarijs corripiebantur morbis, quoniam præter uarietatẽ tẽperamẽti, & ætatis, & artis & aliarum huiuſmodi quæ diuerſa ſunt, & ſemper in quouis populari, communi ue morbo, adſunt, aderat etiam uictus diuerſitas ciborumq; prauorum uſus. Similes morbos refert Auenzoar fuiſſe ortos in hominibus qui fame compulſi medullis oſſium cadauerum, iam ſepultorum ueſcebantur, & in illis qui oleribus, quæ per uias inueniebant ob penuriam paſcebantur, ſic in Numantico bello Numantini fame compulſi cadaueribus ſe nutriebant, unde ob prauum uictum peſtis ingens orta eſt, ut hiſtor. teſtantur, quod ut antea dixi annis præſentibus adeo publicum fuit, ut nemo ſit, qui hoc nõ nouerit. ex dictis ergo cognoſcemus morbos eſſe communes non ſperados.

L. 3. 4.

In Monarchia eccleſiaſt. l. 8. c. 29.

Caput

Caput VIII.

CÆTERVM cauſam ita cognoſcemus, quia inquit Hipp. ubi morbus ſubinde tentat tam ſenes, quàm iuuenes, tam viros, quàm fœminas, tam eos, qui uinum, quàm qui aquam bibunt, quiq; maza & qui pane ueſcuntur, & tam eos qui in multis ſunt, quàm qui in paucis laboribus, & in ſumma cum homines quocunque victu, ſiue regimine in ſex rebus non naturalibus inquit Galenus vſi in eundem morbum incidunt, non eſt ratio uictus accuſanda, ſed id eſt arbitrandum eſſe in cauſa, quo omnes maxime utimur, id uero eſt, quòd inſpiramus, ut quibus datur intelligi quando aer eſt cauſa morborum communium, maxime ſi forte aliquis conuentus magnorum aſtrorum adfuerit, nam quòd nō eſt alia cā cōis omnibus prægreſſa aerē arguere licet, qui ſemper oībus eſt communis. Quando cognouerimus aerem morborum communium eſſe cauſam inueſtigandum reſtat, an in ſolis qualitatibus ſit alteratus tantum, an uero in ſubſtantia mutatus, an in vtroque, id quòd cap. de peſte manifeſtabo.

Et præterea an p ſe ſit affectus, an per cōſcenſum, an licet ab aqua ſtagnāte, & paludibus, an ex terra, ut quia ſulfurea, & Argiloſa, an a malo halitu, ut in terręmotu contingit, uel barathro aliquo, uel a puteo nouiter aperto, qui per plures annos clauſus antea fuerat, aut a ſepulchro ſimiliter aperto, uel ab halitu hominum peſte infectorum, an a multitudine cadauerum inſepultorum, uel etiam locuſtarum, an ab impijs hominibus, qui ſtudio aerem infecerint, quòd turcarū immanitas ſæpe machinatur, an ab alia ſimili cauſa, quæ omnia lıb. dicto de peſte manifeſta erunt. At uero ſi cibus ſit cauſa morborum communium *Cap. 6.*
facile, ut ſupra ex Galeno dixi, erit cognitu, præceſſit enim cauſa hæc nempe malus cibus idque per plures dies, & forte menſes & annos, ex quibus morbi oriuntur manifeſte epidemiales, & ſæpe peſtil. ut antea diximus.

Pariter & aquæ uitioſæ potus cognitu erit facilis, experientia inter Gal. 1. de ſanit. tuenda pag. 337. medico præſertim, qui ea omnia optime conſideret, quæ ab Hippoc. referuntur lib. de aere, loc. & aquis, & ſi ea nouerint, quæ de aqua a Galeno, & ab alijs authoribus dicta ſunt.

Neque

Neque diſſimili ratione cognoſcemus an in multis, an paucis laboribus homines uitam degerint, an ſitus loci, aliave communis cauſa adfuerit; ſunt enim manifeſtæ iſtæ cauſæ & facile cognoſci poſſunt, & unam uel alteram arguere poſſumus, quando aerem neque in qualitatibus mutatum, uidemus, neque in ſubſtantia, neque aſtrorum adſunt conuentus, ſed cauſæ, quas nuper diximus præceſſerunt, uel eorum aliquæ: ſitus autem loci quantum conferat ad præcauendos morbos epidemiales & ad eos generãdos paſſim uidere eſt in l. de aere locis & aquis, ſed nullibi clarius, quàm 1. epidem. tempeſtate prima, ut infra dicam cap. 7. ut ergo in ſummam colligamus quæ hucuſque ſcripſi, diximus morbos eſſe uel priuatos, uel publicos, & quo modo inuicem differant, & quòd communes de quibus nunc loqui intendimus, uel ſunt patrij, uel epidemij, & ſi epidemij, quòd uel ſunt pernitioſi, uel non, & ſi pernitioſi, quòd peſtilentes uocantur, & ſi non pernitioſi, quòd epidemij uocantur, nomen enim generis retinent, priuatorum cauſam diximus eſſe priuatam, cõium cõem, ſiue modo ea ſit aer, quæ eſt cauſa communiſſima, & ut plurimum communium morborum cauſa, ſiue ſit cibus, aut potus, aut ſimilis alia cauſa communis, idque ſi uel una, uel plures, ſimul concurrant, nã plures poſſunt una coniungi, præterea dicimus qñ apparatus eſt in corpore, ꝙ leuis quæ uis ſufficit cauſa ab aere accepta ut c. de peſte notum erit. vltimo docuimus quomodo cauſa morborum communium cognoſcatur an ſcilicet ſit aer, an aqua, an cibus, an alia ſimilis cauſa conſequens modo eſt ad alia tranſire.

Caput IX.

6. epid. 8. 3. & 6. & 3. de hum. 2. 1. epid. 1. 9. 2. eiuſdem 5. & 2. epid. circa princi-

QVOD ergo in primis inueſtigandum uenit eſt quomodo poſſumus naturam quatuor temporũ totius anni cognoſcere, cum enim tunc primum uulgares morbi emergere incipiant quando aer a propria natura degenerare inceperit, & neceſſe ſit nouiſſe quantum a propria natura degenerauerit, ſi uoluerimus morbos uulgares cognoſcere, ut refert Galenus conſequens eſt proculdubio, ut prius noſcamus cuiuſque temporis propriam naturam, proprium-

priumve temperamentum, & præterea quoniam mutationes temporum pariunt morbos,ob id quando naturale eorum temperamentum mutent nouiſſe oportet,& conſiderare an ſimilia, an diſſimilia ſibi ſint inquit Hipp.

piũ vbi & uide Valeſ. col.89. & 3. epid. 3.

Gal. itaque l.de humor.inquit anni tempora humiditate, & ſiccitate , caliditate,& frigiditate differunt atque hiemem alia tẽpora ſuperare humiditate,ac frigiditate oſtenſum inquit eſt , & licet hiems talis eſſe debeat,tamen vt Hipp. inquit l.de aere loc. & aquis , & ipſe Galenus refert hiems mediocritatem ſeruare debet, neque valde ſerenam , ſiue clementem, ut alij legunt , aut tepentem , neque frigore excedentem , licet enim frigidius , & humidius eſſe debeat hiems , tamen neque humiditas, neque frigiditas modum naturæ hiemis excedere debet. Propterea autem frigida , & humida hiems dicitur, quia humiditas in ea ſuperat ſiccitatem , & frigiditas caliditatem,ex ſuapte ſcilicet natura ita æſtimata non ex comparatione alterius temporis anni,vt bene demonſtrat Galen.

1. & 3. Aph.1. 3. pronoſt. 38. & 3. epid.3.32. 3.aph.1. 1.in of. med.1. & 2. de hu.8. 3.de humor. 2. & 5. & 2. de Criſ. 3.

Aeſtas uero eodem Gal.teſte. Caliditate,& ſiccitate alia tempora ſuperare debet,ita tamen vt bene Hipp.dixit l.de aere loc. & aquis ut in ea tempeſtiue fiãt pluuiæ,vt calor,& ſiccitas contemperẽtur,habetque ex natura ſua, vt calida, & ſicca ſit,nõ autem talis dicitur alterius anni temporis comparatione , ut de hieme ſupra de mente Gal. dixi,licet uerum ſit æſtatem alia etiam tempora caliditate , & ſiccitate ſuperare.

l.de aere l. & aquis com.4.2. 3.aph.8. 1. de Temperam. 4. 3. de hum. 3.

In Autumno autem ſiccum humido , & frigidum calido præſtare debet,licet.n.ut notat Gal.1.de humor. 1.& l.2.26 autumnus in calore,& frigore ſit inęqualis,in frigore tamẽ,& ſiccitate exſuperat,ita tamen ut aquæ fiant,quæ ſcilicet emendẽt intensã eius ſiccitatem quam ex natura ſua habet,& ob æſtatem præteritam , & in mane frigus meridie æſtum , ueſperi frigus iterum urgeat inquit Gal.talemque temperaturam pro ſe habere dicitur non alterius comparatione,ut bene Gal. oſtendit.

5.aph.8 Comm. 5. tex.2.ut parti 3.2. 1.de tẽp.4 Vt loco d.à Gal. & ab Hip.patet

Vere autem inquit Gal. neutrũ in neutra repugnantiæ parte excellere debet,neque ſiccum humido, neque calidum frigido, ſed eſſe omnium totius diei,ac noctis horarum ſimilitudinem, ac nullam magnam in illis fieri mutationem . Aquæ tum in eo tempeſtiue eſſe debent inquit Hippoc.i.ut pluuiæ minus in eo fiant,quàm ſæpe ſoleat deſideratur enim, ne humiditate nimis

1.de tẽp.4 3.de hu.4. Loco ſupradicto de aere l. & aquis.

affluat

affluat,ut ſæpe ſolet , ſicuti deſideratur in æſtate ne ſiccitas, ut ſolet ſępiſſime ſuperfluat;unde in æſtate pluuiam adeſſe, tempeſtiuam deſideramus in uere ſiccitatem , & ita erunt pluuiæ tempeſtiuæ in utroque, licet uario,& diuerſo modo.

1.de tēp.4 & 1. de nat. hum. 41. Orib. col,9.2.

Non debere autem ex natura ſua uer calidum, & humidum eſſe,ſed temperatum demonſtrauit Gal. & optime Oribas. ex Gal.demonſtrat.

1.de Nat. hum.47.

Dicitur autem uer temperatum,quia meo iuditio in eo nullum ex contrarijs alterum ſuperet plurimū , ita vt neque calidum frigido,neque humidum ſicco, uel è contra plurimum ſuperet. Sic Gal. ſanguinem temperatiſſimum eſſe dixit. Imò ut ipſe 1. de Temperam. 4. ait uer pro ſe , & ex ſui natura non ad alia tempora comparatum eſt in medio omnis exceſſus,cum neque ſicut in hieme plus ualeat in eo frigidum,quam calidū , neque ſicut in æſtate ſiccum , humidum excedit ; Ad eundem modum ſiccitatis humiditatiſque æquabilitatem in eo ſpectes, neque ſcilicet in eo ſicut,in æſtate præualente ſicco , neque ſicut in hieme præualente humido ; & cum ſit ſaluberrimū ut 3. aph.habetur,calidum eſſe,& humidum non poteſt, quoniam ſi ſic eſſet,morbiferū,& peſtilēs prorſus eſſet prædicta ergo tpa proprium temperamentum ſeruare eſt neceſſe, ſi annus propriam cōſtitutionē ſeruare debet;neque hoc ſufficit, ſed prætere a.Ex ſententia Hipp.quæ etiam cōfirmatur à Gal.3.aph.8.neceſſe eſt,ut ſigna fiant in aſtris, quā ipſis orientibus, & occidentibus fieri ſolita ſunt , neceſſe .n. ut ſigna ſolita fieri in ortu , & occaſu ſiderum appareant; ut cum zona orionis apparet, turbidus fiat aer fauonij flatu. Cum equus occidit matutino Aquilo flat. Cum ſuculæ emergunt , pluuiæ ab Auſtro deuoluuntur, Cum Arcturus occidit Matutino,fauonius ſpirat.Cū Delphinus emergit auſter flat , & alia habere quæ ut plurimum contingere ſolent in ortu,& occaſu iſtorū ſiderum,quæ ex Ptolomeo noſcere fas eſt,& ab Aet.l.1.Ser. 3.ca. 164.& Oribaſ.9. Colect 8,ut alios omittam.

3. Aph.9. 1.de tēp 4 & oribus l.d.

L.de aere, l.et aq.par tic.3.2.

Ptol.2. de iudicijs Aſtrorum & in tabella ſecūdum quotidianā obſeruationē diſpoſitā , & inter Neotericos

Et licet nobis ex uſu eſſe non poſſint , quæ deſcribuntur in tabella Ptolomei ob mutatos ortus , & occaſus ſiderum , & ob diuerſitatem climatum , & ſuperexcreſcentes dies , nihilominus , quidſit ex ortu , & occaſu ſiderum euenturum ex dictis Ptholomei. Cognoſcere, & præuidere poſſumus , & noſtræ

regio-

regioni,atque urbi applicare; neque ex nonnullorum ſententia multum intererit temporis interea, quæ refert Ptolomęus,& ea quæ nunc contingunt,nec numerũ excedent quinque, uel ſex dierum poſt obſeruationem Ptolomæi.

Huc pertinet noſſe etiam caniculæ ortum,ob quam, uel magni calores æſtate,uel etiam frigora extrema hieme ſecundum aliquos fiunt, quibus temporibus nempe nedum caniculæ,ſed etiam Arcturi ortu,ut Hipp.lib.de Aer. l. & aq. & 4. aph. 5. & Ariſt. 1.probl.3.aſſerunt,& in ambobus ſolſtitijs maxime æſtiuo,& præterea utroque æquinoctio,præcipue autumnali,neq; medicamenta ſaltem fortia danda eſſe conſtat, neque uentrem urendum, aut ſecandum niſi cogat neceſſitas per dies quadraginta, inquit Hippoc.lib.de Medicamentis purgantibus,uel niſi pertranſierint ſaltem decem dies,ut alibi dixit, caniculares .n. dies durant quadraginta,à quibus abſtinendum à medicamentis fortibus per decem dies;& illorum loco,uel clyſteribus utẽdum, ut iubet Hippocr. uel debilioribus medicamentis noſtri temporis utendum.

In ſumma dicamus aſtrorum ortus, & occaſus conſiderandos, præcipue canis, & Arcturi,& pleyadum. morbi enim in his maxime iudicantur,alijque perimũt,alij uero deſinunt, aut in aliam ſpeciem aliumue ſtatum permutantur inquit Hippoc. lib.de Aere loc.& aquis.

Pari ratione nequid huic noſtræ tractationi deſit, dicimus, quòd prima Lunæ ſeptimana ueri reſpondere debet ſecunda æſtati,tertia autumno, quarta hiemi aſſimilatur, ita ut menſis talem temporis conſtitutionem ſeruare debeat teſte Auic. *1 Can.fen 2. c.3*

Sic etiam dies ſeruare debent ſuam conſtitutionem, nam & matutinum tempus ueri,medium diei æſtati,crepuſcula autumno, ueſpera hiemi ſimilia ſunt; quin, & noctis prima pars ueri aſſimilatur,media æſtati,& reliqua conſequenter inquit Aet. *l.1.ſerm. 3. c.162.*

Gal autem 2.de Humoribus in fine, inquit prima diei pars ueri ſimilis eſt,proxima ſcilicet meridies æſtati,tẽpus ueſpertinum autumno (crepuſculum ueſpertinum,ut quando Sol occidit,& crepuſculum diei quando Sol oriri incipit Gal.intelligit, ut ex Aet.patet) hora uero ultima diei inquit Gal. quam ueſperam appellauit Aet.& eſt prima pars noctis, hiemi aſſimilatur. *3 de hum. 18.et 6.ep. 6.25.* Sic alibi ipſe Gal. uer inquit matutino tempori aſſimilatur,

æſtas meridiei, autumnus ueſperi, hiems nocti.

Vnde dixere aliqui diei partes analogiam habere cum partibus anni, quia vtrumque tempus finitur una ſolis circuitione, dies quidem circuitione totius cœli, annus propria ipſius Solis. reſpondet uero meridies æſtati, quoniam eſt pars, qua maxime Sol ad nos accedit. nox media hiemi, quia & in ea Sol à nobis maxime recedit, ſicut hieme. horæ matutinæ circa ſolis or tum ueri, ueſpertinę circa Solis occaſum autumno, quia his horis Sol à nobis mediocriter diſtat, matutinus accedens, ueſpertinus recedens, hinc fit, quòd media in nocte pituita mouetur. meridie bilis, mane ſanguis, ueſperi melancholia.

Hæc eſt ergo anni temporum conſtitutio, & nedum quatuor anni temporum, ſed & menſis, & diei, ut ex dictis apparet, quæ ſi ſuam ſeruauerint conſtitutionem, & maxime anni tempora, annum ſaluberrimum habebimus, inquit Hipp. & Gal. homines enim mutationem, quæ paulatim fit uix toto tempore perſentiſcunt: quod ſi & fit maior, tũc neque tempeſtiue, neque ordinate anni tempora procedant inquit Gal. loco d. de humoribus, & alibi inquit, quod ſi iſta tempora ita ſe habeant, ut illorum naturæ conuenit, & paulatim in ſe mutuo conuertantur, non exiſtit peſtis ulla, neque quiſquam alius morbus uulgaris, ſed ſoli diſperſi quos vocant morbi, qui uictus ſunt comites, at cumprimum à natura ſua degenerare incipiunt, morbos inquit emergere eſt neceſſe; quando enim multæ, alia poſt aliam fiunt alterationes in anni temporibus, morbi fiunt uulgares inquit Gal. ergo mihi uidetur poſt dicta docere, quomodo cognoſcamus dicta tempora quatuor anni aduenifſe, & ſeruaſſe temperaturam propriam.

l. de aere l. et aq. & 3. aph. 8. & 3. de hu. 5. 1. ep. 1. 1.

Caput

Caput X.

AC primum conſiderandum, quòd anni tempora Medici diuidunt proprie,ab effectu , nõ ab ortu ſiderum,ut aſtronomi.ac proinde inquit Auicenna cum uiderimus poſt hiemem tempus moderatũ, in quo non tantum ſunt neceſſariæ res calefacientes propter frigus ut inde multum ſit curandum, neque euẽtatio propter calorem & in ipſo quidem eſt principium frondandi Arbores , & eius tempus inquit Auic. eſt tempus exiſtens inter æqualitatem uernalem , aut ante ipſam , aut poſt ipſam parum ,donec Sol ſit in medio Tauri,tunc uer eſſe iudicamus. Si tamẽ quis uoluerit ſecundum ortus ſiderum tempora anni diuidere , is ſciat præter ea quæ mox dicemus,quod nõ eodẽ modo omnibus oriũtur,& ideo nos poſſe tãtum dicere, obſeruandum eſſe , quando adſit ortus,& quando occaſus ſiderum , ut in Prohœmio l. epid. 1. habetur,& 3 de humor.11.& ult.& ab Orib.9.Collect.8.10.ꝙ difficile, erit Aſtrologis etiam, & ſciat, quòd ueris principium erit æquinoctium eius finis eſt ortus uirgiliarum. modo conſideret quando ſidera iſta oriuntur, & occidunt in Regione in qua habitat, & tunc iudicare poteſt uer adeſſe,pro quibus uide inter pręclaros Medicos Oribaſ.& Aet.etiam notare ortus, & occaſus earum ſtellarum , quæ palam aerem mutant ; ex cuius mutatione non ſanorum modo , ſed multo magis ægrotorum corpora alterantur.

1.Can.fen. 2.c.3.

Orib. Collect.c.8.

Aet. Tetrab.1.ſer. 3.c.164.

Gal. 3. de hum.11.

1.Ep.1.1.

Autumnus uero inquit Auicenna eſt ueri oppoſitus in talibus quales ſunt noſtræ terræ in alijs aũt terris eſt poſſibile , ut præcedat uer , & tardetur autumnus . inæquale eſt enim tempus,cadunt folia arborum , & alia ueri contraria contingunt.

Principium eius eſt æquinoctium autumnale,& ortus arcturi,qui anticipat æquinoctium dies duodecim finis ortus uirgiliarũ,quod ſit diebus circiter 40. poſt æquinoctium inquit Gal.

Et æſtas quidem inquit Auicenna eſt totum tempus calidum ortus uirgiliarum eſt æſtatis initium finis æſtatis, arcturi ortus: inquit Gal. 3. de hum. 11.

Hiems inquit Auicenna eſt totum tempus frigidum,cuius initium inquit Gal. eſt occaſus uergiliarum, & ut diximus au-

tumni finis.& fini s hiemis erit æquinoctium uernale.

Eſt etiam conſiderandum, ut ex dictis ab Auicenna patet, & conſtat à Gal. quod Hippoc. omnes conſtitutiones temporũ, quas ipſe recenſet intelligit de temporibus locis terræ habitabilis, non de his qui in frigore, aut calore, humiditate, aut ſiccitate exuperant: quam etiam conſtitutionem temperatam tanquã regulam aliorum poſuimus nos: prout enim aliæ regiones illi magis, uel minus ſimiles fuerint, eo magis, uel minus dicẽtur tẽperatæ: unde in regione temperata non erit difficile dijudicare, quantum ab ea deflectent tempora, ſi ea obſeruauerimus quæ ab Hipp. dicta ſunt, verũ in intemperatis nõ ſic ſe res habebit.

3. Aph. 14

Sed conſiderandam eſt in iſtis an ſeruent proprias conſtitutiones, & ſi ſic proprij illis morbi tantum contingent. an uerò alterentur aliqua alteratione præternaturali, & tunc præter proprios, ſeu patrios morbos, uulgares etiam & epidemij ſuper uenient, ut ẽt ſupra c. 3. ex Hip. tetigimus. & uidere poſſumus etiam hanc quam nunc retuli ſententiam ex Valeſio.

lib. de aere loc. & aq.

Si ergo uer, v. g. in regione temperata ſeruabit propriam conſtitutionem temperatum erit.

Valeſ. 1. epid. 1. col. 89.

In regione frigidiori frigidius erit ſi ſuam ſeruabit conſtitutionem.

Hæque tantum regiones, quæ ſub eodem uertice ſunt poſitę communia habent tempora quoniam communes Ortus, & Occaſus ſiderum habent inquit Gal. cæteræ non parum inter ſe differunt.

1. pid. 1.

Hinc Damaſcenus in ſuis Aphor. dixit non eſt tempus eodem modo in omni regione, quando enim Sol eſt in principio Cancri, hic eſt inquit æſtas, alibi uerò eſt hiems, & in alio loco uer, in alio Autumnus.

Et alii dixere ꝙ poſſibile eſt in aliquibus regionibus aliqñ eſſe tempus temperatum magis q̃ uer, unde in Meridionalibus calidis, & ſiccis, hiems inquiunt eſt conformior ueri, & in Septentrionalibus frigidis Æſtas.

Verum dixerim ꝙ facilè eſt iſtos decipi, nam aliud eſt perquirere res ratione ſola, aliud addere experientiam, cum multa concurrant ſæpe contraria in eodem loco, ita ut ſi adſit ob Solem uerbi gratia in aliqua regione magnus æſtus, ipſum contemperent, uel ſpirantes venti, uel ros nocte ex cęlo cadens, ut

in

in regionibus nouiter repertis conſtat,quas ob æſtus uehemen tiam inhabitabiles eſſe exiſtimabant ueteres,ac propterea dicimus, ꝙ medicis id tempus uer erit, quòd magis temperatum, hiems,quòd frigore excellit,æſtas quòd caliditate,quod ſiccitate,& inæqualitate autumnus, quòd ſi aliter fuerit temperatũ, nomine quidem poſſunt ſic dici,re autem nõ ſunt,ut de hieme dicit Galenus,quę quoniam calidiòr fuerat ob flatum auſtri,nomine inquit hiems dici poterat in frigida ciuitate, ſed re uera non erat hiems. *6.epid.7.1*

Concludamus ergo quod quando tempora in aliqua regione temperata ſuam ſeruauerint conſtitutionem temperatam, *1.epid.1.1* quod tunc nullus morbus vulgaris ſuperueniet,in conſtantibus enim temporibus cũ tempeſtiue tempeſtiua redduntur, morbi quoq; fiunt conſtantes,& certi iudicij, & confirmat etiam Valeſ. *3.Aph.8.* In intemperata autẽ regione poſſunt bene aliqui eſſe morbi patrii,qui & ipſi communes ſunt,ut ſupra diximus, ſed quo uſq; ſuam ſeruat temperaturam non aliud morbi genus epidemiale ſuperueniet, ſed tunc quando a proprio temperamento diuertit,quod Hip. monuit. *Val. 2. ep. circa prin.* *l.de aere l. & aq.19. & 22.*

Ergo conſiderandum ex eodẽ Hip.2.epid.3. col.141. in Valeſ. non ſolum quale tempus anni,ſed & quod & quantũ procedat & huiuſmodi,nimirum ex his naſcitur ratio curationis. In primis conſiderandum quale ſit an ſcilicet a natura ſua diuertat annus,& præterea quantum etiam diuertat, & ad hæc conſiderandæ ſunt non ſimpliciter conſtitutiones, ſed ex qualibus ad quales fiant permutationes. *3.Aph.11 & 6.epid. 8.6.*

Caput XI.

DIVERTIT autem a natura ſua annus quando uel calidior,uel frigidior,uel humidior,uel ſiccior fuerit,& quando etiã non modo in qualit. ſed etiam in ſubſtantia mutatus eſt,ut quãdo coinquinamentis plenus eſt humido genere contrarius,ut ſupra diximus.

Et quoniam diuerſionis temperamenti cauſæ ſunt quidem dictæ,ſed quæ quandoque etiam a ventis originem ducunt, & uenti uariant etiam aquas teſte Gal. 3. de humor. 20. ideo ventorum

torũ eſt etiam habenda ratio. de quibus etiã Hip. lib. de Aere l. & aquis. & 3. aph. vbi habes uentorum alios eſſe uniuerſales, alios eſſe locales. primo ergo de uniuerſalibus, uniuerſales noto qui ubique locorum eodem nomine, & uocabulo gaudent inquit Oribaſ. 9. Collect. c. 9. quorum numerum, & temperamenta breuiter hic deſcribemus quatenus poſſint deſeruire huic noſtræ intentioni; quatuor autem principales, ſeu Cardinales ponemus, cum ſuis Collateralibus, nam licet alij plures fecerint, & alij pauciores; nihilominus tot ſunt hi, qui ad noſtrum inſtitutum deſeruiunt, maxime quãdo exceptis quatuor principalibus cæteri naturam eorum ſapiunt. Hipp. omnes comprehendit ſub uentos frigidos, & calidos. Calidos intelligens omnes, qui inter hiemalem Solis exortum, & utrumque hiemalem occaſum flant. Orientales nimirum, & auſtrales omnes. Frigidos qui inter occaſum Solis æſtiuum, & orientem æſtiuum iacent. Occidentales nimirum, & Septentrionales omnes.

Gal. 3. de humor. 13

lib. de Aer. loc. & aq. partic. 1. 2

Venti ergo, uel flant ab Oriente, & Orientales dicuntur, quorum Cardinalis, qui recta ab oriente flat ſubſolanus uocatur, Leuante uulgò. Collateralis eius dexter uulturnus dicitur uulgò Greco Leuante, qui flat à Septẽtrionali parte.

Collateralis uerò ſiniſter, qui Eurus dicitur, uulgo Siroco ab Auſtro flat. Vnde uerſus.

Sunt Subſolanus, vulturnas, & euras, coi .i. orientales.

Et orientales uentis ſunt ſemper occidentalibus meliores, & per ſe ſunt alijs omnibus, etiam ſalubriores, ſicuti etiam ab Hip. & ab Auic. patet, licet, per annum ſint Septentrionales omnibus alijs ſalubriores, ut infra de illis referam. Temperati cũ ſint orientales inter uentos, ut ab Hipp. habetur l. de Aere, & loc. & aquis, & ob id corpora noſtra non immutant, ſed ſalubritatem corporis tuentur, de qua re infra, tunc autem Orient. ſalubres maxime ſunt, quando flauerint in principio diei, uel ſaltem in fine noctis, quia tunc ueniunt per aerem ſubtiliatum, & elaboratum a Sole, et proportionantur ueri, quia temperati ſunt, licet enim calidi ſint, quia tranſeunt ſuper partes, quæ ſunt à Sole calefactę, comparatiue tamen dicũtur temperati in caliditate, & frigiditate: nam nec ſunt calidi, ut auſtri, neque frigidi, ut boreales, ſed medij inter eos.

lib. de aer. l. & aq.

Sunt etiam ſicciores occidentalibus, inquit Auic, quia minus ma-

marium eſt ab oriente, quàm ab occidente, & oriens a parte qua cõiungitur Septentrioni, habet minus marium, quàm occidens, ex parte qua iungitur Septentrioni, unde uenti inde flantes iudicantur magis, uel minus ſicci, licet author lib. de dięta orientales dicat calidos eſſe, & humidos.

Hieme autem, & de mane potiſſimum perflare ſolent, licet hoc anno 1594. & etiam anno præſenti 1595. ferè ſemper flauerint, quę eſt cauſa meo iudicio ſalubritatis iſtius anni tantum, ut medici mendicent.

Obſeruaui. ego hieme humidiores eſſe iſtos uẽtos, forte quia hic ad nos per loca pertranſeunt ob temporis conſtitutionem humidiora.

Ptolom. etiam 1. quadrip. c. 11. orientalem calidam eſſe dicit quum ab angulo ueniat, qui Solem, qui caloris eſt autor ſingulis diebus ad nos afferat, & quia Sol inde aſſiduus uenit, ſiccum quoque eſſe par eſt, nam ſubſolanus inquit, qui ab oriente flat cardine, perinde erit, ut dies ipſe, ut regio a qua fertur, erit ergo calidus, & ſiccus, ſ. reſpectu occidẽtalis. Occidẽtales autẽ, qui orientalibus ſunt oppoſiti, ſunt etiã tres quorũ Cardinalis Eurus dicitur. Ponente uulgo. Cuius collateralis dexter Zefirus dicitur uulgo Libecchio, & collateralis ſiniſter qui dicitur Fauonius uulgo maeſtrel. undeuerſus.

Eurus ab occaſu Zefirus, & Fauonius afflant.

Minus hi ſunt mortalibus ſalubres maxime ſi flant in princ. diei, uel in fine noctis, quia tunc tranſeunt per aerem nondum à ſole elaboratum, ſecus eſt ſi in fine diei, aut in principio noctis flauerint, quia tranſeunt per aerem a Sole ſubtiliatum, & proportionantur autũno, quia ſunt uariabiles, ut autumnus, quia uidetur eſſe ſententia auth. l. de dięta, quod uoluit hos uentos inæqualiter refrigerare. Eſtate ẽt ſero potiſſimum perflare ſolẽt.

Sunt autem parũ plus humidi, quàm orientales, quando inquit Auic. ſuper maria plus tranſeunt. Præterea Sol cum orientalibus continue incedit reſoluendo, cum ſuum motum faciant orientales cum Sole.

Cum occidentalibus autem non incedit niſi parum, cum Solis motus diuerſificetur a motu occidentalium, cum Solis motus ſit fere contrarius motui eorum.

Sunt autem minoris caliditatis, quàm orientales, quia orientalium

talium flatus maior fit in principio diei, occidentalium uero in fine diei inquit Auic.

Verum cum uenti ſint uapores a terra eleuati a caliditate Solis, qua citius oritur, Sol citius eleuat uapores, & cauſat uẽtum. Sed quia Sol de ſero occidit, tarde eleuat uapores, & ideo tarde oritur uentus occidentalis.

Ex quibus patet, quòd occidentales uenti, cum minus pertranſeant ad nos qui ſumus in hac regione Lombardiæ, quod nobis minus ſunt humidi quàm locis illis vicinioribus.

Ptolom. humentem, & frigidum eſſe hunc uentum uoluit Fauoniũ appellat quia a contrario angulo oriental. uenit, quòd. ſ. noctis naturam quòd occaſus qualitatem ſequitur: eſt ergo contrarius Subſolano.

Meridionales uenti ſunt etiam tres quorum Cardinalis Notus dicitur.

Cuius Collateralis dexter Aphricus dicitur & circoauſter.

Collateralis uero ſiniſter Auſter dicitur & Circonotus, & Cironis, vnde verſus.

Atque die medio, Notus, Africus, Auſter habetur.

3. Aph. proportionantur æſtati pluuioſæ, calidi & humidi ſunt & multa mala inferũt, quæ ex Hipp. habentur de quibus infra: putridũ & peſtil. aerẽ reddũt, calidi ſunt, quia a parte calefacta a uicinitate ſolis veniunt, humidi, quia ut plurimum marium nobis, eſt meridionale inquit Auicenna, eſt etiam auſter humidus, quia omnis motus uiolentus in fine eſt tardior, cum ergo auſter, quando ad nos peruenit, ſit in fine ſui motus, cum a longinquis regionibus maxime ad nos ueniat tranſiens per maria, remanet ſic cũ uaporibus, quos ſecum portat, & ideo humidus.

Contrarium euenit ciuitatibus noſtris oppoſitis per quas cũ motu ueloci flat. & ideo in eis non remanent uapores quos ſecum affert, ſed eos ulterius fert, & ideo in illis eſt ſiccus uel ſaltem minus humidus, hic tamen quandoque frigidus, & ſiccus fit ut bene notat Auicenna, quando ſcilicet per loca frigida tranſit, & ſicca.

Hic uentus quando perflare incipit paruus eſt, flat enim leuiter in fine autem magnus eſt & fortius flat, cuius cõtrariũ in ſeptentrionalibus uidere eſt, qui magni ſunt quando flare incipiunt, in fine parui.

Eſt ſemper humidus licet etiam ſquallidus ſit,& non fluat, humidum propterea ſemper aerem reddit.

Ptolomęus calidum,& humidum ipſum eſſe ſtatuit,cum .n. hæc plaga ab una parte ad Orientem declinet ab hac ob ſolis uiciniam caliditatem, & cum ab altera parte declinet ad occaſum,ab ipſo quoque occaſu mutuatur humiditatem. *Quadrip. lib. 11.*

Caurus tamen qui notus uehemens eſt, & ſemper motum perſpicuum habet frigidus perſpicue, & quandoque ſiccus eſt, alius vero notus eſt lenis,cuius motum in aere, & nubibus non ſentias,qui ſemper eſt calidus, vt ex Orib. habetur transmutantur etiam ad tempora anni, & fiunt calidi,& ſicci,ſicut Aet. ex Adamanto. *Orib. 9. collect. 7. Aet. Tetr. 1. Ser. 3. c. 163.*

Venti Septentrionales,& ipſi tres ſunt, quorum Cardinalis Aquilo,dicitur vulgo tramontana,& Septentrionalis dicitur.

Cuius collateralis dexter Boreas dicitur.

Collateralis vero ſiniſter Corus dicitur. Vnde verſus.

Et ventant Aquilo Boreas, & Corus ab Arcto.

Septentrionalis venti ſunt frigidi,quia tranſeunt ſuper montes,& terras multarum niuium,& ſunt ſicci, quia eis non multi aſſociātur vapores, quia reſolutio in vapores minus fit a parte Septentrionis,& præterea,quia non tranſeunt ſuper aquas marinas ſolutas,ſed congelatas ad loca deſerta, licet author. lib. de Dieta,dixerit eos,frigidos,& humidos eſſe, quandoque tamen erit hic ventus calidus, & humidus, ſecundum ciuitates,quæ ſunt circa maria, quæ ſunt a Septentrione. *Tunc Author lib. de Dieta.*

Si præterea pertranſeat per loca calida,& ſicca, calidior eſt auſtro,vt Auic. ait.

Et licet ex ſe Septentrionales venti ſerenitatem inſerant,tamen corus, qui eſt collateral. ſiniſter quando flat circa æquinoctium pluuias infert.

Hi,ventus Septentrionalis aſſimilatur hiemi, & quando flare incipit magnus ſit,quando deſinit mitis ſit,cuius contrarium de Auſtro dixi.

Sunt alijs ſalubriores, etiam Orientalibus, per accidens tñ inquit Nicolus Florentinus, quia calorem innatum iuuant, & virtutes roborant, vnde ea ſequuntur commoda,quæ ab Hipp. referuntur,idque verum eſt,quando non adeo excedant, vt interiora etiam lædant,& refrigerent, quòd maxime ſit in dema- *3. Aph.*

ciatis,& gracilibus,ac debilibus, & pauco ſanguine præditis,ſicuti contrarium fit in ſanguineis,& robuſtis iuuantur. n. iſti a Septentrionalib. uentis adde,quòd ſalubriores etiam ſunt,quia aerem puriorem reddunt,nec putrefieri ſinunt.

Septentrionalem ventum quoniam ab eo Sol multum abeſt frigeſcere oportet in 4. Ptol. loco dicto: intenſi frigoris comes eſt ſiccitas,& concludit. Ab orientis Solis cardine ſiccitatem,ab occiduo frigiditatem mutuabitur.

Caput XII.

EX ſupradictis ſi bene omnia conſiderantur, videtur poſſe, concludi ſecundum Hippocr. mente, ventos orientales ſalubriores etiam alijs, non ob hanc rationem, quam aliqui referunt, quia Hippocrates dixit Ciuitates ad Orientem poſitas ſalubriores eſſe illis, quæ ad Occidentem poſitæ ſunt, iſtud enim inquit raro ob effectus ſolis fit, vi cuius, quod vitioſum eſt in aere diſſipatur, & euaneſcit. Sed ob alias rationes ſalubriores dicuntur, & præcipue,quia ſunt temperati: vt ſupra.

Lib. de Aere, lib. & Aquis.

1. de Re ruſtica. 15.

Sunt tamen multi ne dicam infiniti, & maxime Auicenna, & Celſus l. 2. 1. ut alios omittam,qui dicunt Septentrionales ſalubriores eſſe cœteris uentis. Hanc controuerſiam ſoluit Nicolus dicens Orientales per ſe eſſe cœteris ſalubriores; Septentrionales uero per accidens: ut ſupradictum eſt.

9. Col. 9.

Alia eſt difficultas,quia Oribaſ. & Aetius Orientales uentos in calore, & frigore temperatos eſſe uolunt, eſſe tamen ſicciores,& aduerſos ualetudini,& morbos ex ſiccitate contingentes efficere. imo Oribaſ. uidetur uelle illos eſſe morboſiores alijs uentis. Occidentales autem humidos, & lenes, minus tamen quam borealis ſalubres eſſe dicunt,corpori autem magis,quàm alios eſſe accommodatos. Aeſtate autem præcipue commendantur a Celſo.

In qua re conſidera primo ex Auic. ut ſupra dixi,quòd oriẽtales uenti ſi in principio diei flauerint ſaluberrimi ſunt. Si in fine minime; orientales e contra. Vnde poteſt dici ſi orientales in principio diei flant, eſſe occidentalibus ſalubriores, præci-

pue

pue ſi conſideraueris occidentales quando in principio diei flant. Si uerò Orientales flauerint in fine diei, minus erunt ſalubres occidentalibus,in fine diei flantibus.Pręterea ęſtatis tempore occidentales eſſe ſalubriores,quia frigidi , & humidi cum ſint,caliditati,& ſiccitati ęſtatis repugnant,alijs temporibus minime eſſe ſalubres. Orientales autem cum temperati ſint omnibus anni temporibus ſalubres eſſe , licet in aliquibus minus, quàm alij,at æſtate minus, quàm occidentales.

Hæc,& alia huiuſmodi quæ dici poſſent non carent ratione, uerumtamen ſi cuilibet, quod ſentit dicere licet , dixerim ego, diuerſitatis authorum cauſam eſſe locorum , & regionum in qua habitabant diuerſitatem,nam ut inquit author lib. de Dieta,propter ſitum regionum,per quæ uenti ad ſingulas regiones accedunt,diuerſi inter ſe ſunt,frigidiores, calidiores, humidiores,ſicciores,& morboſiores,& ſalubriores, unde fit eodem authore,ut Auſter antequam pelagus pertranſeat,calidus,& ſiccus ſit,tranſacto pelago humidus, & calidus fiat. Ob hæc cum Celſus dixiſſet Septentrionales eſſe ſalubriores ſubſolanis, ſubdit.Sic tamen,ut hæc interdum regionum ſorte mutentur,nam ferè inquit uentus ubique a mediterraneis regionibus ueniens ſalubris,à mari grauis eſt,quòd etiam Auic.innuit. *L.2. ca.2.* *Lib.2.c.1*

Cum ergo quilibet author dijudicarit uentos ſecundum effectus quos in ſua regione pariant,qui diuerſi erunt,ut ex ſupradictis patet. Hinc factum eſt, quòd diuerſimode ſcripſerint de Illorum natura . Ob id non mirum, cum Hippocr. in regione moraretur temperata, ubi uenti orientales temperati exiſtebant , ſi eos omnibus ante poſuerit, temperata enim a temperatis conſeruantur, ut inferius patebit . Et hæc quidem de uentis uniuerſalibus.

Caput XIII.

LOCALES autem uenti, qui. ſ. ueniũt a locis proprijs, ſiue qui unicuique regioni proprij ſunt, inquit Hippocr. lib. de Aere loc. & aquis, ſiue qui regionibus conueniunt, ut Orib. ait, ſunt uniuerſalibus ſemper deteriores Aetij, & omnium ſententia. Corpora enim inæqualiter afficiunt, neque totum aerem commouentes, neque per totum diem ſpirantes: maxime enim inquit Aetius, locales uenti circa matutinum tempus ſpirant, quos Nautæ apogeos ueluti a terra eleuatos appellant. Qui ergo uenti locales e terra ſpirant, ſicciores ſunt, tum a Sole, tum a terra exſiccati inquit Author lib. de Dieta, & Oribaſius inquit qui e campis, & e terra perſpirata ueniunt meliores ſunt. Qui ab aquis humidiores ſunt, ſicciores tamen ſunt qui a mari ſpirant (præcipue magno ut Raby Moyſ. Aph. particul. 3. ait) quam qui a dulcibus aquis eleuantur, inquit Auth. l. de Dieta. Marinos ſalubres eſſe inquit Oribaſius hieme præſertim, & uere, æſtate autem calidiores, inquit ſunt, quam par ſit. Sequitur Orib.

Orib. 9. col. 9.

Quos flumina mittunt, ſunt marinis humidiores, hiemeque ſunt deteriores, æſtate meliores. Qui e ſtagnis exhalant utriſq; abſurdiores ſunt, inquit Orib. peſſimi, qui e paludibus exeunt, neque ullo tempore ſunt boni, multa alia dicti Authores referunt uerum hæ ſufficiant ad intentionem noſtram.

Conſiderandum ergo an ob uentos flantes anni tempora a ſuo ſtatu naturali permuttentur, quod maxime fieri ſolet a uentis uniuerſalibus. Conſiderandum etiam an id cauſa aſtrorum fiat, quæ uel uentos afferendo, uel pluuias, uel ſiccitates, uel alias ſimiles alterationes inducẽdo id præſtẽt, ut nonnulli dixere, quæ etiam uidetur eſſe ſententia Aet. uel ob aliã cauſam occultam, ut inter Neotericos Fernel. uoluit. Conſiderandum præterea an ob aliam cauſam aer a ſuo naturali temperamento ſit mutatus, maxime ſi in ſubſtantia permutatio facta ſit, quia ſit coinquinamentis plenus humano generi infenſis.

Lib. 1. Ser. 3. ca. 164. 2. de Abd. rerum cauſ. 12.

Et hic prouidere ne homines communes morbos incurrant, uel ſi id propter cauſæ magnitudinem non liceat, ſaltem, ut his morbis remiſſis afficiantur, inquit Gal.

Nam

Nam ob id ipſum potiſſimum generatio morborum uulgarium cognitu eſt utilis,ut conuenientia remedia, ratione, non ſola experientia, ut Quintus perſuadebat, inueniantur inquit Gal. quibus cognitis citiſſime ſubueniendũ,ne ſi diutius in corpore morentur humores, putreſcant, & deteriores fiant inquit Galenus. *1. epid. 1.1* *1. epid. 15. & 2. eiuſdem 6.*

Caput XIV.

NEc ſolum debet medicus nouiſſe ſi aer mutauerit temperamentum, ſiue ob intemperiem, aut ob ſubſtantiæ alterationem,ſiue ob uẽtos, ſimilemue cauſam per ſe, uel conſortij ratione ipſum afficientem,ſed etiam ipſum diligentem eſſe oportet circa aquarum cognitionem, non enim minus fere quam aer eſt ipſa aqua communium morborum cauſa,ut 3.de Humor. 3.a Gal. habetur quocirca naturam,& qualitates illius præſtat habere cognitas, ut ibidem demonſtrat. Sat ſit notaſſe, quòd quemadmodum guſtu differunt,& pondere,& ſtatione, quòd ſic quoq; uirtute aliæ alios præſtant,inquit Hippoc qui deſiderat aquam nullum ſaporem habere,ſed eſſe inſipidam,& pondere leuiſſimam, ſiue quo ad pondus,ſiue quia ſtomachum nõ grauet,ſed cito tranſeat;aqua enim,quæ cito calet, & refrigeratur leuiſſima eſt inquit Hipp. & Gal.ſtatitiam uituperant,& ſtagnantem, uel paluſtrem,aliamue ſimilẽ,quæ etiam amara,ſalſa,aluminoſa,fœtida, aut alterius ſaporis,uel odoris eſt particeps damnatur inquit Galen.nullam autem qualitatem præſeferre debet, neque quicquam limi habere, neque mali odoris, per hoc enim ſtationem eius, inquit reprobamus. *Li. de Aere loc. & aq.* *3. aph. 26. Gal. in cõ. & lib. de Ptiſſana. 1. de San. tuenda 6. epid. 4.10*

Quæ autem mala inſerat noſtris corporibus aqua uitioſa nota ſunt legenti Hippocr.lib. maxime de Aere loc. & aquis, hæc uero pro nunc ſufficiant ne uideamus in hunc locum omnia uelle transferre.

Caput

Caput XV.

l. de Aer. l. & aq.

PRAEDICTIS addenda eſt regionis conſideratio: reſpondent enim inquit Hipp. homini naturæ mutationes regionis, & temporum: & licet temporum mutationes potiſſimum naturam permutent, poſtea tamen id facit regio, ut poſtremo aqua inquit Hipp.

Loco dicto de Aere, l. & aq. & 3. epi. 3 tex. & cō. primo.

In primis conſiderandus eſt regionis ſitus non enim æquales ſunt uires Regionis ſitæ ad Septentrionem, & uergētis ad Auſtrum, neque eius quæ ſolem exorientem, & quæ eundem occidentem ſpectat inquit Hippo. & Gal. a quibus pete quæ mala oriri ſoleant ob ſitum regionis, et quo modo ſitus cognoſci poſſit earum, & omnium locorum. Hoc in loco illud admonere uolui ex Oribaſ. quod ſitus in quam partem uergat urbs, uſu uenit ijs quæ in altis ſitæ ſunt, nam planæ & æquales, ad nullam orbis partem ſitas eſſe dicere poſſumus. Tamē domos quæ in eis ſunt, ad aliquam ex quatuor mūdi partibus uerſas eſſe eſt neceſſe, huius autem rei iudiciū inquit Oribaſ. ex illo diei tempore fit, in quo Sol feneſtras totas domus illuſtrat, nec ad alium ullum murum deflectit. Domus autem inquit in regionibus frigidis ad meridiem uerſas eſſe, in calidioribus ad Septentrionem magis conſtat.

9. col. 10.

Oribaſ. lib. de c. 15.

Multa refert alia ſcitu digna ipſe Orib. lib. eod. col. 9. c. xi. & 12. ex ſententia Antilli, & Athenæi, & maximè quo modo poſſis cognoſcere, exhalationes regionum bonas, & uitioſas, & ꝙ ſi in regione in qua ſit exhalatio uitioſa neceſſitas aliqua te cogat morari, per aliquod ſpatium, ſi in tabulatis ſublimioribus habitationis moram traxeris, minimè læderis, omnia enim quę ex terra, aut humoribus exhalantur, in ſublime elata, craſſiorē eorum partē, in Aeris parte craſſiore relinquentia, concoquūt, atque purgantur.

Cæterum cum locis dictis dicat Oribaſ. Regiones Meridionales eſſe ſalubres, cum per totos fere dies habeant ſolem, Ecōtra eſſe inſalubres Septentrionales rationibus ab eo ibi allegatis. & cum præterea dicat domus ad Meridiē ſitas ad omnem affectionem eſſe accommodatas præterquàm ad eas quibus refrigeratione eſt opus, uidetur hoc eſſe paradoxum, & contra

Hipp.

Hipp. & Gal. mente ſi bene quæ de Meridionalibus loc. & uentis ab eis dicta ſunt quis nouerit. *l. de Aere l. & aq. & 3. aph. C. vi. lib. ſup.*

Niſi dicamus cum dicto Oribaſ. quod regionibus quædam attribuuntur, a ſitu orbis terræ, quædam a proprietate ſua, quædam a Sole. His quæ a Sole, quæ Septentrionem ſpectant priuantur, medio modo in hoc ſe habent quæ ad Orientem, uel Occidẽtem uergant. Ob ea uerò, quæ Meridionalibus regionib. ratione ſymptomatum contingunt, mala euenire quæ recenſet Hipp. & Gal. quę ratione ſymptomatum eueniunt ſunt quæ ob ſtagna lutulenta eueniũt, & ob aquas paluſtres, & ob uentos aliquib. meridionalib. regionib. familiares, q̃ uel ex ſtagnis, uel ex fluminib. uel ex paluſtrib. uel ex ſinu, uel ex pelago oboriũtur, uel ex terræ exhalationibus excitantur, quæ uel bona, uel mala ſunt ut ipſe refert l. eodem c. 17. & 18. intellexit ergo Hipp. morboſas eſſe regiones meridionales, ſiue loca meridiẽ ſpectantia ratione ſymptomatum dictorum quibus regio ſua obnoxia erat. Oribaſ. uerò ſiue Antillus, & Athenęus reſpexerunt propriè quæ regionibus meridionalibus contingunt, ratione ſitus orbis, & a proprietate ſua.

Præterea quoniam quæ refrigerant ſalubria ſunt his qui in calidiori clymate habitant. & Hipp. in Calidiori, uel ſaltem temperato clymate habitabat, hinc eſt quod uẽtos meridionales, & ſitum locorum ad meridiem ſpectantium, (ſunt autem tales qui a ſeptentrione tecti meridiem ſpectant, uituperabat.

Ad conſiderationem regionis ſpectat etiam conſiderare an terra nuda ſit, & aquis carens, aut dẽſa, & aquoſa, & an cõcaua ſit, & æſtuoſa, uel alta, & frigida. nam inter cetera hoc animaduertat quilibet quod prout benè, uel malè affecta eſt Regio, ſic facilius, uel difficilius a morbis communibus capimur, quod de thaſo conſtare poteſt qui quoniam ad Septentrionem erat appoſitus in illa tempeſtate humidiori non peſtem incurrit, alioqui in eã incurſurus inquit Galenus.

Caput

Caput XVI.

l. de Aer. l. & aq. 1. ep. 3. 11

HOMINVM prȩterea naturas, & temperamenta noſſe oportet, ita ut non uniuerſalem tamtum, ſed etiam uniuſcuiusque propriam complexionem, & compoſitionem noſcamus, etſi quæ partes imbecilles fuerint ſunt noſcēdæ nec minus qualis ſit eorum cibus, ſiue uiuendi ratio, an ſcilicet bibuli ſint, an lurcones, & otio dediti an exercitijs uarijs utentes, & amatorum laborum, ciborumque plus appetentes quam poculorum. nam ut alia omittam uerisſimum eſt, quòd retulit Hippoc. Naturarum hæ quidem ad æſtatem, hæ uerò ad hiemē bene maleue ſe habent, & Morbi alij ad alia bene, uel male ſe habent, & quædam ætates ad tempora, & loca, & uictus genera: & alia quæ ibi uidere potes. Conſidera potiſſimum quomodo hominum naturæ, & temperamenta, & ætates, & ſexus, & alia huiuſmodi ad ſtatum appoſita ſint nam inquit Gal. uel facilè, uel difficulter illi cedentes, uel modice ad illum comparatos inuenies, & præterea conſidera quod ut idem ait morborum differentiæ proficiſcuntur, ab Aeris circumflui temperamento propter naturam cuiuſque, & uictum, quem ſanus ſeruat. uictum inquit appello, non hunc tantum qui cibo, & potione conſtat, uerum etiam qui omnibus alijs, otio, exercitatione, balneo, uenere, ſomno, uigilijs, & uerò omnibus quæ quouis modo fiunt in corporibus humanis. Quantum præterea ualeat uictus ratio ad procreationem morborum vulgarium conſtat a Gal. l. de cibis boni, & mali ſucci, & nos experti ſumus annis elapſis ob maximam annonæ penuriam.

3. aph. 2. & 3. 1. ep. 2. 7.

& 1. epid. 3. 1. & 2. de nat. ſum. 2. vide ſup. c. 2.

Caput

Caput XVII.

IAM vero prædictorum omnium petenda ſunt exempla, & authoritates ab Hippo. bono rum omnium authore, inde exordium ſumen tes. 3. *Aph.* 1.

Mutationes inquit temporum potiſſimum pariunt morbos, & in quibuſdam mutationibus, magnæ mutationes frigoris, aut caloris, & alia pro ratione eodem modo; veluti inquit Gal. uentorum, aut horum defectus, & alterationes humiditatis, aut ſiccitatis.

Alterationes ergo temporum potiſſimum pariunt morbos inquit Gal. quando multæ aliæ poſt aliam fiunt, & unius tempo ris alteratio, quando contingerit magnam eſſe alterationem; quæ expoſitio Galeni optima eſt quicquid dicat Valeſ. licet non negarim, quando mutationes, ſiue ſucceſſiones fiunt temporum morbos nonnullos fieri, & licet ueriſſimum ſit magnas mutationes in iſtis temporibus factas morbos parere.

Neceſſe eſt autem, ut etiam ſupra notauimus, ſi morbi populares ſuccedere debent dictis alterationibus, ut diutius durent, neque a contraria alteratione ſuccedente emendetur aer, quòd ſæpiſſime contingit, ac propterea non ſolum ſi mutantur tempora eſt conſiderandum, ſed etiam quantum mutentur, & ex qualibus, in qualia, ut monuit Hippocr. & ut Celſus inquit, ne- *Lib.* 2. 1.
que ſolum intereſt, quales dies ſint, ſed & quales ante præceſſe- *Cap.* 10.
rint; de qua re ſupra diximus.

In temporibus quando eadem die modo calor, modo frigus ſit, autumnales morbos expectare oportet, acutiſſimos .ſ. & exi- 3. *Aph.* 4.
tioſiſſimos, inconſtantes, & varios, ut uidere eſt ex 1. epidem. tempeſtate illa frigida, & ſicca, & inæquali, de qua paulo infra dicam.

Quando æſtas fit ueri ſimilis ſudores in febribus expectare 3. *Aph.* 9.
oportet. Et præterea cum ſupra dixerimus quomodo cognoſcã 3. *Aph.* 6.
tur anni tempora ſuam ſeruare temperaturam, par eſt admonere etiam, quòd quando talia fuerint, annus erit ſaluberrimus, at uero ſi non ſeruauerint ſuam naturam inſalubria erunt. In conſtantibus enim temporibus, cum tempeſtiue tempeſtiua reddan 3. *Aph.* 8.
tur, morbi quoque fiunt conſtantes, & certi iuditij, in inconſtantibus autem inconſtantes, & incerti iuditij; inconſtantiam vo-

cat tempora Hippocr. inquit Gal. quæ non ſeruant ſecundum aliquid anni conſtantis ductum. Inconſtantes fieri morbos uult, ideſt, quod uel difficulter, ſiue cum caſibus periculoſis iudicantur, uel ſtatim ſunt pernitioſi, uel omnino faciunt recidiuam, & hæc de morbis ob mutationes temporum quatuor anni factis.

Caput XVIII.

3. de hum. 14. & 23. DE alteratione vero quotidiana, vt ſic dicam in aere facta primus in ordinem vsnit Aph. 7. lib. 3. in ſiccitatibus febres acutæ fiunt, & ſi annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit con

Aph. 15. ſtitutionem, tales plurimum morbos oportet

Aph. 16. expectare, & lib. eodem ex anni conſtitutionibus, in ſumma ſiccitates ſunt imbribus ſalubriores, & Morbi in pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt febres longę, ventris fluxiones, putredines, comitiales, attoniti, & Anginæ; in ſiccitatibus autem tabes, lippitudines, morbi articulares, urinæ ſtillicidia, difficultates inteſtinorũ, unde Gal. ait ſi uerum eſt ſimul

1. ep. 1. 8. cum aere alterari corpora animaliũ, per imbres fiunt humidiora, per ſqualores ſicciora, & cum uigent calores, caput erit firmum, cum frigora ipſum quidem erit læuiſſimum, cœterum thorax, & pulmo laborabunt. Notandum tamen, licet ſiccitates ſint imbribus ſalubriores, quòd neque ipſæ noxa carent, ſi modum exceſſerint nimius enim ſqualor graues quoque morbos gignit, ut lippitudines, cum dolore coniunctas; locus eſt Galeni 6. epid. 7. 3.

5. Aph. 16. 17. & 18. Prædictis adde ex Hippocr. calidum, vbi quis ſæpius eo utatur hæc mala afferre, Carnium effęminationem, neruorum incontinentiam, mentis torporem, profluuia ſanguinis, animi defectionem hæc ad quæ mors; frigidam autem conuulſiones, di-

Lib. 2. 1. ſtentiones, liuores, rigores febriles; & præterea, frigidum inimicum oſſibus, dentibus, neruis, cerebro, ſpinali medullæ, calidum uero utile. & Celſus inquit omnis calor, iecur, & lienem inflammat, mentem hebetat, ut anima deficiat, ut ſanguis perrumpat efficit, frigus uero neruorum diſtentionem, modo tetanon, nigritiem in ulceribus, horrores in febribus excitat.

Si præterea calidior tempeſtas fuerit, æſtiuos morbos expe-ctare oportet, nempe ex bile contingentes. Si frigidior, & maxime ſi etiam humidior, hiemales, nimirũ ex pituita ortos, quòd & infra tempeſtate 2. demonſtrabo. *3. Aph. 21*

Si frigidior, & ſiccior melancholicos, & autumnales, ut infra temp. 3. *3. Aph. 22.*

Si calidior, & humidior, putridos & peſtilentes, ut infra tempeſt. 4. *3. Aph. 5.*

Sic de ventis dictum eſt ab Hippocr. Auſtri uiſum hebetantes, caliginoſi, caput grauantes, pigri, diſſoluentes. Quando huiuſcemodi tempeſtas præualuerit, talia in morbis expectare oportet. Si uero Aquilonia fuerit, tuſſes, fauces, alui duræ, difficultates inteſtinorum, horrores, coſtarum dolores, & pectoris; Quando hæc tempeſtas præualuerit talia in morbis expectare oportet.

Aquiloniæ conſtitutiones corpora denſant, intendunt, & bene mobilia coloratiora, & melius audientia faciunt, aluos exſiccant, oculos mordent, & ſi pectus dolor aliquis obſederit, dolorem augent. Auſtrinæ diſſoluunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, uertigines faciunt, oculis atque corporibus difficilem motum præſtant, & aluos humectant. *3. Aph. 17*

Et quoniam Hippocr. de uentis tantum Auſtral. & aquilonijs mentionem fecit; ideo ne quid de alijs deſideremus ſubdit Celſus cœteri uenti, quo uel huic, uel illi propiores ſunt, eo magis vicinos, his, illis ue affectus faciunt. *Lib. 2. c. 1*

Caput XIX.

AD hanc noſtram intentionem, & maxime ad
prædicendum morbos vulgares, & ad eos
quatenus humanis permiſſum eſt viribus prę
cauendos, deſeruiunt quæ ab Hippocr. dicta
*Aph.*11. ſunt:eodem 3. Aph. ſi hiems inquit ſicca, &
aquilonia fuerit, uer uero pluuioſum, & au-
ſtrale,neceſſe eſt febres acutas æſtate fieri, & lippitudines,Græ-
1.*Prob.*8. ci Oph thalmias uocant,inteſtinorũ difficultales,præcipue uero
Auic. 1. mulieribus,& viris,qui natura ſunt humidiores:quæ confirmat
*Can.fen.*2 Ariſt.& Auic.
Aph. 12. Si uero inquit Hippocr. libro eodem hiems Auſtralis, & plu
uioſa fuerit,uer ſiccum,& aquilonium, mulieribus quibus par-
tus ad uer ineſt, ex quacunque occaſione abortiunt. Quæ uero
pariunt,imbecillos,& morbidos infantes pariunt,quare uel ſta-
tim intereunt,uel tenues, & ualetudinarij fiunt; cœteris uero
mortalibus,difficultates inteſtinorum,lippitudines ſiccæ fiũt,ſe
nioribus autem deſtillationes, quæ cito interimunt, quæ Ariſt.
confirmat 9. problem.

Prædictis alia ſimilia refert Hippocr. lib. de Aere,locis, &
aquis, ut quando ſcribit. Si æſtas pluuioſa, & Auſtro multum
perfletur ſimiliſque ſequatur autumnus neceſſe eſt hiemem
morbidam eſſe, & his qui pituita abundant, & qui quadrageſi-
mum exceſſerunt annum,febres acutas fieri (nempe ex ſalſa po
tiſſimum pituita qualis eſt cauſon nothus meo iuditio) qui ue-
1.*Can.*2.7 ro bile abundant pleuritides, & peripneumonias,quòd confir-
mat Ariſt.1.problem.20. & Auic.

Si uerò inquit Hippoc.æſtas ſicca fuerit,& aquilonia, autum
3.*Aph.*13 nus uero pluuioſus,& Auſtralis,dolores capitis ad hiemem fiũt
tuſſes,raucedines,grauedines quibuſdam, & Tabes. neceſſe eſt
enim inquit Gal. his qui naturam habent humidam ſufficien-
1.*Probl.* ter,ſupra modum repleto capite, nuper dictos morbos adueni-
11.& 12. re, tabes autem his qui natura huic apti ſunt, quòd confirmat
*Celſ. lib.*2. Ariſt.& Celſus.

Si uero inquit Hippocrates Aquilonius,& ſiccus,ita ſcilicet
ut ambo dicta tempora frigida,& ſicca ſint,his qui naturam ha
bent humidiorẽ,& mulieribus confert;reliquis autem, lippitu-
dines

dines ſiccæ,& febres acutæ, & grauedines, nonnullis uero, & atrębiles: ambobus enim temporibus frigidis, & ſiccis affectis inquit Gal. humidæ quidem naturæ nihil offendũtur ex tali conſtitutione; quin potius aliquam ſentient utilitatem. Cuius rei cauſam quis requirat per otium lib. de Aere loc. & aquis, & ab Ariſt. 1. problem. 11.

Si uero inquit Ariſtoteles, uer pluuioſum, & auſtrale ſuperuenerit hiemi Septentrionali, & æſtas ſicca fuerit admodum, autumnus pernitioſus erit, pueris præſertim, quia cum ſuapte natura humidi ſint, & calidi, æſtate ſuperbulliunt humores, & ſi per ęſtatem reſtiterint, autumno certe, quoniam humor diutius retentus magis ebullit, & putrefit morbis corripiuntur pernitioſis, niſi forte, æſtate aqua mediocris ſuperueniens conſtitutionem emendauerit, & ebullitionem prohibuerit inquit Auic. *1. Probl. 19.* *1. Can. fen. 2.*

Si uero inquit Auicenna, æſtati meridionali, autumnus ſuper uenerit Septentrionalis, multiplicabuntur in eo ægritudines exprimendi, & conſtringendi, & iam inquit ſciuiſti, hoc, nempe quæ dicta ſint 3. Aphor. 14.

Eodem Auicenna teſte ſi poſt hiemem ſiccam ſequatur, uer ſiccum, malum inquit erit, & amplius mortalitas corrumpit arbores, & uegetabilia, ideoque corrumpuntur ex mortalibus qui ea comederint, & ideo homines etiam qui illis cibis u ſi fuerint.

Si uero inquit Auicenna hiems frigida pluuioſaque fuerit ardorem vrinæ facit, & ſi caliditas æſtatis fortis fuerit, & ſiccitas, ſuperuenient auginæ pernitioſæ, & quæ aperientur, aut non aperientur, & illæ quæ aperientur, aut erunt interius, aut exterius; & quod uariola, & mingendi difficultas, & morbillus, & ambo erunt ſalui, & ophthalmia, & ſanguinis corruptio, & triſtitia, & menſtruorum, & ſputi retentio ſuperuenient.

At uero ſi æſtas humida fuerit, ſuas ægritudines prolungat, inquit Auicenna, & ulcera eo tempore uigentia ad eſtiomena perueniunt, & hydropes, & lienteriæ adſunt, & alij ſimiles morbi; quorum non eſt difficile cauſas inuenire, ſi eorum fueris memor, quæ ſuperius dixi, & ſi Galeni Commentaria in dictos Aphoriſmos legeris.

Simile dictis de humida æſtate eſt, quòd ab Hippoc. & a Gal. referuntur 3. de humorib. 24. ex primis inquit Hipp. pluuijs, vbi poſt multam ſiccitatem futura eſt pluuia, licet aquam intercu-

tercutem prædicere,& ubi talia parua ſigna in uacuitate uentorum in mutatione apparuerint, ubi Galenus inquit non eſſe abſurdum, cum ex frigidorum, humidorumque ſuccorum abundantia hydrops oriatur, ex ijs pluuijs, cum diuturna ſiccitas anteceſſerit, prædicere aquam inter cutem futuram.

Caput XX.

SATIVS autem fuerit ad prædictoru m confirmationem, nonnullas hic tempeſtates ex Hippocr. & Galeno referre, quæ antedicta corroborant, & quas experientia ipſa ipſe comprobaui.

Prima, tempeſtas eſt, quam refert Hippocr. primo epidem. & Auſtrina, ac ſqualida fuit, quo in ſtatu ſqualido, & Auſtrino, eos qui calido erant temperamento, uel ob ætatem; ut adoleſcentes, & Athletæ, magis affecit, quam mulieres, aut alios, qui temperamento erant frigidiores, ut per hoc cognoſcamus conſiderandum eſſe, quod ſupra diximus, quomodo hominum naturæ, & temperamenta, & ætates, & ſexus, & alia huiuſcemodi ad ſtatum ſint appoſita, ſic ea tempeſtate caput ab Auſtro repletum eſt, unde tuſſes, & tabes, his præcipue, qui ad ea erant parati, ut ſunt qui anguſto ſunt pectore alatos uocant de quibus Cap. de Phthiſi.

Secunda tempeſtas deſcripta lib. eodem frigida fuit, & humida, & multo humidior, conuulſiones maxime intulit, pueris præſertim, quorum infirmum eſt neruorum genus. Alui profluuia eos corripiebant, qui natura erant humidiores, præcipue quorum uiſcera imbecilla erant. Febres præterea longas, & alios ſimiles peperit eos præcipue infeſtantes, qui frigido, & humido erant temperamento, quibus minus erant obnoxij, qui calidi, & ſicci erant temperamenti, inquit Galenus, quòd ueriſſimum ego comperi hoc anno 1594. quo anno a uere uſque ad autumnum talis tempeſtas his in regionibus uiguit, quam hiems ſicca ſubſequens poſteà emendauit.

Comm. 9. eiuſdem tempeſt.

Tertia tempeſtas frigida, & ſicca, & inæqualis ab Hippoc. deſcribitur; quæ autumnales peperit morbos nimirum, melan-

lancholicos, inconſtantes, & uarios, & incerti iuditij, ut a Galeno patet maxime Commen. 81. & ſequentibus; qui morbi frigidos, & ſiccos maxime corripiebant, ut conſtat textu 77. eiuſdem tempeſtatis. Pueri uero minime omnium peribant inquit Hippocr. quoniam calidi, & humidi ſecundum ætatem erant. *Textu 70*

Quarta tempeſtas quam deſcribit Hippocr. calida, & humida morbos putridos, & peſtilentes produxit, qui maxime corripiebat corpora calidiora, & humidiora, uel alio modo ad eos parata, ut tractatu de peſte conſtabit. *2. epid. 1: & 3. epid. 3.*

Quinta tempeſtas quæ ſecundo epidem. Sect. tertia deſcribitur ab Hippocr. fuit illa, in qua uere, & æſtate caliditas, & ſiccitas multa fuit, cum tamen præceſſiſſet hiems auſtrina, clementi Cœlo; quam ob cauſam hieme caput repletum fuit pituita ſalſa, & ſic parotides, & commata, & ſomnolentiæ ſubſequutæ ſunt. At æſtate cauſi multi, hique, cum exanthematibus, & morbillis, ut Valeſius uoluit, a quibus minime mulieres moriebantur.

Sexta tempeſtas quæ 6. epidem. 7. Auſtina quidem fuit ſed & aquilonia, morbos quidem multos ex deſtillatione obortos peperit, & tuſſes, & paraplegias, & alia huiuſmodi ijs, qui ad eos morbos parati erant, & luſcioſos pueros præcipue affecit. Sed tandem peſtilentes morbi facti ſunt præſertim Anginæ, ut ibidem conſtat.

Caput

Caput XXI.

CONCLVDAMVS cum Hippocr.lib.de Aere locis,& aquis,quod,ſi quis hæc mente conceperit, & conſiderauerit, his plurima omnino prænoſcet, quæ ex huiuſmodi mutationibus ſunt futura, ueluti ſi præſentia eſſent; cognoſcens autem prouidebit, ac uictum contrariũ, cœteraque adhibens,ut conuenit, non mediocriter ciuibus ſuis conſulet,& ſibi laudem, & gloriam comparabit, cum credant eum omnes conditiones temporum, & morborum, & hominum tenere,& ideo illi magis ſe concredere audebunt, ex quo etiam illis magis prodeſſe poterit, nam dum illum honorabũt, & admirabuntur, fiet ut magis ea imitentur, quæ ipſum agere uident,atque illius inſtitutis, quaſi alicuius numinis mandatis,obedient.

3.Pronoſt. 38. Non ſolum prouiſio iſta uulgaribus morbis eſt utilis, ſed etiam ſporadibus,ſeu priuatis. Vnde inquit Hippocr. oportet autem, & impetum populariter graſſantium morborum cito conſiderare,necnon & temporis conditionem tenere, ad prænoſcenda.n. in ægris accidentia maxime, inquit Gal. conducit popularium quoque morborum cognitio, qui iam præſentes,& item futuri ſunt,quos inquit Hippocr. perſtrinxit ſummatim 3. Aphor.& particulatim in lib. epidem. Inditijs enim morborum ipſorum adijcienda ſunt, inquit Gal. Quæ ex aeris conditione ſumuntur, quæ ſi una concurrunt ſpecie etiam adaugent ſin minus contra. Si enim inquit Gal. fluores ſanguinis futuri ſignat ex ratione morbi apparent, uere, & conſtitutione calida, & humida, talem fluorem fore ſperabis. Pari ratione imbre dominante, ſi ex morbi ratione ſudores futuros ſperabis, temporis conſtitutio ſpem augebit, e contra per æſtus ſqualentes, nullum ſudorem expectabis, maxime ſi non fuerint ſudores ex morbi ratione.

Annalium etiam conſtitutionum obſeruatio quantum conferat ad confirmandam uirtutem dierum decretorium demonſtrat Gal.quòd quantum ad prognoſticum,& ad curationẽ morborum omnium conferant norunt medici omnes. lib. præterea epidem.primo in prohœmio inquit Gal. quòd incognito incõ-

2. de diebus decretor.cap.7.

modo

modo quo noſtrum corpus aeris intemperies afficit,nequimus neque prouidere futuros,neque occurrere occurrentibus morbis;aut eos qui iam inuaſerint curare.

Eodem præterea authore operæpretium eſt noſcere immi- *3. epid. 3.*
nentia mala ex aeris intemperie,vt ibidem de calidis, & humi *32.*
dis tempeſtatibus exemplificat.Primum inquit diſcernendi cauſa,utrum alia cauſa hoc vitiũ ægris induxerit, an ex vulgaribus ſit morbis;deinde vt occurras,ne in tale quid incurras, nam offenſiones inquit ex aere ſi præuideas, ubi & quemadmodum fiunt, toto victus genere inſtituto a tempeſtate dominante diuerſo declinabis. Præterea ſi prædicere conſequentia velis, vel ad hanc rem hoc commentabere, ut corporis affectus in omni Cœlo cognoſcas.

Ex quibus conſtat,noſſe tempeſtates, & morbos epidemiales,& ad præcognitionem,& ad præſagiũ, & curationem dictorum morborum conferre. Quod confirmat Hippocr. alibi;
ſingulos autem inquit Anniſtatus prędiſcere eſt operępretium, *3. epid. 3.*
& morbos. Quid boni habeat ſtatus,vel morbus, commune, *in fine vlt.*
& quid mali ſtatui ſit, & morbo,commune &c.& tandem con- *textus.*
cludit hinc ſcire eſt quibus,quando, & quæ, ſit uictus præſcribendi ratio.

Addamus dictis ex Ptolomeo morbos communes, quoniam *2. de Iud.*
ex potentiori cauſa fiunt inexpugnabiliores eſſe morbis pro- *1.1.*
prijs,ſeu ſporadibus.contra Valeſ.qui male Hippocr.intellexit; *1. acut. 9.*
de qua re ſuo loco. Hoc autem quantum ad prognoſticum conferat,quilibet conſiderare poteſt.

Caput XXII.

DE curatione in communi morborum commu-
nium breuiter nunc dicendum: quam ab ipſo *2. de Nat.*
Hippocrate ſumemus. Curandum eſt in- *hum. 4.*
quit Hippocr. ut corpus, quam minime fieri poſſit, tumidũ, aut imbecille ſit,paulatim etiã de cibis,& potibus demendum,Curandumq; vt ſpiritus, quàm parciſſime in corpus influat; ſitque maxime familiaris.Locus præterea in vim alienam,ab eo in quo morbus ille excitatus eſt,mutandus,Et corpora extenuanda. Sic enim

fieri,ut homines,neq; multo,neq; frequenti ſpiritu egeant;Hęc Hipp.Qui curationē deſcribit morborum communium,quando ab aere ortum ducunt. Verum hunc curationis modum ad omnes alias cauſas accommodare poſſumus.In omnibus enim alijs etiam conuenit eadem curatio vno aere excepto. Cæteræ indicationes curandi non variant,ut infra patebit.Vnde ſi aqua, vel cibus,vel alia ſimilis cauſa fuerit horum morborum,prouidendum eſt,ut quam parciſſime in corpus egrediatur. verbi gratia cibus ſit parce ſumptus,uel aqua,ſitque, quam maxime familiaris,nempe uel cibum boni ſucci,uel aquam optimam eligendo, uel ſi præ penuria id facere non licet, cibum uel aquam emendando; locum præterea mutare debemus in vim alienam in quo morbus excitatus eſt,qui ſcilicet,uel aerem,uel cibum,uel aquam habeat ſalubrem.

Tract. de Peſte cap. 38.

Extenuanda præterea ſunt corpora, parce ea nutriendo, & ſi malis humoribus,uel multis repleta fuerint,ea euacuanda, & purganda erunt,de quibus omnibus tractatu de peſte. ubi maximam omnium auxiliorum inuenies:noui enim ex Gal.duplicem medicis conſtitui materiā;alterā in qua aduenit finis,quæ eſt ipſa hominum corpora; ſecundā vero ipſorum auxiliorum a quibus,uel ex quibus fit finis. noui etiam ex eodem non ſolum ęgrotantis naturas eſſe noſcendas,& morbi diſpoſitionem, ſed etiam uim auxilij,quòd adhibetur, & tempus,quo eo utendum eſt, uerum ſcio etiam non eſſe inutiliter repetenda,quæ ibi copioſe inuenies; nunc ſi fieri poteſt Hipp. defendamus.

2. de Criſ. 9.

Gal. commento loci nuperrime ab Hippoc. citati; uult hanc Hippocr. orationem mancam eſſe. Cum enim inquit halitus ſua potius ſubſtantiæ proprietate, quam ſimplici aliqua qualitate corporibus noxius fuerit,curandi rationem Hippoc. explicuit; rem hanc in duos referens ſcopos, locorum ſcilicet mutationem,ac uſum modice reſpirationis. At uero inquit Gal. in his,qui ex qualitate læduntur, non morborum modo iam factorum eſt curatio, uerum & cuſtodia ne illi ſuboriantur, per contrarias perficitur qualitates.. Quia ſi corpus ab immoderato offendatur calore, per refrigerantia, ſi a frigore per calefacientia,& ſimiliter in alijs qualitatibus,tam ſimplicibus, quam compoſitis agendum eſt.

Ex

Ex quibus Gal. uerbis conſtat ipſum uoluiſſe curandorum morborum communium rationem conſiſtere in mutatione locorum, in uſu modicę reſpirationis, ſuoque ipſe intelligit quæ a tota ſubſtantia halitibus peſtilentibus reſiſtunt, & in corrigendo aeris qualitates ſi adfuerint, ſuo contrario; hancque ultimam partem fuiſſe ab Hipp. omiſſam.

Mihi autem uidetur hanc quoque in dictis uerbis Hippocr. comprehendere, & etiam ſub illis maiora ipſum intelligere. docet enim procurandum eſſe a nobis, ut aer paucus, & familiaris inſpiretur. At quomodo erit familiaris, ſi uel ſuis qualitatibus, uel tota ſubſtantia nobis infertus fuerit? Familiaris ſi non offendat nos ſuis qualitatibus, neque a tota ſubſtantia uere dici poterit.

Quare uel locum mutando aerem familiarem procurabimus, uel aerem in quo degimus corrigendo qualitatibus contrarijs, uel ijs etiam, quæ a tota ſubſtantia illi aduerſentur ſicuti tractatu ſequenti demonſtrabo. Longiori ſermone hæc quo meo iuditio eſt uera Hippocr. ſententia, quam bene poſſumus ad duo reducere capita, locorum .ſ. mutationem, & uſum modicæ reſpirationis. ſub hac enim comprehenditur alius ſcopus, ut bene notat Gal. corporum licet extenuatio, ſi .n. modice reſpirare debent extenuanda ſunt.

Galenus non diſſimili modo tradit curationem peſtis quam in duobus conſiſtere dixit. Primo corpus ita præparando, ut aduerſanti cauſæ reſiſtere poſſit; ſiue aeri, de qua ibi loquitur, nempe corpus ipſum purum, & perſpirabile reddendo. Secundo præpotenti cauſæ aduerſando .ſ. uel contrarijs qualitati ipſam oppugnando, uel his quæ a tota ſubſtantia ipſi aduerſentur; debent ergo corpus ſecundum Gal. eſſe ab excrementis parum, & eſſe perſpirabile, quod eſt, quod dixit Hipp. extenuanda eſſe corpora: & præter hæc debet medicus, uel manifeſtis qualitatibus, uel his quæ a tota ſubſtantia ipſi cauſæ aduerſantur, eam oppugnare, quòd eſt locum mutare, aerem .ſ. uel nobis eum familiarem reddere. *1. de Dif.*

Prædicta autem ita peragenda ſunt, ut non confertim, ſed paulatim fiant, ſubitæ enim mutationes cauendæ multum .n. & repente aliquid facere nocet. *2. Aph. 51 & 6. epid.*

Vnde loco dicto de Natura hum. cum dixiſſet Hipp. uictus *3.27.*

 ſubitam

ſubitam mutationem eſſe cauendam; iubet, ut paulatim de cibis,& potibus demamus, & de uictus ratione conſueta nos uti debere iubet, ſi quando nihil uidetur ab ea hominem offendi; nam ſi a tali uictu conſueto offendi homines exiſtimabis, eum prius corrigendum eſſe ſecundum Hippocr. mentem non eſt dubium.Sed paulatim tamen.

Ex quo arguere licet, quod ſi non eſſet uictus conſuetus contrarius aeris temperamento,ut quia calidis, u. g. cibis aſſuetus eſſet ęger uti,calidaque eſſet aeris intemperies,quę communes morbos pareret, quod ab eo offenderetur æger, ac propterea corrigi talis uictus deberet, & ad contrarium mutandus eſſet, paulatim tamen, ut infra patebit, cum alijs etiam intentionibus exequendis. Sin contra,conſueto uictu utendum eſſe.

Huc potiſſimum referemus, quæ Gal. ipſe diuerſis in locis refert,& tam de præſeruatione,quam de curatione morborum communium quando ab aere dependent in ſolis qualitatibus alterato, maxime quando nulla fuerit peſtilens conſtitutio, ut hæc uobis etiam in omni curatione communium morborum deſeruiant.

Ipſe ergo 1.epidem.tempeſt.2 & lib.eiuſdem 3.32. & 1. de Diff.& 2.de Nat.humana 2.& l.artis med.c 85. multa ad hunc propoſitum dicit, a quib. fere locis infraſcipta tranſcribuntur.

In omnibus ſtatibus inquit attende cuiuſlibet hominis ætatem,& naturam,ut ſit ad ſtatum appoſitus, mox genus uitæ applicabis, atque ſalubrem uictus rationem uniuerſam ſtatui ipſi aduerſariam;idque etiam lib.de Salubri Dieta, & lib. de Dieta refert Hippocrates.

Atqui inquit Gal. ratio temperamenti in cauſa eſt, ut uel facile,uel ægre,corpus externis cauſis ſit inferius, aut ſimilis, aut diſſimilis. Nam temperatis corporibus ſalubris eſt temperatus ſtatus,intemperatis noxius licet, non ſic noxius illis ſit ſtatus intemperatus,ut intemperatis.

Intemperatis uero naturis ſimiles tempeſtates inſalubres ſunt,contrariæ his proficiunt, proinde ſtatus magnopere frigidi,& humidi, corpora maxime lædunt intemperata humiditate,& algore,humidi,& calidi,corpora calida, & humida offendunt,calidi,& ſicci,corpora calida,& ſicca, & ſic de reliquis.

Oriba.& euporiſt.1.15.

Quam ſententiam confirmat Hippocr. & ratio eſt quia, ut bene

bene notat Gal.cũ contrariorũ contraria ſint remedia, corpora quæ ſint in talem prona morbum,ex propria intemperie coarguuntur.Quæ contra ſunt,ut aer intemperata,cum nullam iniuriam accipiunt,tum uero multo meliora afficiuntur, cum ab exceſſu uindicentur.Quod qui cognoſcat,uictu contrario corporibus ſanitatem tuebitur.

Lib. de aere,l. et aq. & l. de Salub. dieta, & 1. de Dieta.

Nam humidus,& frigidus ſi ſit aer calefacienda ſunt corpora,maxime frigidiora,& humidiora. Quare exercitationes his proſunt, & uinum modicum, quòd calidior ſit natura, atque aquam ducat,& cibi calefacientes. ſupple, & reliqua alia;ſunt enim hęc pro exemplo.

Conſiderandum tamen,quatenus,uel aer,uel corpus ab optimo temperamento diuertat, ut pro diuerticuli magnitudine, uictus etiam mutetur qualitas, nam qui longiſſime diſceſſerit ab optima temperatura ad humiditatem, u.g. & frigiditatem; hoc plurimum in Cœli ſtatu frigido, & humido exſiccabimus, & calefaciemus:ſi mediocriter ad id,abſurdum fuerit omnino huic idem facere, ſed portione.

Itaque calidis, & ſiccis corporibus, multo minus uictus eſt adhibendus calidus,& ſiccus,nam id ſua ſponte obtinent. Hoc autem obſeruandum eſt quatenus aer deflexerit a iuſta temperamenti qualitate in frigiditate,& humiditate.Quod ſi parum, omnino,committendum nobis non eſt,ut mediocrem uictus rationem corporibus calidis, & ſiccis immutemus, ſin amplius, ſat erit modice mutaſſe.

Præterea inquit ipſe Gal.1,de diff.f.4. oportet in omni corporum genere, diligenter animaduertere ex qua maxime potentia ægrotare contingat, deinde corporum diſpenſationes, tam quæ eidem conſentiunt, quam quæ aduerſantur conſiderare,illud pro comperto habentes, quòd quæcunque conſentientes ſunt facillime læduntur.

Contrarias autem,& renitentes quantum viribus, & magnitudine contrarietas valet, tantum inuictas perdurare contingit.& inferius oſtendit Gal. quòd etiam cõfirmat 3. de humor. 12.corpora humidiora,tempeſtate humidiori omni via eſſe exſiccanda, quæ uero ſicciora,in antiquo habitu eſſe conſeruanda, at eos qui ſuperfluitatibus abundant,purgationibus eſſe ſanandos, obſtructiones foraminum eſſe aperiendas, atque de obſtruen-

obſtruendas;humorem autem in corpore peccantem aeri com plexioni conſonum,purgandum eſſe, & amputandam eſſe materiam eius, ſicut in alijs ægritudinibus oſtenſum eſt, docebat Haliab.

1. Pract. 26.

Ex quibus authoritatibus manifeſtum eſt,quod corpora temperata,a ſimili temperamento conſeruantur, ab intemperato offenduntur, & ideo corpus temperatum præparandum eſſe uictū, qui contrarietur aeris intemperamento, non tamen eadem menſura,quanta indiget corpus affectum, eadem intemperie qua aer affectus eſt.

Epilogus dictorū de curatione, & præſeruatione cō munium morborū.

Corpus uero intemperatum quoniam à ſimili intemperie ſemper læditur,ideo contrario eſt curandum, & præterea conſiderandum, quod uel intemperatum eſt eadem intemperie, qua aer intemperatus eſt,uel contraria. Si eadem, uel ſimili, uictus ratio quæ ordinanda eſt, multum ad contrarium declinare debet. Si uero contraria, tunc eſt conſiderandum, quod uel modice aer,a temperamento diuertit,vel multum,ſi modice mediocrem uictum eligemus,ſi amplius,ſat erit modice mutaſſe inquit Gal.

1. epidem. tempeſt. 2. com. 7.

Et quoniam quandoque res eo peruenit, ut ſolo regimine in ſex rebus non naturalibus minime dicta præſtare poſſimus, maxime quando ſuperfluitates in corporibus abundant,impura autem præcipue ſunt, quæ obſtructionibus laborant, ideo Galenus obſtructiones auferendas eſſe dicebat, & corpora eſſe purganda.

Verum quoniam, ut ſupra probauimus aer tempore peſtis non tantum manifeſtis qualitatibus nos oppugnat, ſed etiam a tota ſubſtantia,ideo & Hippoc.& Galenus iubebant, nos procurare illum nobis reddere familiarem ijs etiam, quæ a tota ſub ſtātia illi aduerſantur, uel eū mutare alio nos ipſos trāsferētes.

Hæc ſunt quæ qua potui ſermonis claritate, & breuitate de morbis communibus referre uolui,ſemper Hipp.& Gal.principijs adhærens,quæ neceſſario ordinem quē ſequuti ſumus poſtulabant:nunc ad tractatum de peſte accedemus, vbi quæ hic deſunt inuenire licebit,& forte perfectiori methodo.

Deum autem optimum maximum vna cum Platone inuocemus qui ad operis iſtius conſtitutionem propitius, & benignus adſit vna nobiſcum orationem noſtram exornaturus.

De Republ. dial. 4. l. 34.

Tract. de Mor. Comm. Finis.

DIOMEDIS AMICI

PHYSICI PLACENTINI

Tractatus de Peſte.

QVID SIT PESTIS. Cap. Primum.

PESTEM ex genere morborum communium eſſe ſupra diximus, ac proptere a nullum peculiarem librum de ea Hippocratem feciſſe, diximus etiam Galeni teſtimonio, tunc primum epidemiales morbos peſtilentes fieri, quãdo maior pars ægrotantium mori incipit. *1.acut. 9.* *6.ep.7. 1.*

In peſteque omne morborum genus excitari poſſe, licet hos magis, illos minus prout antecedens cauſa præſto eſſe uideatur eiuſdem teſtimonio, qui enumerat morbos peſtilentes populariter graſſantes, & dicit, quod multi diuerſis morbis laborabant, & quod multi moriebantur. Et ſine febre, & cum febre contra multarum opinionem, qui uolunt non poſſe morbos peſtilentes eſſe ſine febre. *Loco d. & 3.ep.3.12*

Ex quibus manifeſtum eſt, peſtem ipſam eaſdem habere cauſas, quas morbi communes habent, & ab illis ſola pernitie differre, ſiquidem, ut ait Gal. nihil eſt aliud peſtis, quam epidemia pernitioſa, ut ſupra diximus. Pernities autem oritur a morboſis excrementis, ſiue ſeminarijs ipſius peſtis, de quibus infra.

Quæ ſic præmittere uolui, quia multum conferunt ad ea, quę

dicturi

dicturi ſumus, quæ etiam tract. præcedenti probata ſunt. nunc reliqua aggrediamur, primum ergo quid ſit peſtis ipſa dicemus 2. quæ ſint eius cauſæ. 3. quæ ſigna illam demonſtrent. 4. quomodo homines offendat. 5. quæ ad prognoſticum faciunt dicemus 6. quomodo præſeruare nos ab ea poſſimus. 7. & ult. quæ ſit peſtil. morborum curatio, & ſymptomatum inſequentium dictos morbos.

PESTIS QVID, ET QVÆ SINT eius cauſæ. Caput II.

CVM iam ſupradictum ſit epidemiales morbos eos eſſe, qui multos in communi inuadũt, aliquo anni tempore in regione aliqua, & quod ex epidemialibus morbis eſt peſtis ob quam maior ægrotantium pars moritur: recte a Gal. dictum eſſe affirmamus, quod peſtis nihil aliud eſt, quam epidemia pernitioſa, ſiue morbus epidemialis, qui plurimos perimit, nam ex eo, quod multos eodem tempore, & eadem regione, aut eodem loco inuadat epidemialis, aut vulgaris popularisue eſt morbus, quòd plurimos interimat peſtis eſt, ut locis d. a Gal. conſtat.

Cauſæ iſtorum morborum peſtilentium, ſiue peſtis (non .n. nomina nunc curo) ut ab Hippoc. habetur, & a Gal. ſunt morboſa excrementa, aut coinquinamenta, ſiue halitus, euaporationes ue putreſcibiles, ut uocant Gal. quæ humano generi aduerſantur, ſiue ut Galeni uerbis utar, quæ a tota ſubſtantia humanæ naturæ infenſa ſunt, de quibus etiam loquitur Galen. 6. epid. 6. 5. .i. quæ ſpiritus ac calorem noſtrum inſitum primum, ac per ſe offendunt, cum illis ſint inimica, non corporis temperamentũ, ſed totam ſubſtantiam mutando humano generi aduerſa, uel a tota ſubſtãtia humanæ naturę, aut corporib. noſtris infenſa melius eſt dictum ab Hippocr. & Gal. quam illud, quod alij referunt nemper morboſa iſta excrementa, aut uapores aereos, ut ipſe uocant, uitali ſpiritui omnino aduerſari. Licet enim uerum ſit peſtem ſpiritui uitali aduerſari,, tamen ueriſſimum eſt etiam ut infra patebit, quod quandoque plus ſpiritibus aduerſatur, quandoque humoribus, quandoque ſubſtantiæ ſolidæue parti

Hipp, l. de Flat. & Hipp. & Gal. 2. de Nat. hu. & 1. de Dif. fe. 4.

cor-

cordis,ita ut ob hanc rationem,uel ſpiritualem febrem, uel humeralem,uel hecticam pariant dicta excrementa, ut infra demonſtrabo.

Dicamus ergo,quòd peſtis cauſa eſt uapor aereus, ſiue morboſum excrementum, aut coinquinamentum humano generi a tota ſubſtantia infenſum.

Quam peſtis cauſam nonnulli peſtem uocarunt,ſed de nominibus non curamus nunc ut dixi.

Dicunt autem uaporem eſſe, ſiue uaporem putreſcibilem, quòd dixit etiam Galenus, non quòd dicta coinquinamenta propriè uapores ſint,ſiquidem neque ſunt uapores, neque uapori quid ſimile ſemper exiſtunt.Cum quandoque ex materia prætenui, ſenſusque latente, quam cœleſtia corpora excitarunt,uel aliæ cauſæ,coinquinamenta iſta oriantur, & præterea quoniam coinquinamenta iſta maiora, quam uapores inferre ſoleant, & plerumque etiam eſſe contagio, quod tamen uaporum proprium non eſt. Sed uapores uocantur ob ſimilitudinem, & ut ſic iſtorum coinquinamentorum natura, modo plus nobis poſſibili manifeſtetur. *1. de Diff. feb. cap. 4*

Aereus dicitur non quia in ſolo aere conſiſtat,quod falſo aliqui arbitrati ſunt,ut ſupra tetigimus,& infra melius demonſtrabimus, quandoquidem,& in terra,& in aqua, & in nobis ipſis oriri etiam poſſunt,ſed aereus dicitur,quia frequentius in aere concipitur,unde factum eſt, ut de ſolo aere peſtilenti expreſſe loco dicto de Nat.hum.& 6.de Flatib.Hippocr.mentionem fecerit,uel aereus dicitur,quia licet in aere non ſit ortus, tamen quando ad alium tranſit,id mediāte aere facit,ita ut ex Æthiopia per aerem Athenas peruenerit peſtis, & quandoque contagio ab uno, ad alium mediante aere pertranſit, uel aereus dicitur, quia cum aere maxime habet ſimilitudinem, ut etiam alij uapores habent. *Trac. præſente c. 5. max. c. 6.* *Thucid. l. de Ther. ad pis. Lucret. 6. na.*

Humano generi aduerſa diximus,quod alij uenenoſa iſta excrementa uocarunt, uel quia inimicitia fraudulenta nobis aduerſantur, ut uenenũ, uel quia ubi ab eis grauis noxa illata eſt, nullis remedijs cedit ſicuti de deleterijs dixit Gal.uel quia ſanguinem noſtrum putredini aptum putrefaciunt,& corrumpunt eo modo quo facere Gal.dixit, uel quia dicta excrementa facile in uenenum tranſeunt inquit Ficinus, non quia inquit uene

na actu fiant ſecundũ formam, & ſui naturam, quia inquit ſi ſic eſſet, omnes ab eis inficerentur, ſed quia huiuſmodi ſunt qualitatis, ut facile in ueneni naturam tranſeant, & proprie inquit venena efficiuntur, quando per ipſa in humano corpore certo quodam gradu humores putrefiunt, & ſimul ebulliũt, id, quod inquit fit termino 3. dierum, vel citius etiam ſi quis ſuperfluis humoribus abundat pręcipue bile, & ſanguine: & quando inquit Ficinus ueneni ſapiunt naturam, calcis, uel arſenici, qualitatem recipiunt, quorum effectus eſt putrefacere, corrodere, ardereque intus, & extra, quibus trinis affectibus omni induſtria reſiſtere debemus.

1. de Diff. feb. 4. An modo uerum ſit, quod ſi ſeminaria iſta uenenum fierent omnes inficerent, uidetur dubium. Siquidem Gal. inquit, quod ab eadem cauſa licet potentiſſima, non omnes patiuntur, ſed aliqui nihil, aliqui parum, nonnulli multum prout .ſ. vel non ſunt apti ad patiendum, vel ſi ſunt, plus minuſue.

Sed illud conſiderandum, quod ſeminaria dicta, cum peſtem inferunt non poſſunt non eſſe in multa quantitate in corpore noſtro; præcipue quando in aere orta ſunt, modo ſi deleteriorum naturam induerent, cum deleteria ſi in maxima quantitate ſumantur quemlibet hominem occidant teſte Gal. & etiam quando in minima quantitate ſumuntur, niſi ſtatim antequam, ſcilicet, grauis ſit illata noxa illis ſuccurramus; certe mortem illico inferrent, cum tamen multos in peſtilenti cœlo ſanos uiuere uideamus, & ex ægrotantibus non paucos ſanari, licet eorum maior pars pereat. *3. de Sim.*

Sciendum eſt etiam ſeminaria iſta merito uenena appellari poſſe, quoniam a tota ſubſtantia humano generi ſunt inimica, ut dictum eſt, quòd uenenis uidetur eſſe proprium: idque faciunt ſemina iſta ſæpiſſime ſine ullo putrefactionis ſigno, ut etiam Iacobus Carpenſis notauit: & infra notabimus, neq; eſt, quod quis contendat peſtilentem febrem ob ſolam putredinem nos interficere, quoniam Gal. dixit hãc febrem differre ab alijs putridis uehementia putredinis, id quippe ueriſſimum eſt, ſed uehementia putredinis oritur, ob deſtructionem caloris innati, quam pariunt ſeminaria peſtis, non manifeſta ulla qualitate, ſed inimicitia illa fraudolenta, & a tota ſubſtantia, quam tetigit Gal. locis dictis non ſecus, ac dicimus uenena corroſiua eſſe *2. de Nat. hum. 4.*

putre-

putrefactiua, eo quia a tota ſubſtantia calorem innatum de ſtruendo corruptionem talem faciunt, cuius caloris innati proprium eſt ſuccos conſeruare, ſicuti præternaturalis eos putrefacere, ut cum de cauſa putrida febrium agemus optime conſtabit. Potiſſimum autem putredinem faciunt in corporibus noſtris, quando ea putredini apta inueniant, quod tempore illo calido, & humido contigit de quo 3. epidem. 3. ut infra dicam.

Seminaria præterea dicta tantam habent, cum uenenis ſimilitudinem, ut qui ab ipſa pereant, ob uenena perijſſe credantur. *1. de Cauſ. & ſig. ac. 7.* Sic Aretæus dicebat, quod in peſtilentia, quæ Athenienſes afflixit, exiſtimabant homines uenena fuiſſe a Pelopōnenſibus in puteos coniecta. Homines enim inquit peſtilentis morbi ſimilitudinem, cum Læthalibus medicamentis ignorabant.

Præterea ſemina iſta quando inueniunt corpora noſtra apta ad ſuſcipiendam infectionem ſuam, effectus ueneni pariunt, ac proinde Author l. de Ther. ad Piſonem aerem peſtilentem dixit eſſe ueluti uenenum.

Neque mirum eſt in aere ſeminaria adeo mortifera inueniri. Sicuti enim in terra ita in aere, inquit Ficinus, naſcitur uenenum, uerum non eſt ita potens, quia magis ſpargitur. Et *16. Nat. Quæſt. 27.* Seneca dicebat, mortifera nedum in terræ cauernis latere, ſed etiam in aqua, & in aere, a quibus ſæpe mors hominibus aduenit quicquid in contrarium nonnulli opinati ſint.

PESTEM NON SEMPER ESSE CVM contagio, & veteres nouiſſe contagium peſtis. Caput III.

DIXIMVS ſupra quòd per contagium quandoque ſeminaria iſta alios inficiunt, cęterum neotericorum plerique contagionem eſſe inſeparabile quid a peſte dicunt, ſiue formale eſſe febris peſtilentis in ſe includere ſemina contagionis lethalis.

max. Fracaſt. lib. 3. c. 3. de morbo. contag.

Præterea ſunt, qui dicant neque Hipp. neque Galenum neque quenquàm ex authoribus antiquis nouiſſe peſtem habere contagium.

Ego uero utrumque falſum eſſe demonſtrabo, neque .n. uerum eſt ut etiam ſupra dixi in peſte ſemper adeſſe contagium, ſed quandoque adeſſe, & ut ſimiliter, uerum non ſemper. Neque uerum eſt id ignoraſſe Galenum, nouit enim optime cum peſte adeſſe contagium, imo nouit etiam non eſſe hoc ita peſtis proprium meo iudicio, ut ſine eo eſſe non poſſit, & nouit etiam contagium cum ſporadibus, nutrire, & ideo recte fecit ſi indefinitione peſtis hoc non poſuerit, contentus ſolum eam appellare Epidemiam pernitioſam.

Quod ſine contagio peſtis eſſe poſſit, licet hoc uideatur aliquibus parodoxon, non eſt ratione certandum, cum hoc experientia demonſtrari poſſit, expertus eſt id Procopius grauiſſimus Hiſtor. inter gręcos, qui uerba faciens de peſtilentia illa magna, quæ illis temporibus uagauit, Cui nullum remedium inuentum eſt, pręterquàm a Deo, inquit. Curatores, & miniſtri eorum, qui peſte illa moleſtabantur dira atque intolerabilia patiebantur, adeo ut non minus ipſi quàm ægroti miſericordia digni fuerint, non quòd morbo & ipſi adficerentur, non enim inquit contagione is nocebat, ſed quòd furentes, aut e lecto ſe præcipitare, aut ad flumina ob ſitim properare uolentes ui retinebant, ecce in peſte iſta quam a Deo ueniſſe dicit, nullum aderat contagium, idem etiam Procopius refert peſtem, quæ ex malis cibis Romæ orta fuerat, de quo ne uerbum quidem ullum facit de contagio, nec mirum quia & noſtris iſtis temporibus per totam ferè Italiam cum ob annonę penuriam

2. perſici belli.

2. de bello Gottorũ et 3. eiuſdẽ.

limæ

malis cibis multi uſi fuiſſent, quòd in Belgica regione, ego etiam obſeruaui ab infinitis morbis uulgaribus corriperentur, ex quibus fere omnes moriebantur, nunquam tamen uiſum eſt contagium ullum.

Non negarem tamen ſi eouſque malum procederet, ut ex ægrotantium malo halitu aer, & ipſe afficeretur, contagium adeſſe poſſe; unde crediderim, quando ægrotantes huiuſmodi incluſi fuerint in thalamo aliquo niſi habeatur cura emendandi aerē, & ipſum a malis exhalationibus, & reſpirationibus ægrotantium expurgandi, quod non erit tuta eorum conuerſatio, quia poteſt aer contaminari, & ex eo fieri contagium. Sic ego obſeruaui, quandoque in peticulis dictis, cum tamen neque peſtis ulla adeſſet, neque epidemialis aliquis morbus uagaretur, ſed tantum morbi ſporades, ob eorum malum halitum, & expirationem affectionem ab ægrotātibus in alios, qui fere ſemper aſſiſtebant tranſiuiſſe, maxime autem fit in his contagium, quando peſtis in ſpiritualibus ſedem habet, unde fœtidum expirant, cum talibus autem non eſſe tutum conuerſari ob contagium 1. de Diff. feb. 3. notum eſt, ut infra dicam.

Ex quibus breuiter concludendum eſſe exiſtimo poſſe in peſte adeſſe contagium, & poſſe non adeſſe, & propterea, tanquā peſtis proprium ſignum non fuiſſe ab antiquis poſitum, cum neque ſemper, cum peſte ſit, neque ſoli conueniat.

Quod autem de contagio in peſte non meminerint antiqui falſum eſt: nam Gal. 1. de Diff. feb. 2. inquit non eſſe tutum, cum his qui peſtilenti morbo laborant uerſari, ne inde contagiū contrahatur, quemadmodum ex ſcabie, & pruritu contrahi ſolet.

Eodem etiam loco, & lib. ad Piſonem quiſquis illius author fuerit, patet ipſum referre peſtem, quam 2. de Pelop. bello deſcribit Thucidides, cum qua fuit contagium, ut ex ipſo uidere eſt manifeſtiſſime, idem Gal. lib. dicto de Diff. feb. cap. 3. non eſſe tutum cum his conuerſari, qui fœtidum expirant dixit, & 3. de Præſag. ex pul. ut infra patebit: peſte affectos fœtidum expirare nouit. Nouit ergo non eſſe tutum cum illis conuerſari, ratione .ſ. contagij, maxime autem hoc contingit, quando ſpiritualia ſunt a peſte primo apprehenſa. Idem Gal. inquit *1. de Diff.*
forte autem per continuum ex Æthiopia, quę putredinis fluxere contagia his quorum corpora ad patiendum erant parata *8.*

feb.

feb.ſ.peſtil.cauſæ,&c.ſeminarijs.ſ. ſucceſſiue per aerē ab Æthiopia in Græciam tranſeuntibus, qui aerem inficiendo contagiū faciebant.

Contagium etiam nouiſſe Hippoc.lib. de Flatibus cognoſci poteſt, ſi liber ille eſt Hipp.

Lucretius etiam in peſte contagium adfuiſſe dicit.

Qui fuerant autem præſto contagibus ibant.

Concludamus ergo ueteres etiam nouiſſe contagium quandoque in peſte adeſſe, ſed non ſemper, ac proinde Gal. contentus fuit uocare peſtem epidemiam pernitioſam, ut ſupra notauimus, nulla in eius deſcriptione facta mentione de contagio.

Concludamus etiam in peſte ab aere peſtil.procedente, tunc potiſſimum adeſſe contagium quando putrefactio in eo exiſtit, ut de peſte quæ ex Æthiopia aduenit conſtat 3. tamen epidem. 3.in tempeſtate illa peſtil. quæ ob caliditatem, & humiditatem putredine cauſante orta fuerat nō loquitur Hipp. de contagio. Siue quia non aderat, ſiue quia tāquā res nota ab eo miſſa fuit.

Concludamus etiam quādo a Deo optimo maximo ad ultionem in homines peſtil. mittitur, quòd poteſt eſſe ſine contagio: talem fuiſſe illam uult Procopius, de qua ſupra, ut notum fuit.

Zuinghe. in ſuis tab. eiuſdem lib. 6. Natur.

PESTEM PROPRIAM VNICVIQVE ANIMANTIVM dari, neque tamen ab uno animalium genere tranſire ad aliud, & an piſces peſte afficiantur; dari etiam peſtem aliam communem omnibus animalibus.

Cap. IV.

DIXIMVS ſeminaria iſta humano generi eſſe infenſa, ut per hoc notum ſit nos de ea tantum peſte loqui quæ humanum genus infeſtat, nam unumquodque animantium genus, peſte ſua propria, & quæ nō aliud genus animantiū afficiat capi pōt, de qua re infra dicam: uidi ego eam quandoq; ſæuiſſe in bubus ſolis: quandoque in pecora, quandoque in porcos, & quandoque in Gallinas. quandoq; etiam uolucrium genus perimit. Homer. 1. Iliad. & maxime ſiccitate, poſt caliditate peſtem vaſtaſſe canes, & mulos dixit.

De qua re Lucretius poſtquam dixerat, quomodo homines pe-

peſte afficiebantur ſic cecinit:

Conſimili ratione venit bubus quoque ſæpe.
Peſtilitas etiam pecudis balantibus ægror. Et Virgilius:
Hic quondam morbo cæli miſeranda coorta eſt,
Tempeſtas,totoque Autumni incanduit æſtu.
Et genus omne,neci pecudum dedit, omne ferarum,
Corrupitque lacus infecit pabula tabo. Et ſupra dixerat.
Quam multæ pecudum peſtes, nec ſingula morbi.
Corpora corripiunt. Neq; loquimur de peſte, quæ ſtirpes ẽt inuadit,ut Agricolę norunt ſyderationẽ vocant:noui eam q̃nq; in fructus arborũ,ita ſęuiſſe,vt male affecti admodũ oẽs eſſent.

Neque tranſit peſtis hæc ab vno animantium genere in aliud, nam quæ homines infeſtat,bruta nõ lædit,ſed a felibus,& a canibus circunferri peſtis ſeminaria in noxie videmus, non diſſimili ratione,ac videmus venena vni animantium generi etiam cibum , quod tamen alij ſint deleteria . Sic gallinæ ſerpentes innoxie comedunt , & buffones, ſic cicuta, & elleborus ſturnos nutriunt,quę tamen venenum ſunt omnibus Ficinus tamen infert poſſe ob ſimilitudinem carnis nõ ſpirituum in porcos tranſire ab hominibus .

Cauſam autem,quòd peſtis unum genus animantium,& etiã ſexum unum infeſtet,uel etiam particulares aliquos , alios minime;ea eſt quam Diuinus,Hipp.refert l.de Flatibus: ſiue alius eius lib. author.

Sed eſt inquit fortaſſe qui dicat ; ut quid ergo non omnibus animantibus,ſed alicui illorum generi accidunt,hi morbi.ſ.peſtilentes ? Cui inquit Hipp.ſic ego reſponderim:differt corpus à corpore,Natura a Natura, nutrimentum a nutrimento , non enim omnium animantium generi eadem , aut non conferunt , aut commoda ſunt.Sed ſunt alia,alijs magis conuenientia;quando igitur aer huiuſmodi coinquinamentis plenus eſt,quib.humana Natura offenditur,homines ægrotant,quando vero alteri cuipiam animantium generi aer inconueniens eſt, tum morbus illud genus corripit.

Eadem ratione fit,ut quandoque mares , quandoque fœminas infeſtet,& modo certam ætatem , ut Dionyſius Halycarnaſæus ait , ſicuti etiam modo pueros , etiam fœtus in vtero exiſtentes,ut Orib.& Euſeb.dixere, & modo ſeniores aggreditur

tur eſt, quæ eos corripit, qui temperamento ſunt calido, alia quę frigido.

Vnde non mirum eſt illud, quòd ferunt de peſte, quæ Baſileam infeſtabat: quæ Heluetios tantum inficiebat Italorum, & Gallorum neminem; niſi ratione Hipp. addamus id forte vltione diuina factum, quòd non raro factum eſt, ut infra demonſtrabo, gens eſt enim illa in hæreſi obſtinatiſſima, quæ flagella ẽt maiora meretur. Cui Deus ſit ſua miſericordia præſto, & duritiem a cordibus eorum pro ſua benignitate remoueat.

Dictis tamen non nulla obſtant, & primo, quia non uidetur uerum omni animantium generi peſtem contingere. aiũt enim ſi in aqua more piſcium uiuere poſſemus, quod a peſte eſſemus tuti: & Ariſt. 8. de Nat. animal. cap. 19. inquit morbum peſtilentem nullum incidere vniuerſis piſcibus uidetur, qualis plerunque hominibus, & quadrupedibus; equis & bubus, & reliqui generis nonnullis; accidit tum; feris, tum vrbanis, & cap. 20. inquit fluuiatile, & lacuſtre piſcium genus, peſte quidem, & ipſum immune eſt.

Cœterum verum eſt, quando peſtis ab aere procedit, quod ſi in aqua uiuere poſſemus, ut piſces, qui aerem non inſpirant, quod a peſte eſſemus tuti; ſi tamen ab aqua procederet, uerum hoc non eſſet.

Morbum uero peſtilentem uniuerſis piſcibus non contingere ita poteſt interpretari; quòd peſtis non contingit omnibus piſcibus, & hoc uerum eſt, quia marini piſces, præcipue, qui in aluo mari degunt non peſte capiuntur, & ſic de alijs in fluminibus petroſis dici poteſt: & lacuſtribus etiam, ſed paludoſis piſcibus poteſt contingere.

Præterea piſcibus nulla eſt peſtis propria, ſed peſtis vniuerſalis .i. quæ poteſt eſſe cõis omni animalium generi, de qua re infra dicam, piſces etiam moleſtare poteſt: & hæc cauſam ſemper in aere habet, modo ſi uerum eſt, quod Caſius in problem. ait, aerem non ingredi aquam ſaltem in profundo, cum ſub aqua, uel etiam depreſſa, non ingrediatur, & ob id ſub aqua. Vocem non poſſumus percipere, uidetur, quod aer non poſſit piſces inficere, nihilominus aer ſaltem, qui ſuperficiem aquę tangit illam uitiare poteſt, & hæc alias ibi contigua, & ſic ſucceſſiue.

Alio

Alio etiam modo aqua vitiari poteſt à tetris uaporibus eleuatis ab ea parte terræ, quam aqua tegit; quemadmodum ex alijs uaporibus, & exhalationibus mare agitari, & conturbari videmus. Adde ex Seneca, quòd aquæ inutiles peſtilenteſque in abdito latent, de quibus infra, cum de terręmotu agam, quæ ſi aquis lacuum, v. g. vel fluminum permiſceantur, ipſas peſtilentes reddere poſſunt, & iō peſtilētia piſces affici, & licet huiuſmodi caſus uidentur imaginarij, nihilominus credendum eſt propriam peſtem incurrere poſſe eos piſces, qui in aquis paludoſis, & ſtagnantibus degant, quia huiuſmodi aquam ob putredinem intenſam peſtilentes reddi poſſunt, quod tamen alijs piſcibus, qui in aquis degunt, quæ continuo mouentur non cōtingit. Et hoc eſt, quod voluit referre Ariſtot. nempe piſces minuſquam cœtera animantia peſte corripi. *6 Nat. quæſt. 7.*

Quod autem ſit peſtis communis omni animantium, videtur repugnare dictis ſuperius: diximus enim rem peſtem propriam unicuique generi animantium a qua cętera animalia diuerſi generis nam inficiuntur, & nihilominus eſt peſtis omnibus animantibus communis authoritate Pauli, & Aetij, & Auic.

Referunt enim iſti authores inter ſigna quæ aerem infectum a peſte demonſtrant, ut infra patebit, quod uolucrium genus primo interire uidemus, & quòd ſi rorem cœleſtem ante Solis ortum, collectum Cani ſitienti obtulerimus, quod morietur, idē contingere, ſi eidem cani offam panis, quæ ſub dio in ſublimi tota nocte permanſerit comedendam obtulerimus.

Præterea Thucidides inquit, quòd in illa peſte cum multa hominum cadauera iacerent inſepulta, alites quadrupedeſque ea, uel non adierunt, uel quęcunque guſtarunt attigeruntque periere, &c. ex quibus conſtat eandem peſtem quæ homines moleſtabat cœtera etiam animantia poſſe moleſtare, atque interimere. *2. de Pelop. bello.*

Ego illud dixerim id quidem raro cōtingere, quia rarum eſt peſtis ſeminaria communiter omnibus eſſe infenſa, uerūtamen ſicuti inter uenena ſunt aliqua, quæ uni animantium generi nutrimenta ſunt, licet homini ſint inimica, ſunt tamen alia quæ, & homini, & cunctis alijs animalibus nocent, & omnia animalia perimere, ſunt apta, ut ſunt pleraque deleteria ſublimatum, & napellum præcipue, & alia huius generis, ita etiam dicere poſſumus

mus poſſe peſtem oriri,quæ & hominibus,& alijs animantibus mortem inferat,nedum uni animantium generi, quia poteſt habere analogiam quandam cũ omnibus animantibus,ſiue id contingat ob ueneni magnitudinem intenſamue putredinem, ſiue ob aliam cauſam,quam alijs conſiderandam relinquo, id quod poſſe contingere crediderim,quando ab aere eſt peſtis, uel potius quando a Diuina ultione ortum habet, omnipotens eſt .n. Deus,qui ut lubet peccata noſtra punire poteſt.

CAVSA SEMINARIORVM PESTIS, ET primo de ſuperiori. Cap. V.

CONSEQVENS modo eſt,vt examinemus cauſas iſtorum ſeminariorum peſtilentium, licet ardua res ſit,& ita cognitu difficilis, ut homines ob huius ignorantiam cauſam in Deum retulerint de curatione conſulentes,inquit Gal. ea tamen quæ mihi magis ueriſimilia uidentur, exponere ordine tentabo.

Cauſa peſtis ſiue ſeminariorum eius eſt,uel ſuperior,uel inferior,uel eſt media inter ſuperiorem,& inferiorem. Superiorem voco, quæ uel a Deo optimo maximo in ultionem ſcelerũ humanorum prouenit, uel quæ ob configurationes ſtellarum nonnullarum,uel ob ecclipſes, uel ob aliqua ſydera magna euenire creditur.Sitque pace Galeni nobis cauſa hæc, illud Diuinum,quòd in morbis conſiderandum eſſe iubet Hippocr. innuens Hippoc.conſiderandum eſſe, an ſit aliqua morbifica cauſa quæ a ſuperioribus proueniat, non a uictu hominum, ut in morbis ſporadibus contingit. De prima iam ex Galeno paulo ante diximus,quòd ſæpiſſime homines in Deum cauſam referebant de conſultatione conſulentes,ex quo loco conſtat etiam priſcos authores hanc cauſam cognouiſſe.

In Proœ. l.epidem.

1.Prog. 3

Sed quod magis noſtram confirmat ſententiam ſunt authoritates in ſacris Biblijs repertæ, quarum alias hic pro exemplo ponam, ut Chriſtiani noſcant, atque omnes ob ultionem diuinam miſſam fuiſſe quandoque peſtem;quo ſi non ob aliud (ſaltem ob timorem) peccata fugiant.

Cap. 26.

In Leuitico inquit Deus,Si ambulaueritis,ex aduerſo mihi,

nec uolueritis audire me, addam plagas veſtras, uſque in ſeptu plum propter peccata ueſtra, emittamque in uos beſtias agri, quæ uos orbos faciant, & diſperdant pecora ueſtra, & ad paucitatem cuncta redigant, deſertæque fiant uiæ ueſtræ. Quod ſi nec uolueritis recipere diſciplinam, ſed ambulaueritis ex aduerſo mihi, ego quoque contra uos aduerſus incedam, & percutiam uos ſepties propter peccata ueſtra, inducamque ſuper uos gladium ultorem fœderis mei. Cumque confugeritis. In urbes, mittam peſtilentiam in medio ueſtri, & trademini in manibus hoſtium, poſtquam confregero baculum panis ueſtri, ideſt ſuſtentationem cibi, ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus, & comedetis, & non ſaturabimini, &c. quæ ibi uideri poſſunt; horrenda ſanè quę Hebræis cõminabatur. Si ſimulachra adoraſſent. 3. Regum iratus Deus contra Dauid, quia plus confiſus fuiſſet multitudini populi, q̃ nomini Dñi. Factus eſt ſermo Dñi ad eum. Et dixit Gat illi. Trium tibi datur optio, elige unum, quod uolueris ex his, ut faciam tibi. Aut ſeptem annis ueniet tibi fames in terra tua. Aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & illi te perſequẽtur. Aut certe tribus diebus erit peſtilentia in terra tua. Nunc ergo delibera. Reſpondit Dauid. Coarctor nimis, ſed melius eſt, ut incidam in manus Domini (multæ enim ſunt miſericordiæ eius) quam in manus hominum. Immiſſitque Dominus peſtilentiam in Iſrael de mane uſque ad tempus conſtitutum, & mortui ſunt ex populo ſeptuaginta millia uirorum, en quomodo ob peccata, peſtilentiam Deus optimus maximus ad nos mittat. Et quod dixit Dauid, quod eligendo peſtem cadebat in manus Domini, quaſi quod ex eo ſolo ueniat, & in eo ſolo conſiſtat remedium.

Apud Ezechielem inquit. Si quòd pro eo, quod ſanctum meum uiolaſti in omnibus offenſionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis, ego quoque confringã te, & non parcet oculus meus, & non miſerebor. Tertia pars tui peſte morietur, & fame conſumetur in medio tui, &c. & paulo poſt, & immittam in uos famem, & beſtias, peſſimas uſque ad internetionem, & peſtilentia, & ſanguis tranſibunt per te, & gladium inducam ſuper te. Ego Dominus loquutus ſum.

Hæc pro exemplo ex ſacris Biblijs ſufficiant. Nam ſi plura

quæris inuenies calamitates,quę in communi omnes attingunt a Deo optimo maximo ob peccata immitti, nedum peſtes, ſed fames, naufragia, bella, uaſtationes terrarum, atque adeo totius mundi excidium,ut 6.Geneſ.& 7.Deuter. & 32. & Oſeæ 4. & Hierem. 12.& 14.& 3.Regum 17.manifeſte conſtat.

Neque deſunt teſtimonia ex Hiſtoricis fide dignis,quæ prędicta corroborant.Sic referunt, quòd tempore Valeriani Imperatoris peſtilentia ferè totum orbem occupauit ob perſequutionem ab eo in Chriſtianos factam, uoluit enim Deus uiolentam illorum mortem peſtilentia ulciſci.

2.de Bello Perſico. Procopius etiam inquit fuit inſuper ijſdem temporibus ingens peſtilētia cui remedium nullum inuentum eſt præterquā ex Deo unde uenit,quamquam inquit multi adrogantes phyſiologiæ cauſas commentari contendant, uanas quidem omnes, & inueſtigabiles,tantumq; ſermone decipientes, hic enim morbus nulli,neque ætati,neque ſexui,neque loco parcebat, &c.

2. de Bello Gottorum. Agatinus ueriſſimus Hiſtor.ait.Morbum peſtilentem de repente inuaſiſſe Francorum exercitum,quem Leutharus eorum Imperator Cœnedam receperat,in ea ut in tuto, cum ſuo exercitu uicturus,& cum opibus male partis fruiturus. Cœterum inquit peſtis multitudinem abſumebat,ita ut partim circumiectorum locorum aerem,ut noxium cauſarentur, & huius mali fuiſſe originem hunc dicerent,partim etiam uitę accuſarent mutationem, quandoquidem ex aſſidua exercitatione,longiſque itineribus,ad otium,& delitias diuertiſſent. Morbi tamen inquit Agatinus principium,& calamitatis neceſſitatem non admodum pernoſcebant. Iniuſtitia, namque rebus ſacris, legibuſque humanis illata iniuria,exitij cauſa his,ut reor fuere.Cui rei, uel princeps ipſe argumento ſat fuit; quem ex Deo ingeſta ſupplicia diuexabant,quippe qui demens iam factus,in apertam rabiem eſt uerſus.Vt amentes ſolent,& furibundi vertigo. Præterea crebrior eum excepit, eiulatuſque edebat horribiles,cerneresque nonnunquam quo,uel utrumque in latus proruendo illęſus ſolo uolutabatur,abundantique ſpuma os ipſum profluebatur,tamen oculi horribiles uiſu inuerſique erant, & eo iam miſer ueſaniæ uenerat,ut uel propria membra deſæuiēdo guſtaret,brachijs ſiquidem,ubi iam mordicus inhæſiſſet,den

tibus

tibus carne dilacerata in feræ beſtiæ morē is veſcebatur,defluētemque lingebat cruorem. Sic demum ſuo exſaciatus, & paulatim deperditus miſerrime ex humanis exceſſit. Cœteri uero paſſim moriebantur, nil penitus renitente malo quouſque tandem uniuerſi interiere,quin etiam uel febre maior pars degrauata mortem obibat,nonnullos apoplexiæ morbus accerrimus inuadebat. Alij capitis dolore peribant,& mentis exceſſu quidam. Itaque dum uarie omnes afficerentur,in pernitiem morbi ipſi cedebant:cum Leuthare igitur, & cœteris omnibus, qui eum ſequebantur, ſic actū eſt,& hunc ea expeditio habuit finē. Hæc Agatinus,quæ ad uerbum tranſcripſi,quia hoc manifeſtum eſt exemplum Dei optimi maximi in eos ſęuientis, qui iniuſte ſe gerunt,& rebus ſacris,legibuſq; humanis iniuriam inferunt, ita ut, & horrendas peſtes in eos immittat.

Similem quoque peſtem refert idem Author, cuius cauſam inquit Diuinam iram fuiſſe quidam dicebant,quæ non immerito humani generis nequitias puniat, & hominum multitudinem mutilando concidat. *5.l.eiuſdē.*

Hanc itaque peſtem quandoque ſolo iuſſu,nullis ad eam paratis cauſis, ſiue inferiores, ſiue ſecundas uocemus Deus optimus maximus mittere uidetur,ut ex ſupradictis notū eſt,quam diximus eſſe primam peſtis cauſam.

Frequentius tamen quibuſdam medijs, atque inſtrumentis utitur, quibus uel aerem corrumpit, & nos ſic affligit, ſæpiſſimeque ſignis quibuſdam nos admonet forte, ut nos ab erroribus emendemus.Miſericordia nō Iuſtitia uſurus,ſi ut decens eſt pęnitentiam egerimus,id ipſum innuiſſe Ariſt. referunt cum dixit coitionem Iouis, & Saturni Regum principatus oppreſſos iri,arſuramque peſtilentiam. *L.de Cau. proprietatum elemētorum.*

Signa talia ſunt ecclipſes luminarium,ac cōſtellationes,quas etiam cauſas peſtis ſuperiores uocant,ille enim ſyderum conſtitutiones in quibus plures planetarum in unum coeunt, potiſſimum ſub inſignibus aliquibus earum ſtellarum quas fixas uocant magna, & noua portendere ſolent, ut exemplis conſtat apud multos. *max.apud Raimūdū Vinarium lib. 1.c.1.*

Quod ſi tamen quandoque hæc appareant, & tamen neque peſtis ulla, neque aliud notabile flagellum ſequatur, id forte contigit, quia interim ira diuina placatur, uel ob Romanæ

Eccleſiæ Catholicæ, atque Apoſtolicæ preces, uel etiam ob pęni tentiam, quam & principes, & eorum populi faciunt, licet enim multi mali ſint, boni tñ, & Sancti uiri non deſunt, qui pro nobis peccatoribus preces ad Deum optimum maximum fundunt, ob quam Deus iram ſuam a nobis auertit, de qua re infinita apud ſacras Bibl. habemus exempla, & nos in dies experimur.

Fracaſt. Quomodo autem mutationes fiant in iſta inferiora a dictis ſyderibus uaria dicunt. uoluere aliqui ex eorum calefactione eleuari uapores ex aquis, & terris qui mox uarias, & incertas corruptiones faciant, & licet iſtud fiat per accidens, tamen non in cõuenire, quod etiam fiat ut plurimum.

Alij dixere quandoque ex coniunctione Saturni, & Martis in ſigno calido, & humido, ut Virgo, & Gemini, trahi uapores calidos, & humidos ab aqua, & a terra, quos Mars calidus, & ſic cus exiſtens inflammat, unde aer alteratur, & corrumpitur. Aliarum item ſtellarum influxus id præſtare ferunt alij.

Val. 2. epi. Sect. 1. Alij dixerunt ſydera dicta afferre hanc, uel illam intemperiem, pluuiam, aut uentos inferentem; aut contraria, cũ m iſthęc inferiora a ſuperioribus gubernentur, unde par eſt mutationes fieri maxime in aere, ac prinde ex his ſyderib. dixere aliqui præ cipue peſtem timendam eſſe, quando aliquod ſignum concomitatur corruptionem demonſtrans, ut ſi arbores ardere uideantur, id enim aerem nos circumſtantem non ſublimè affici demõ ſtrare, eoque magis ſi aer per plures menſes puluerulentus appareat, quod impurum eum eſſe demonſtrat quare attractus per inſpirationem nobis peſtem affert.

4. Meth. 1 Valeſius ueteres ea de cauſa aſtra nominaſſe aſſerit, quia magnas mutationes uoluerunt ſignificare, quæ fiunt illis orientib. maxime ar. canicula, Arcturo, & Pleyad. & quatuor punctæ Zodiaci illos nominant, quia repentinarum mutationum ſunt ſigna inquit ipſe.

Raimundus e Vin. l. 1. de peſte 2. c. 26. Alij ſpecifica quadam forma, aut peculiari poteſtate illa facere dicunt, ut corpora noſtra, quòd ab ipſis influitur recipiant, quã ſẽtentiam Fernel. ſequutus eſt. melius Iſaac qui uoluit cauſas horum effectuum non poſſe niſi a perfecto Aſtronomo cognoſci, & ſi quis arguat medicos, quia deſcribunt ea quę ipſi ne queunt definire. Sat eſt inquit, quando iſthæc uident, quod ipſi præparando corpora uenturæ corruptioni repugnare ualent,

lent,cum nihil poſſint imprimere mali niſi in corporibus ad ſuſcipiendum malum paratis.

Vtcumq; ſit, uel ex teſtimonio Hipp. l.de Aere,l.& aquis,ut *l. de Aere.* ſupradictum eſt,& primo de Dieta,& ſecũdo eiuſdem in princip. *l.& aqua.* & 4.epid.48. ex ſyderibus iſtis magnas mutationes in iſtis *part.1.tit.* inferioribus ſequi uidemus,& inquit 4.epid. Aſtrũ natura exiguum *13.& par.* in ſolſtitio hiemati,quinta autem poſtea terręmotus. Si *3.tit.11.* ergo iſtud ſit,poſſunt multas mutationes, & in Aere, & in nobis *4. epid.48* metipſis facere,quòd ex varijs Hiſtor. obſeruare licet:nam de anno 1448. Solis defectio fuit,quo anno maxima, & cruentiſſima *Supl. Cro.* bella multis in locis ſurrexere, ac in uniuerſa Italia cędes, *l. 15* rapinæ, direptiones, incendia, uaſtationes, & infinita alia mala,& ſequenti Biennio tanta fuit ubiq; peſtis, ut de multis pauci remanſerint.

Hæcq; de ecclypſi Solis,& de aſtris dicta ſufficiant, quę cauſa tanti eſt apud Fernelium,ut ipſe dixerit hanc ſolam eſſe,quę peſtem inferat,nam aliæ cauſæ, quas infra referam putridos, & malignos morbos tantum, non peſtilentes inferre dixit: quæ tamen opinio falſa eſt, & contra Hipp. & Gal. ut ex dictis, & ex infra dicendis patebit.

DE CAVSA INFERIORI PESTILENTIÆ. Caput VI.

ALTERA peſtis cauſa eſt inferior ut dixi,& eſt uapor ex inferioribus terræ partibus ad Aerẽ eleuatus, ipſum uitians, uel alio modo hominibus pernitiem inferens,ut infra patebit. ita patet a Gal. 1. de Diff. f. 4. Cuius cauſa ignoratur, ut aliqui inquiũt,& re uera poſſunt in terræ uiſceribus, ob uarias cauſas tam materiales, quàm efficiẽtes, & formales, uapores fieri, qui poſtea Aerem ipſum, dum exhalant inficiunt aut corrumpunt,& ſi quęris eorum cauſam, & quomodo erumpant,& quo modo inficiant aerem, corporaue noſtra lædant,non eſt facile inuenire,ſic Seneca multa mortifera in alto latere dixit, nec Aer ſolum diu interclufus corruptusq; *vti nat.27* cum eſt longo ſitu emiſſus,purum,hunc Aerem liquidũque maculat,ac polluit,inſuetumq; ducentibus ſpiritum,affert

nona

nona genera morborum, ſed etiam ipſæ aquæ inutiles peſtilen teſque in abdito latent inquit Seneca, quas non minus ferè quã aer communes facere morbos, refert Gal. 3. de hum. 3. ut quas quanquam uſus exerceat, inquit Seneca, nunquam aura liberior uerberet. Craſſa itaque ac graui caligine ſempiternaque tectę, nihil niſi peſtiferum in ſe, & corporibus noſtris contrariũ habent, aer autem qui mixtus eſt illis, quique inter illas paludes iacet, cum emerſit, late vitium ſuum ſpargit, & haurientes enecat. Et ſequenti capite inquit. Multa autem terras habere mortifera, uel ex hoc intellige, quod tot venena naſcuntur, nõ manu ſparſa, ſed ſponte, ſolo ſcilicet habente, vt boni, ita mali ſemina. Quid quod pluribus Italiæ locis per quædam foramina, peſtilens exhalat uapor, quem non homini ducere, non feræ tutum eſt. Aues quoque ſi in illum inciderint antequam Cœlo meliore leniatur, in ipſo volatu cadunt, liuentque corpora, & non aliter quam per uim eliſæ fauces tument. Hic ſpiritus, quã diu terris continetur, tenui foramine fluens, non plus potentiæ habet, quam ut deſpectantia, & ultro ſibi illata inficiet. Vbi per ſæcula conditis tenebris, ac triſtitiam loci crenit, in uitium ipſa ingraueſcit mora, hoc peior quo ſegnior. Cum autem exitum nactus eſt, æternum illud umbroſi frigoris, & infernam noctem ſoluit, ac Regionis noſtræ aerem infuſcat (Vincuntur enim meliora peioribus) tunc etiam ille ſpiritus purior tranſit in noxiũ, Inde ſubitę continuæque mortes, & monſtroſa genera morborum, ut ex nouis orta cauſis, breuis aut longa clades eſt, prout vitia ualuere. Nec prius peſtilentia deſinit, quam ſpiritum illũ grauem exercuit laxitas Cœli, uentorum iactatio. Hæc Seneca, quæ demonſtrant, quod multi ex terra halitus quandoq; peſtilentes errumpunt, qui aerem, & nos inficiant, quod etiam Lucretius teſtatur hiſce Carminibus.

6. Natur.

Primum multarum ſemina rerum
Eſſe ſupra docui, quæ ſint vitalia nobis.
Et contra quæ ſint morbo mortique neceſſe eſt.
Multa uolare ea cum caſu ſunt forte coorta.
De terra ſurgunt vbi putrorem humida nacta eſt
Intempeſtiuis pluuijs, & ſolibus iſta

Sic ob terrę motus eodem Seneca teſte, peſtilentiæ, ſæpe ſunt ortæ, quod ex Hiſtor. obſeruauimus etiam ſic de anno 1228. ter

ręmotus

ræmotus magni, & adeo repente orti ſunt, ut in montibus ſaluijs ad quinque millia hominum mortuos fuiſſe ex terræmotu ſcriptum ſit, cui tandem maxima, & crudeliſſima peſtis ſubſequuta eſt; & de anno 1450. peſtis multis Italiæ locis, & maxime Mediolani deſæuit, vbi ad 60. millia vrbanæ multitudinis extenuata ſunt, & per agrũ Mediolanenſem etiam fæda ſtrage deſæuit, ſequenti uero anno ubique peſte laboratum eſt, ut pauci de multis ſuperfuerint. Quòd quidem, & penuria magna, & ſuperior Solis defectio, & frequentes terræmotus indicauere. *In Suple. Cron. l. 13* *Loco dict. lib. 15.*

Quandoque tamen nulla peſtis ſequitur ad terręmotus quantumuis ingentes, quòd annis elapſis in eo terræmotu, quo uexata eſt Ferraria obſeruatum eſt. Non enim ſemper talis effectus ad terræmotum ſequitur.

Quandoque exhalationes iſtæ non ſunt ita manifeſtæ, & tamen ad eas ſequitur peſtis, quòd in nonnullis locis obſeruatum eſt, in quibus ſolis peſtis etiam ſæuiſſima orta eſt. Cuius cauſam in exhalationes dictas contulimus, cum in illis ſolis ſæuiret nulla alia cauſa præcedente, niſi quòd magnus numerus inſolitus, bufonum, ranarũ, & ſimiliũ animalium ex putredine ortorum vbique cernebatur, & tamen aer abunde temperatus ex ſe videbatur, & circumcirca nullus communis morbus aderat, neque vlla fuit ſuſpitio delati aliunde contagij.

Ex huiuſmodi terræ exhalationibus, plerunque contingit Aquilegos, & qui cuniculos moliuntur, & multo frequentius metalli foſſores interimere, vnde aliqui dicunt eos baſiliſcum vidiſſe, aut aliquem Dœmonem illos ſuffocaſſe, cum cauſam huius effectus ignorent. Sic Albert. magnus aperto puteo Patauij, multos ante annos clauſo, multo efflatu ab eo exhalante, multos fuiſſe peremptos inquit, & Georgius Agricola idem refert de quibuſdã foſſinis atrũ vaporẽ ſpirantibus, huiuſmodi vapor fuit, qui ex puteo ſalſi maioris iam per multos ante annos clauſo erupit: a quo vapore duo homines ſuffocati ſunt, dum vnus poſt alterum in illum ingredi tentaret. Tertius uero ſemianimis extractus, & tandem reuiuiſcens, retulit ſibi ad fundum putei appropinquanti, ueluti auram quandam ipſum ſuffocantem occurriſſe Theis 4. l. 7. tract. 3. De qua re etiam Auenzoar, ut alia omittam, ſic inquit, quod quando cordi aliquid venit ex putrefacto aere corrupto, quòd ſuæ naturæ, & complexioni ob-

uiet a tota ſubſtantia,& natura,ſubito moritur; propter nobilitatem ipſius cordis,cum ſit principium, & finis uitæ uniuſcuiuſque animalis,& paulo poſt inquit in ſumma dico, quod cor in uita habet magnam neceſſitatem, quia uidemus, quod quando homo intrat in puteum,in quo aer aliquo modo non mouetur, uel in aliquam grottam,ſyncopizat,& amittit ſenſum omnino in continenti,& ſi diu moratur ibidem, moritur ſubito, quia aufertur, helitus, ſine quo ne una quidem hora viuere poſſumus,ut ipſe ibi demonſtrat.

Præter dicta referunt Hiſtorici olim Babiloniæ aperta uetuſtiſſima arca exhalatum inde pernitioſiſſimum ſpiritum,peſtem ad parthos,uſque propagaſſe, & Marco Imperante, ab Auidij Caſſij militibus reſerato quodam anguſto foramine, quod longiſſimo tempore prius occluſum fuiſſet, peſtem deinde ingentem ſequutam.

Viloualanus ſuo tempore inquit prope Neapolim uidiſſe in ruinam montem, & quod ſerpentes infiniti exiuerunt de illo monte.Et monſtruoſi,& ob hæc corruptus eſt aer illius loci adeo,ut omnes de terra illa quaſi mortui fuerint.

Vapor etiam iſte eleuatur a lacubus,paludibus,aquis ſtagnātibus,latrinis, ſentiniſque à quo vapore peſtilentiam omnium peſſimam fieri teſtatur Magnus ille Auenzoar loco ſupradicto, & dum hæc ſcriberem de Anno 1594. Nolæ Ciuitati contigit ob aquarum multitudinem ex puteis ſcaturientibus, & ob ingentes pluuias, poſtea ſtagnantibus,& putreſcentibus in ciuitate,morbos peſtilentes fuiſſe ortos, qui uniuerſos fere incolas perimerunt ; uidetur Iulius Alexandrinus tales uapores uenena uocari poſſe, concedere quum hos halitus ſolæ potius ſubſtantiæ proprietate, quam ſimplici aliquā qualitate corporibus ſint noxij teſte Gal. 2.de Nat.hum.4. modo halitus iſtos uenenoſos aerem contaminare poſſe, ita ut peſtem inferant non ē dubium,ut ibidem à Gal. patet,ergo halitus iſti,ſiue ſemina peſtis uenenum poſſunt dici,& cum a tota ſubſtantia lædāt,remedijs,quæ a tota ſubſtantia illis aduerſentur ſunt curandi,de qua re etiam infra.

L.de Ther.

Similem excitat uaporem cadauerum multitudo inſepultorum,& non crematorum, quod in prælijs ſolet contingere, uel etiam Gal.teſte 1.de diff.f.4.& Theodoro Siculo 4.Bibliot. 1.

Si-

Similem corruptionem in aere excitarunt locuſtæ illæ innumerabiles, mari immerſæ, & poſtea ad littus reiectæ, quod in Aphrica contigit,& in Gallia de anno 1364 cum inſepultæ putreſcerent,& aeri poſtea putredinem communicarent;non diſſimilem piſces in litore maris putrefacti multorum teſtimonio peſtem ſæpe excitarunt. Ex uaporibus etiam a fimo eleuatis, aut a pellibus,aut lino,aut canabi in pigriori, uel ſtagnanti aqua maceratis aer inficitur. Ferunt ſimiliter ex Braſſica,ex buxo,& ex lara,uel ſimilibus magnum fętorem habentibus vitiari aerē, & præterea uult Galenus ex odoribus cœnoſis, aut paluſtribus morbos uulgares, & omnis generis oriri; quæ omnia demonſtrant aerem ex uaporibus malis ad ipſum eleuatis uitiari. Huiuſmodi cauſæ peſtis particularis ſunt ſæpe cauſa vniuerſales autem cauſæ ſunt potius, quæ a fluxu cœleſti fiunt, uel quæ ab aere, de quibus etiam infra. *Gal.3 de Hum. 3 et l.de Adūb. fig.empirici f.2212. et 1.de Sā. tuēda pag. 337.*

Quandoque uapor iſte peſtilens in corporibus noſtris generetur,cum fame compulſi homines,ueſci alimentis peſſimis coguntur,unde corpora replentur prauis ſuccis, a quo prauo ſucco ſeminaria dicta oriuntur, quæ morbos peſtilentes pariunt, uel etiam teſte Gal. ut ſupra diximus, id quod inter græcos oēs confirmarunt, & etiam Nonius non contemnendus medicus lib.de feb.t. 9. nec mirum cum uenena etiam in uaporibus noſtris,quandoque generentur 6. de Loc. & 3. epidem. 3 75 .non eſt autem alienum a ueritate,quod ex halitu peſtilenti, & pernicioſo horum corporum, atque ex eorum expiratione aer inficiatur & peſtilēs reddatur, præcipue quando in aliquo loco cōcluſi remaneant ægrotantes,niſi optimis remedijs,quæ inferius referam,ad id optime ſit prouiſum. Publicus autem aer difficillime,ab hac cauſa inficeretur meo iudicio, præcipue quando in aperto optime uentilatur. Hinc eſt,quod licet tempore penuriæ ingentis ſequatur quandoque peſtis, epidemiaue pernicioſa, non tamen aer fit peſtilens, quod his temporibus noſtris experientia confirmatum fuit,maxime quando cura habetur ſepeliendi,uel cremandi corpora;neque eo quia aer non eſt peſtilens redditus,negari poteſt non eſſe peſtilentes tales morbos,ut ſupra dixi,quidquid in hoc alij dixerint. *1. de Diff. f.3.& l.de cib.boni,et mali ſucci.*

Quandoque uapor iſte peſtilens a locis peſtilentibus ſtudio defertur cum pannis laneis, uel pelliceis,aut alia re huiuſmodi

in qua peſtis ſeminaria latere poſſunt,qui panni poſtea in locis aliquibus demiſſi aerem contaminant, ſed præcipue eos afficit, qui ignari,quid mali latitet in pannis dictis eos ſecum domum afferant,tanquam alioqui pretioſum lucrari,cum tamen paulo poſt ſe anguem in ſinu ſuo geſtaſſe experiãtur,eſt quando a mercatoribus merces ſuas deferentes,hac lue infectas peſtis originẽ habet,qualẽ fuiſſe conſtat q̃ annis elapſis multas urbes deuaſtauit.In qua peſte licet aer non ſit peſtilens,tamẽ niſi,qui pręſunt ſanitati diligentes fuerint,latius ſerpit, diutiuſque tenet aerem craſſum, & nubiloſum,ac impurum,& urbes populoſas,& quæ habent aquas ſtagnantes,uel lacuſtres,& uias publicas,ſtercoribus, fimis,vel huiuſmodi impuritatibus coinquinatas. Hæc .n. & alia huiuſmodi impuriorem reddunt aerem,& ideo putredini,& peſti magis aptum,& in ſumma ad luẽ hanc ſuſcipiendã, & diutius conſeruandam.

Modo ſeminaria iſta peſtis in aere concepta, uel ſua venenoſa qualitate alterant tactum ſpiritus, & ſubſtantiam cordis fraudulenta illa alteratione,quæ & corruptio & putrefactio im proprie vocatur,vt infra dicam,& ita calorem natiuum deſtru unt,& extinguũt,uel calorem ipſum natiuum labefactant, vt ſu pra dictum eſt,quo labefactato putreſcunt humores ſpoliati cu ſtodia ipſius calidi innati,unde febris peſtil.ex quibus patet feb. peſtil.cauſam potiſſimam eſſe ſeminaria dicta,nõ putredinem, cum putredinis potius quæ ſolet ad peſtem ſequi ipſa ſemina cauſa ſint calorem natiuũ labefactando,& quando in corporib. 3.ep.3.75 noſtris generatur, tale quid operatur,quod Gal.refert, quando humor ueneno ſimilis coaceruatus eſt in corpore.

Eſt inquit Gal.eorum morborum admiranda generatio,quonam pacto in commode ualentes ſubito inuadãt; nempe non eſt perinde generationis ſubita cauſa,ac ipſorũ eſt generatio, ut ſi medicamentũ homo læthale ſumpſiſſet, uel beſtia eum uirulenta momordiſſet,ſed pedetentim in corpore cauſæ, quæ ſunt excitandis huiuſcemodi malis creſcunt,quod morſis uſu uenit a rabidis canibus.Nam apertum eſt non ociari,neque conquieſcere canis uenenum,licet ſe aliqua nota non prodant,multis interim proximis menſibus. Verum illis ſtatim, cum uiderint aquam,formido inceſſit, poſteaque breui moriuntur, longo .n. tempore cauſa,quæ rabiem efficit, augetur, quę ubi eo tandem

per-

peruenerit mortem adfert repentinam. Item quando uitioſus in corpore, humor coaceruatus fuit, ueneno læthali prope adſimilis, in corporibus uicinis aliquid paulatim agit, quæ quando iam uitio opportuna erunt, humorque euaſerit uitioſiſſimus, lethale repente apparet ſymptomata.

Hæc Galen. a quibus apparet, & quomodo uenenoſi humores in corpore operentur, & cur repentina mors ſuperueniat.

DE CAVSA MEDIA INTER SVPERIOREM, & inferiorem. Cap. VII.

ALTERA peſtis cauſa dicitur eſſe quæ media eſt inter ſuperiorem, & inferiorem, quam ad Aeris conſtitutionem referunt, & ad uentos, qualis fuit tempeſtas illa calida, & humida, a uentis in totum ſilens, de qua. 3. epid. 3. & de qua meminit Galen. primo de Temperam. 4. Cui ſimilis fuit illa quæ Cranoni fuit a perenni Auſtrino flatu perflata, de qua 2. epid. 1. Huiuſmodi Aer calidus, & humidus, a uentis non perflatus, peſti eſt aptiſſimus, ut potè qui putredinis omnes cauſas ſortiatur, caliditatem, ſcilicet, & humiditatem, & immotus ferè manet, & hæc cauſa apud nonnullos, tanti momenti fuit, ut crediderint inter Aeris alterationes eam ſolam peſtis eſſe cauſam, quod minime uerum eſt, ut infra patebit, Gal. ſolum caliditatem exſtrinſecam innuit morbos peſtilentes poſſe facere, ſi quando inuenerit corpora humiditatibus referta, ad putredinem eſſe parata, referens nempè Hiſt. Thucid. inquit. Sed in tugurijs ſuffocantibus, æſtatis tempore, habitantium corpora corruptione laborabant, At quia humores corporum ex uictus prauitate erant putredini obnoxij, hinc febribus peſtilentibus origo data eſt, forte autem inquit Galenus per cõtinuam ex Æthiopia quædã putredinis fluxere cõtagia, his quorum corpora erant ad putredinem parata febrium cauſæ futura, hæc Gal. quæ ad uerbum referre uolui, ut uniusquiſque cognoſcat, ſecundum Gal. mentem, ex præcedente æſtate admodum calida, in corporibus ad peſtem paratis, ortam eſſe peſtem Athenienſium quam Thucidides refert, niſi forſan

1. de dif. feb. 4.

per

per contagium Athenas peruenit,quòd poſtremum quidem infert Thucidides,cæterum ꝙ præceſſerit Æſtas calida,& ideo ꝙ corpora ad peſtem parata fuerint ea infecta,non uideo Thucididem dicere niſi forſan male,uel ſaltem non benè textus Thucidid. ſit translatus hoc ſolum Thucid. infert ꝙ in ciuitate eos magis urgebat peſtis quia qui ex Agris in ciuitatem confugientes ob domorum penuriam in cauernis animam ſtrangulãtibus habitare cogebantur tempore ęſtiuo,& ratio patet,quia in tali aere calido admodum,& tum ob naturam ſuam impuro,qualis eſt,ſcilicet cauernarum,tum etiam ob multitudinem hominum impuro facto,uix uiuere erat poſſibile, ꝙ ſi fortè unus captus peſte erat. Sic poterat aerem talem putredini maximè aptum citiſſimè inficere,ita ut omnes poſtea peſte caperentur.

2. de pelop. bello.

Verum ſit quomodocunque, ſi corpora habuerint malos in ſe humores,ut ex uictus ratione præcedente, & intenſiſſimus calor ſuperuenerit, & dictis humoribus iungatur, cum ambę cauſæ putredinis concurrant,tunc fit maxima putredo, & inde peſtis,nam uehementia putredinis ab alijs putridis feb. differt, feb. peſtilens,ut infra dicam. talem refert peſtem Diodorus Siculus 14. bibl. neque id mirum uideri debet; nam non ſolum calor extraneus humoribus prauis adiunctus putredinis eſt cauſa,ſed etiam quando bilis ipſi iungitur,quæ licèt actu humida ſit poteſt tamen ſicca eſſe,& nedum bili,ſed oſſibus ipſis,qui & poteſtate,& actu ſicca ſunt calor pręternaturalis iũctus in eis putredinem inducit,ut per hoc poſſimus cognoſcere quantum ualeat ad putredinem faciendam calor præternaturalis, eoque magis quoniã licet fuerit intenſus,& per hoc exſiccare habeat, tamen ſpiritus non uentilat,ſed potius reſoluit ,unde datur occaſio putredini,ſicuti.n.naturalis calor cõſeruat ſuccos,ita pręternaturalis calor eos corrumpit, etiam absq; prohibita tranſpiratione,naturalem calorem corrumpendo,cuius eſt propriũ corpus noſtrum conſeruare,quæ eſt mens Gal. xi. Meth. ſi bene eius uerba conſiderentur ut Tract. de febr. putrid. probauimus,& l.de Maraſ. etiam ab eodem patet.

Homerus præterea primo Il. refert ad intenſiſſimam caliditatem,& ſiccitatem in canes,& mulos, peſtem fuiſſe ſequutam, calida nimirum animalia,& ſicca peſtem paſſa , tum ob analogiam,quam peſtis ſeminaria,cum illis habebãt,tum etiam quia

ab in-

ab intenſo calore eorum calor naturalis deſtructus, & præter- naturalis introductus putredinis occaſionem dedit.

Caliditas ergo præternaturalis,& omne,quod naturalem ca lorem diſpergit intenſæ putredini cauſa eſſe poteſt, ut etiam Alpinus refert:unde poſtea fiunt peſtis ſeminaria. *1.de Mor. Aegip.16.*

Neque obſtat,quod Gal. dixerit calorem citra humiditatem nihil habere,ut putrefactionem faciat. Verum eſt enim calidita tem,ſine humiditate non poſſe putredinem facere,ſed ſat eſt ca liditatem,in corporis noſtris inuenire humiditatem aptam pū- tredini, id quod facile contingit, quando caliditas tanta eſt, quæ calorem innatum deſtruit. *3.de Cōp. med.ſecundum genera.*

Non ſolum aer calidus,& humidus,uel calidus tantum pe ſtis eſt cauſa,uerum etiam quando in eo fiunt uariæ,& repenti- næ mutationes idem præſtat,Auic.& Gal. teſtib. quia inquiunt ſubſtantia aeris tunc corrumpitur.Forte talis fuit illa aeris con- ſtitutio peſtilens ab Hippocr.deſcripta, quæ uaria fuit ob muta tionem ſæpe,& repentinam in aere factam a uentis modo Au- ſtralibus,modo Borealibus,& a niuoſis tempeſtatibus, ubi ui- dere eſt, quòd licet non fuerit magis Auſtralis, quam Borealis illa conſtitutio,neque minus frigida,quam calida,quod tamen fuit peſtilens, & re uera dictum fuit ab Hippocr. quando aliæ poſt alias fiunt multæ alterationes in aere,potiſſimum generãt morbos, & in inconſtantibus temporibus fiunt morbi incon- ſtantes,& mali iuditij Hipp.& Gal. teſtim. *6.epi.7.1.* *3.Aph.1. & 8.*

Philotæus præterea ex Ruffi ſententia inquit in ſiccitatibus peſtil.Morbos fieri,& inter eos bubones peſtilentes;ex ſiccitate inquit facultates diſſoluuntur,quibus diſſolutis ſequitur crudi- tas,ad cruditatem ſequitur ſuperfluitatum redundantia,ad hãc bubones. Cœterum, quod fiant ob hoc bubones peſtilentes non uideo. Sat ſit ergo dicere quando ex ſiccitatibus uires deij- ciuntur calorem naturalem proſterni,& ideo poſſunt in noſtro corpore humores putrefieri,& ſeminaria peſtis oriri. *3.Aph.3.*

Vel forte poteſt dici quando in ſiccitatibus peſtis fit, non ra- tione ſiccitatis oriri,ſed quia aliunde per continuum delata fue re peſtis ſeminaria,uel etiam poteſt dici, tunc peſtem a Deo in ultionem fuiſſe miſſam,ut antea dixi, & infra referam, cum de ſignis cauſarum peſtis acerba faciam, uel quod in tali intempe- rie ſeminaria peſtis inimica humano gñri fiunt;at qũo Deus ſit,

Alij

Alij dixere in ſiccitatibus peſtem oriri,quia tunc pluuia deſideratur,& fontes, ac flumina exſiccantur, unde bruta ob ſitim moriuntur, a quorum putrido uapore aer corrumpitur; quaſi, quod tunc peſtis non ueniat a uaporibus eleuatis ex brutorum cadaueribus,& non a ſiccitate, quæ ſi hoc modo putredinis cauſa eſſe poteſt,per accidens certe id erit: infra etiam in ſiccitatib. quæ ſubſequutæ fuerunt ad cometas antecedēti anno uiſas peſtem factam fuiſſe conſtat. Sed non mirum, quia poſt ingentes ſiccitates ſequutę pluuiæ multę,ex quibus datur occaſio putredinis.

Humiditatem aeris intenſiorem peſtis cauſam eſſe poſſe,quoniam ex largioribus pluuijs uaporibus repletur aer putredini aptis, præcipue ſi quandoque caliditas accedat, nemo eſt qui neget.

Venti a loco peſtilenti perflantes maxime omnium ſeminaria peſtis,per aerem deferunt,ad longinquas etiā Regiones, ut ſupra ex Gal. & Thucidide dixi de peſte ab Æthiopia Athenas delata:peſtis huiuſmodi infeſtauit litora Maris Adriatici,uento deferente a litore oppoſito ſclauorum,ſeminaria peſtis, de anno 1456. Herculano teſte, uel etiam paulatim aer peſtilens ſerpit per aerem ab uno loco, ad alium, licet non tam late ſerpat malum,ut quando a uentis defertur. De qua re Lucretius ſic cecinit.

Proinde vbi ſe Cœlum,quòd nobis forte alienum eſt.
Commouet,atque aer inimicus ſerpere cœpit
Vt nebula & nubes paulatim repit, & omne
qua graditur conturbat,& immutare coartat,
Fit quoque, vt in noſtrum, cum venit denique Cœlum
Corrumpat,reddatque ſui ſimile, atque alienum.

Auſtri præterea leuiter flantes aeremque putridis uaporibus replentes peſtis ſunt cauſa,ut 3. epide. 3. habetur,quod tamen non faciunt in illis locis,in quibus ſitus loci repugnet, 1. enim epidem.tempeſtate prima deſcribit Hipp. totum annum fuiſſe Auſtrinum,ſine pluuijs, & tamen nulla peſtis ſequuta eſt, ſed morbi tantum epidemiales, quos ibi recenſet Hipp.

Vbi inquit Gal.quod niſi ſitus loci obſtitiſſet,Thaſi.ſ.ubi uiguit hæc tempeſtas, qui locus uentis Aquilonarijs erat expoſitus,quod peſtilens fuiſſet illa tempeſtas.

Ob

Ob has ſimilesue ca uſas putrefit aer,& in ſubſtantia corrumpitur,& fit peſtis, vt ſupra dixi, cum egi de communibus morbis,& ab Hippocr. & à Gal. 2. de Nat. humana præcipue, & a Paulo,& Aet.nec non,& ab Auicenna,& omnibus Arab.& etiã ab Auer. dictum eſt. *7.Col. 13.*

ATTAMEN NON VIDETVR VERVM, QVOD aer putreſcat,quia vt notum eſt putredo ſolis mixtis, non elementis contingit. Cap. VIII.

DICENDVM quod aet purus elementalis non putrefit, ſed aer impurus coinquinamentis iã antea dictis plenus, quidquid Valeſ. dixerit, id quod optime etiam notauit Nicolus Florentin. Vnde Ariſtot. dixit 4. Met. ſolum ignem putredinis eſſe expertem,quoniam .ſ. ſolus ab iſtis coinquinamentis tuetur. *Val.4.Meteor. Tom. 1.*

Vel dicas,quod aer non uere putrefit,ſed quid ſimile putredini peſtis tempore conſequitur,ac proinde,& fœtor,& mollities, vel teſte Auicenna illi contingat, & licet aer etiam putridus fieret, non tamen propterea ſtatim arguere licet, ut multi faciunt.Aer eſt putridus,ergo a tota ſubſtantia nobis infenſus.

Si quidem ex hoc ſequeretur, quod omne putridum a tota ſubſtantia nobis eſſet infenſum,neq;ſum cum Iulio Alexandrino,qui minus obſtinate cõtendit tempore peſtis aerem ſola intenſa putredine nobis aduerſari, non a tota ſubſtantia, nam vt omittam aliter ſenſiſſe Gal.2 de Nat.hum.4. dico quod licet putrefieri poſſit aer:tamen ſeminaria etiam peſtis continet ob quę aer in tota ſubſtantia corrumpitur, & noſtrum poſtea corpus afficit,& calori noſtro adeo aduerſatur, ut remedium fere non habeat,uel paucis remedia ſint auxilio,& quæ putredini illi de more uocatæ, ẽt reſiſtunt, parum proſunt, ob quod Diuinum potius quam humanum implorant auxilium,& ideo alia multa auxilia dantur,quę a tota ſubſtantia conferunt,ut etiam ex Gal. probauimus,ut omittam peſtem,quando vltione Diuina oritur poſſe eſſe ſine putredine,vt infra notum erit, vide etiam Fern. de Abd. rerum cauſ.contra Iul.Alex.c. 10. *Li de Theriaca.*

Non ualet tamen argumentum nonnullorum, qui probare

nituntur aerem tempore peſtis a tota ſubſtantia nobis etiam infenſum eo quia uenenoſus ſit,nam ut omittam, quod ſupra dixi, quomodo aer ſit venenoſus,non licet arguere, hoc eſt uenenoſum ergo a tota ſubſtantia nobis infenſum, ut enim alias rationes omittam,multa ſunt venena,quæ ſuis qualitatibus manifeſtis nobis uenena ſunt,ut a Gal.habetur maxime 3.de Simpl.in fine,& etiam à Dioſcoride videre eſt,uenena enim,uel dicuntur, quia ſanguinem noſtrum putrefaciunt ſicuti deleteria, uel quia noxæ quam inferunt, vix remedium inueniri poteſt.

Neque ad probandum aerem a tota ſubſtantia nobis etiam infenſum ualet ratio a nonnullis allata, id ſcilicet, conſtare ex Hippocr. quum aerem procurauit emendare cum igne non a quauis materia excitato, ſed a lignis redolentibus. Si quidem ignis, & per ſe a quauis materia excitatus, ſed a materia redolente multo magis,urere, & extinguere poteſt coinquinamenta in aere exiſtentia, & ipſum aerem puriorem reddere, quomodocunque impurus ſit,licet ueriſſimum ſit,ut antea dixi aerem peſtilentem a tota ſubſtantia nobis eſſe infenſum,uel peſtis ſeminaria dicta,& ideo in curatione, & præſeruatione nos debere uti nedum his,quæ aeris qualitatibus manifeſtis aduerſantur, ſed illis etiam,quæ a tota ſubſtantia illi ſunt contraria uel Gal.teſtimonio,ut ſupradictum eſt 2.de Nat.hum.

Ex dictis etiam patet, quod licet ex anni conſtitutionibus illa potiſſimum quæ calida,& humida eſt, & a uentis in totum ſilens ſit maxime peſtis cauſa,quod tamen non eſt uerum hanc ſolum eſſe peſtis cauſam,ut multi dicunt, cum aliæ multæ ſint peſtis cauſæ,ut ex dictis notum eſt,licet enim 3.epidem.3. unã tantum cõſtitutionem, poſuerit peſtilentem,quæ calida erat,& humida,non ob hoc tamen negat alias conſtitutiones eſſe poſſe peſtilentes,præſertim quoniam in eo libro non morborum cauſas docere uelit, ſed ea tantum referre, quæ ſuis temporibus contigere in hac,uel illa regione;præterea 6.epidem.7. primo, ut iam dixi aliam deſcribat peſtilentem conſtitutionem uariam, borealem,auſtralem,& niuoſam, ut per hoc pateat Hippocrat. alias tempeſtates peſtilentes nouiſſe,pręter eam quam calidam, & humidam poſuit 3.epidem. plures ſcripturus,ſi eas uidiſſet. Alij alias ſcribunt, prout ſuis temporibus,uidere eas contigit. Omnes tamen iſtæ peſtis cauſæ ad unam illam reduci debent,

quam

quam Diuinus Hippocr. retulit, nempe ad ſeminaria humano generi infenſa, ſint modo in hac modo in illa tempeſtate, & modo ſint in aere, modo in terra, aut aqua, uel nobis metipſis orta, a cibis mali ſucci, hæc ergo eſt peſtis cauſa propria.

Proxima cauſa eſt labes iſta cordi communicata media cauſa eſt cacochymia, plenitudo, & in ſumma aptitudo corporis ad peſtem ſuſcipiendam, de qua infra. Cauſæ, ſine quibus eſt reſpiratio, & tranſpiratio, quando ab aere ſit; cauſæ diſponentes ſunt timor, perturbatio mentis, conturbant enim humores, & uires imbecillitant, & ideo ad peſtem ſuſcipiendam diſponunt, id quod de alijs ſimilibus cauſis diſponendis intellige, & licet quando corpus eſt peſte aptum agens cauſa, cum ſit adeo potens in momento ferè operetur, nihilominus ſufficiens mora eſt neceſſaria plus minus ſecundum analogiam corporis ad peſtis cauſam.

Concludo ergo quoniam adeſt tempore peſtis, fortitudo agentis, ſi debita fuerit agentis, cum patiente diſtantia, mora ſufficiens, & aptitudo patientis, quod effectus ſtatim ſequitur, & ideo pauci admodum ſeruantur tempore peſtis, maxime quando cauſa eſt in aere.

SIGNA PESTIS FVTVRÆ, AB OMNIBVS cauſis, ſed præcipue a ſuperioribus. Cap. IX.

CONSEQVENS modo eſt, ut ea deſcribamus ſigna, quæ peſtem portendunt. Siquidem ut Rufus inquit, & refert Paulus, Aet. & Oribaſ. Si quis ſolerti ingenio præditus fuerit, futuram peſtem prænoſcet attendens anni temporibus, quæ & mala ſunt, & in bruta animalia impetum faciunt: ſi enim ambiens nos aer peſtis cauſa fuerit, uolucrium generis prior interitus erit, & quæ noctu uolare ſolent, uolant de die, & e cõtra inquit Villonouanius; hæc enim conſtat alterationes aeris multo magis, & multo citius ſentire, *Vale.6.ep. 4.23.* quam cœtera animalia, ſicuti piſcium genus alterationes aquæ magis ſentiet, utriſque enim eſt quædam familiaritas cum ſuo domicilio. Hinc fit, ut uenti, & imbres auium uolatu, & pertur-

batione demonſtrẽtur, tempeſtates uero maris piſcium pertur batione, plus ſolito ſubſultãtiũ, & gregatim huc, & illuc decurrentium. Quorum ratio eſt, quin aer uaporibus multis ijſque craſſioribus admixtus craſſeſcit, cum ſuſtant imbres. Mare uero cum inſtant, tempeſtates, exhalationum, quæ materia uentorum eſt, mixtione turget. Vtraque autem aliena, & uitioſa eſt affectio illa aeris, hæc aquæ, atque utraque ſympathiam habentia animalia tangit, ob hæc etiam nos hic dicimus, quod tale uitium, quale in aere, uel aqua, uel terra tempore peſtis eſſe debet quando ab aliqua cauſa in his exiſtente oritur, ab animalibus in illis degentibus ſentitur, unde ſi in aere, citius uolucria pereunt, ſi in terra pecudes, & alia huiuſmodi animalia terreſtria, ſi in aqua piſcium genus. Hinc eſt, quod ſubdunt dicti Authores, ſi uero ex prauis de terra exhalationibus, hæc continge rit quadrupedum animalium prior corruptio fiet. Adde tu, ſi ex aqua uitio piſcium, genus prius corrumpetur; aderuntque alia ſigna aquæ uitioſæ, ut quia ſtagnans, paludoſa, & putrida. Et præterea ſi ex uitioſis cibis ſit orta, Annonæ penuria præceſſit & victus praui vſus; quòd omnibus notum eſt. ſi ex Cœlo ecclypſes, & conſtellationes peſtem minantes apparuerunt, ſi ob ultionem Diuinam, præceſſerunt offenſæ præſertim publicæ, ob quas omnipotens Deus, tanquam uidex uictus, & ſeuerus nos caſtigat, uel tanquam benigniſſimus pater nos corrigit; iratus quidem, ſi ſine pœnitentia Diuinam Maeſtatem ſuam uitæ prauitate offendere perſeueramus; benigniſſimus autem cum paterna cura, ad ſalutem, & emendationem nos caſtigat. Hæc quidem ſatis eſſe poterunt in arte exercitatis; ueruntamen, ut clarior res omnibus euadat, dicamus, quod peſtis euentum maxime timere debemus, quando cauſæ ipſam efficientes adſunt, proinde ſi luminarium apparent ecclypſes, uel coniunctio aliqua ſyderum ingentium, de quibus ſupra; peſtem timere debemus, maxime, ſi hæc cum alijs ſignis adfuerint. Cum ergo plura conueniunt, aut inuicem iungantur, tunc ſcito in ea Regione ubi apparent, mutationes magnas poſſe contingere. Conſequuntur enim inquiunt humiditates plurimæ, ob multos uapores a terra, & ab aqua eleuatos, mox ſiccitates ingentes conſumptis dictis uaporibus, atque ob exuſtionem circa terram, & aerem factam, unde ob iſtas mutationes aer corrum-

pitur

pitur in ſubſtantia,& ob hoc peſtis, licet quando ſiccitas humiditatem ſequitur potius eam emendat,ut ſupra diximus, cum de communibus morbis ingenere uerba fecimus, niſi dicamus iſtas mutationes ob dictas cauſas factas repentinas eſſe, uariaſque,& inconſtantes,unde aeris ſubſtantia corrumpitur, ut fieri diximus ſupra, ex Auicenna,& alijs. Has, aliaſue cauſas habeat medico, ſat fuerit præuidere, quid futurum,ſequè opponere peſti,& his quæ manifeſtis qualitatibus,& his quæ a tota ſubſtantia illi aduerſantur de quibus infra.

Quod ſi coniunctio illorum ſyderum ſit plurium quidem ſub maioribus illarum ſtellarum,quæ fixæ uocantur; tunc etiam aliquam inſignem contagionem portendere talem coniunctionem dicunt.

Sunt etiam aſpectus planetarum quibus aſtronomi huiuſmodi portenta aſcribunt,qui ſicuti non ſunt negligendi,ita tam non ſemper timendi, non enim ut antea dixi ad hæc ſigna ſemper effectus ſequitur.

Luem etiam a ſuperioribus pendere demonſtrat,eodem die & eodem tempore complurium inexpectatus, ac repentinus languor.

Quin etiam multorum interitus in locis, ac regionibus ntanis, ſeu altis etiam à Borea perflatis, quo tempore tamen ſeruantur, qui in depreſſis, & cauis locis Cœlo inerti,ac craſſo habitant, peſtem a ſuperioribus pendere demonſtrant.

SI-

SIGNA PESTIS AB INFERIORIBVS prouenientis. Cap. X.

PESTEM autem fieri ab ſolis inferioribus demonſtrant crebri terræmotus, de quibus ſupra. Quadrupedum prior interitus, ouium præſertim, tum quia melioris ſunt naturæ, tum quia propiora terris ferunt capita, cum afflatum uaporis peſtilentis circa ipſam terram exceperint, licet tunc hominibus non noceat, tunc enim officiet, quando maior exierit, niſi forte antequam a terra altius exurgat, ita ut ab homine trahi poſſit, illum copia aeris ſinceri extinxerit, inquit Seneca.

Aues etiam prope terram ſolitæ uolare, ſublimia petunt. Animalia, quæ in cauernis latitare conſueuerant, ut mures nonnulli, talpæ, & ſerpentes ſuperficiem terræ, tunc occupant, ut luis iſtius nocumenta deuitent. Fungos multos terra producit, & quos producit fructus inſuaues producit, & facile putreſcentes, Ranæ, Bufones, uermes, & alia reptilia quæ in terræ uiſceribus oriuntur multiplicātur, ut in peſte quadam obſeruauimus, ſicuti antea dixi, id quod intellige de alijs ſimilibus animalibus ex putredine ortis, ut de papigliribus, culicibus, cimicibus, lacertis, Araneis.

SIGNA PESTIS AB AQVA FVTVRÆ. Cap. XI.

AQVA etiam ſua præbet inditia, nam vt omittam, quod antea dixi de perturbatione piſcium, & eorum morte, quam potiſſimum contingere eſt ueriſimile ob peſtilentes vapores a terra quæ aquæ ſubiacet eleuatos, ut ſupra dixi c. 4. tunc euidenter apparente. Flumina inundant, & diu repugnant; a quibus paludoſa loca fiunt, & Cœnoſa, a quibus aer corrumpitur: ut de Nola antea diximus.

In Summa Chronicarum.

Sic de Inundatione Tyberis Romæ facta de anno 564. legimus, quod in immenſum Tyberis fluuius excreuit, vt ſua inūdatione populo Romano magnas detulerit calamitates, id quod multis

multis Vrbibus contigiſſe dicitur, quæ quidem prodigia Cladem maximam Italiæ futuram portendebant, quod breui poſt euenit; peſtis enim poſtea in vniuerſo orbe fuit de anno 567. quæ miſerabili ſtrage Italicos omnes, & præcipue Ligures proſtrauit, &c.

Sic eodem in loco legitur, quod de anno 1428. Tyberis fluuius totam urbem inundauit, quod etiam contigit de anno 1444. & ſtatim ex more ſæua peſtis ſubſequuta eſt.

Et his noſtris temporibus inundauit idem fluuius, & poſt paucos annos tanta penuria tota Flamineam, & Marcam, & Lombardiam cœpit, ut ob prauum uictum maior pars populi extincta ſit. Vlterius, & arbitror progreſſura ſtrages niſi ab infinitis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ precibus, & ob pœnitentiam peccatorum ira Diuina placata fuiſſet.

Prædicta quidem poſſunt eſſe, & ſigna, & cauſæ peſtis ut conſtat, ſi eorum quæ antea diximus memor fueris.

Sic peſtem ab aqua prouenire demonſtrant alia animalia in aquis quando moriuntur, uel quando aquam deſerunt, uel ad eam non reuertuntur. Cygni præſertim aquam deſerunt hoc tempore, quia aquarum ſecreta naturali ui prænoſcunt.

SIGNA PESTIS A CAVSIS MEDIIS INnuuntur aeris futuræ. Cap. XII.

AB aere certiora etiam ſigna habemus, crebræ inciſiones in aere apparentes, quæ in ſecunda regione aeris a uocato hypocaumate fiũt, ut cadentia ſidera, cometæ, trabes, ages, & id genus, de quibus, & Ariſt. & Plin. ſecund. l. 2. & Card. l. de 7. Erratic. ſtellis. c. de Lemnis. fol. 87. ubi uide eius diſſer. & quid ſignificent, hæc. n. in aere *1. Meth.* circa terræ regiones exiſtente fiunt, e fomite lento, & æſtuoſo, uel calido, & ſicco, denſo, & uiſcoſo, ut Ariſto. ait. quare huiuſmodi uapores qui e terra eleuantur talis eſſe demonſtrant naturæ, qui facilè putreſcant, & aerem inficiant. *1. Meth. 4*

Alii inquiunt, ꝙ huiuſmodi ignes dominium alicuius Aſtri oſtendant maxime Martis, ut Albertus Magnus ait, a quibus peſtem eſſe timendam iam diximus debent autem eſſe crebri dicti *1. Met. 10*

ignes

ignes ſi talia portendere debent, nã pauci id facere nõ poſsũt.

Neq; ſic prætermittendum cenſui, ꝙ illi merito reprehendendi ſunt, qui aſſerere non timent cometas,quia fiũt ab exhalationib.calidis,& ſiccis, q̃ humores poſſunt accendere complexiones diſtemperare ad caliditatẽ, & ſiccitatẽ,& ideo peſtem demõſtrare,& etiã cauſare,uerum ſic quidem cholericarum,& acutarum ægritudinum eſſe cauſæ poſſunt,at peſtis non uideo. Eſt qui Autumno peſtem demonſtrare cometas aſſerit, quæ & fuit Auic. ſententia, nec iniuria iſta ſigna maius malum eo tempore ſignificare,cum ſit peſſimum,ut antea dictũ eſt inter tempora totius anni, & ut teſtatur Celſus l. 2. primo, ut infra dicam. Seneca inquit cometarum euentus non tantum uentos ac pluuias minari,ut Ariſt. uoluit,ſed totum annum ſuſpectum reddere, & certe obſeruatum eſt quando apparent, ſubſequi aliquod inſigne malũ,& licet bonum quandoq; ſubſequutum fuiſſe uiſum ſit,non accidit inquit Cardanus,quia calamitas unius eſt fortuna,alteri; ob id aliquãdo creditum eſt,qđ bonum ſignificare poſſint.

Significant autem ſemper ſiccitates immodicas, & calores nimios contra ac in ſyderum coniũctionibus in quibus primo humid.mox ſiccitates conſequũtur,ut ſupra ex quib.ſiccitatib. & caloribus tunc,uel poſt ſuccedunt pluuiæ magnæ,& inundationes aquarum,& quia cum ſint naturæ igneæ,exurunt humidum,quidam inquit,perimunt reges,principes, & tyrannos,& ſapientes, & laute viuentes, & ideo magnam partem eorum, qui in pretio habentur. Cœterum cur hos potius,quàm alios ego non uideo.

7. natur. quæſt.

Et quia inquit torrent humores,ideo efficiunt in plebe magnas cogitationes, ex quib.ſequuntur facta incredibilia:hoc forte eſt veriſimilius, quin ſequitur naturam bilis,& multi inquit corripiuntur melancholia, & fiunt alieni a communi more viuendi,neque hoc præter rationem, quia eſt hic affectus humoris melancholici,qui ex aduſtione hoc tempore fieri poteſt,maxime in calidioribus,& ſiccioribus, uide inquit oriuntur ſeditiones,& facta horrida,& ſectę,vide apud eum plura alia ſi uis. Cœterum vt ad propoſitum reuertar obſeruatum eſt multoties ad Cometas,& alios dictos ignes ſubſequutam peſtem, ſic Pater colo, & vopiſco conſulibus orto cometę, maximæ tempeſta-

peſtates, vbique fuerunt, & in Achaia, & Macedonia a terræmo tibus vrbes dirutæ.

Sic de anno 564. igneas Arces per Italiam in Cœlo ſanguinem mittentes viſas eſſe referunt, & breui poſt clades infinitæ Italiæ. Verum hoc forte inter miracula connumerari poteſt. *In Suppl. Cro. l. 10. & 15.*

Ad rem noſtram faciunt magis duæ Cometæ quæ de anno 1472. apparuerunt. anno ſequenti ſiccitates multæ, atque incomparabiles, & peſtilentiæ multæ, & bella crudeliſſima, multis in locis. en iterum quomodo in magnis ſiccitatibus fuerit peſtis, ut ſupradictum eſt.

His etiam noſtris temporibus Cometes apparuere multæ, quibus multæ calamitates ſubſequutæ ſunt.

Videntur autem maxime ſignificare ſuper ea loca mali calorem inquit Cardanus, ad quæ cauda tendit, & maximas mutationes, tunc potiſſimum ſignificant, quando diu duret, & diu ſupra terram maneat, & euidens ſit, & fulgeat multum.

Hæc uero pro nunc ſufficiant, cauſas horum effectuum non curioſius inueſtigantes ne cum de Stellis, & Cometis, & de ſyderibus loquimur quid temere, aut impudenter, aut ignorantes affirmemus, vt verbis Senecæ vtar.

Hoc ſolum adnotandum, quod referunt duas cometas appa ruiſſe, quas conſtat ſupra Lunam fuiſſe genitas, & unam ab occidente in orientem, alteram ab oriente in occidentem in aere contra Ariſt. & alios. *Crato 3. epiſt. 292.*

IGNES IN AERE APPARENTES quotuplices. Cap. XIII.

AC ut aliquid hic dicamus de igne iſto in aere apparente, & de dif. illius.

Dicimus, quod ignes in aere apparentes, uel ſunt moti, uel quieſcentes; qui mouentur, vel mouentur ad motum cœli firmamẽti, & illius motum ſequuntur, & determinatum aſtrum, v.g. Maortẽ, quem ut plurimum ſequuntur, & dicuntur huiuſmodi ignes cometæ, & quia eo, ut dixi modo mouentur, eorum ortum, & occaſum videmus; quos cometas ueriſimile eſt moueri cum aere in quo accenſi ſunt, qui aer, ut dixi ſecundum

quos mouetur cum igne,in quo accẽſus eſt ad cœli motum: ta-
lis fuit cometa illa Barbata,quæ de anno 1577. apparere cœpit nobis,die 12.Nouembris,& quotidie apparuit, uſque ad diem 20.Decembris ſequentis eiuſdem anni, & dicunt, quod uenerem ſequebatur ab oriente in occidentem,licet hæc motum, ut ſupra dixi non ſemper faciat.

Alij ſunt ignes qui mouentur non motu cœli ſicuti cometæ, ſed quia ignis accenditur in una extremitate exhalationum, & mouetur ad aliam extremitatem.Similem uidi ignem de anno 1580.de Menſe Octobris, hic eſt ſicut ignis in ſtupa accenſus carminoſa, qui ab extremo in quo accenſus eſt ad aliud extremum mouetur,& ſi ignes omnes,qui mouetur ab Auic.Rothomi dicuntur.

Alij ſunt ignes quieſcentes, qui fiunt exhalationibus accenſis omnibus,ſed in aliqua parte aeris determinata eodem tempore tota, qui ignes eouſque perſeuerant quouſque noua exhalatio illi ſuggeritur, & habent diuerſas figuras.ſ.figuram columnatam,quadratam,& ſimilem aliam prout contingit dictas exhalationes figurari, talis fuit ignis, de menſe Aprilis die 12.2. hora noctis, & fuit dies Veneris commemorationis paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruatoris humani generis,cui ingens ſiccitas ſubſequuta fuit.

Talem etiam Romæ cum eſſem annis elapſis obſeruaui, & de Menſe Martij 1582.alterum. Videbatur hic aer ueluti Carbo accenſus,& multam aeris regionem occupabat.

Quos ignes Auic. vocat Aſuhut. & ſi deſcendant eos uocat uehizit.& ſecundũ Auic.ſi de Menſe Oct.autumno.ſ.frequentes appareant,peſtem inferunt,quæ ſecũdũ aliquorum opinionem autumno incipiet,& lente procedet hieme,& uere. In ęſtate ſæuiet,& autũno ſequenti,admodum infeſtabit,in poſtrema autem parte æſtatis, & autumni tempore, peſtis, & aeris putredo uenit inquit Auic.forte, quia corpora noſtra, tunc ſunt magis parata ad luem talem ſuſcipiendam ſicuti, & alios etiam morbos ſuſcipiendos,ut fol.ſeq. *1.d.f.2.eq.*

Obſeruatum tamen eſt huiuſmodi ignes apparuiſſe, & tamẽ nullum aliud malum ſubſequutum fuiſſe peſtilens, ſed ſiccitates plurimas, ut antea dixi, quas tandem ſequebatur ingentes pluuiæ.

Si ta-

Si tamen frequenter apparuerint non erunt,ſine ſuſpitione, ſed erunt alia etiam attendenda, & ſupra dixi, ut cum.

Præter dictos ignes uideris aerem, & nebuloſum, & exiſtimaueris pluuiam futuram, & tamen non pluit, tunc enim ſigna eſt uapores impuros in aere eſſe, & in eo ſeruari, & ideo aeris temperamentũ corrumpi, maxime ſi auſter flauerit leuiter per multum tempus, replet enim putridis uaporibus aerem, & ſua caliditate, & humiditate putredinem excitat, unde peſti datur occaſio, cum fiat infenſus a tota ſubſtantia hominibus. Volunt autem, quod ſi ſubſolanus flauerit quandoque cum Auſtro, quod quia ſubſolanus addit in caliditate Auſtri conſeruando fortem caliditatem ipſius in hieme, nam iam dictum eſt ſupra ſubſolanum auſtro comparatum eſſe temperatum ſecundũ Auic. quod tunc hieme excitabitur peſtis, neque expectabit uer, aut æſtatem. Verum de uentis plura ſupra.

Cum præterea uere paucitas pluuiæ adeſt cum frigore multo, quod frigus ſignificet multitudinẽ uaporum in aere contentorũ, & deinde multiplicatur auſter, & conturbatur aer aliquibus diebus, deinde clarificatur poſt hebdomadam unam non ſupra, unde demonſtratur illorũ uaporum ſubtiliatio, & ad minima miſtio cum aere, ſi enim intra hebdomadam clarificaretur, iſtud uaporum conſumptionem argueret. Et accidit frigus in nocte, & in die calor ingens; quod fit, quia uapores aquei ob ſolis abſentiam ad naturam ſuam redeunt quæ frigida, & humida eſt, at in die a calore Solis accenſi aerem admodum calfaciunt, unde homines inquiunt conturbantur, & uelut præfocationem ſentiunt, quoniam cor non bene ab aere illo impuro, & calido euentari poteſt. Tunc enim febres peſtilẽtes, & uariolas, & morbillos ſecundum Auic. obſeruare debemus.

Similiter quando æſtate non eſt calor uehemens, ſed eſt uehemens conturbatio, & matutinum tempus alteratur ad frigus ob uapores, & alias cauſas iam dictas, & in autumno iam dicti ignes apparent, & alia prædicta, tunc eſt ſigna peſtilentiæ: inquit Auicenna.

Simile eſt ſignum quando uideris in die uno aerem alterari, uicibus multis, & die aliquo clarificari, & ſolem clarum oriri, & alia die conturbari, & oriri in uelaminibus nebulæ, quæ uidentur ſicut puluis, peſtis futuræ ſunt ſigna; hæc.n. aerem de-

monſtrant plenum etiam uaporibus a ſole nequeunt uinci.

Quod ſi bene conſiderentur prædicta ſigna ab Auicenna tradita uidebimus nihil aliud ipſum uoluiſſe inferre niſi quod, quando aer repletur uaporibus, ſiue id ſit cauſa uentorum auſtralium, uel orientaliũ leuiter ſpirantium, ſiue ob alias cauſas, quæ ex iam dictis conſtant, neque ſi uapores a ſole uincuntur, neque in pluuiam reſoluuntur, ſed in aere (ut uno uerbo me expediam) permanent. Illud eſſe peſtil. futuræ inditium.

Neque abſq; ratione, nempe impurum aerem demonſtrant, & coinquinamentis plenum, qui poſſunt temporis ſpatio tantam malignitatem acquirere, ut humano generi aduerſentur.

Hæc autem licet quouis tempore, mala cum ſint, malum prę nuntient, autumno, tamẽ ſi fuerint, eo peiora erunt, quia ut Celſus inquit, neque aliud tempus magis peſtilentiæ patet, cuiuſcunque ea generis ſit, q̃uis uarijs rationibus nocet, præcipue autem pernitioſus eſt autumnus ſi poſt hiemem aquiloniam, & uer humidum, & auſtrale, & æſtatem ſiccam ſequatur, ut prima problematum habetur. *Probl. 19.*

Ad hæc morbi populariter uagantes, ut plurimum ægros pe rimetes peſtem infeſtare demonſtrant, quæ uel ab aere, uel ab alia cauſa ex dictis infeſtare poteſt.

Sic ſi lumbrici populariter pueros adultoſque infeſtant, peſtem portendunt, imo inquit Ficinus, qui tempore peſtis uermibus laborant, peſte affectos eſſe poſſumus dicere, quoniam quæ eos gignit materia, ad peſtem non minus eſt diſpoſita, quam ſulfur ad ignem.

Prægnantes etiam ex qualibet cauſa etiam leui abortire eſt ex dictis ſignis, ſiue quia aer malignitate ſua uires proſternit, qui maxime eas lædit, quia plurimum ex eo reſpirare cogunt, ut ſuo loco patet .ſ. c. de utero gerentibus.

Exanthemata etiam, & ecchimata, ex quorum genere uariolæ, & morbilli exiſtunt, de quibus infra, præcedere ipsã peſtem ſolent, atque eam concomitari, imò quod Auic. & Raſ. inter morbos peſtilentes ipſos reponut, licet ut plurimũ abſque ulla peſtilentia graſſentur: & ideo illos peſtilentes, ſine peſtilentia vocat Fracaſt.

Huiuſmodi ſunt, & carbunculi, & alij morbi exitioſi, & falacis ſic papulæ uulgò potecchie, ſegni, & Hiſpanice taberdiglio ſe-

febres peſtilẽtes ſynochas comitantur ut plurimum: concomitantur,& phrenitides, rubores palati,& exulcerationes,& alia huiuſmodi ſymptomata malignas febres ſolita concomitari ob ingentem .ſ. putredinem exiſtentem in noſtris corporibus,huiuſmodi etiam putredines cum leuẹm occaſionem ab ambiente habuerint,peſtilentes fiunt,ut ait Gal.

Sic fames prægreſſa ob quam coacti fuerint homines ueſci peſſimis,& mali ſucci cibis,ob quos corpora ſolent repleri malis humoribus peſtem portendit, ita ut in Prouerbio ſit μετὰ λιμὸ ὁ λοιμὸς, ut ex Thucid.etiam patet,ut de anno 1591.& 1592. obſeruatum eſt in iſtis regionibus, ſicuti etiam ſupra retuli. *l.2. de pelop. bello.*

Dicuntque, quod maxime eſt timenda peſtis ſi poſt annonæ caritatem ſequatur abundantia, quia cum corpora famelica ſint,& tamen repleta malis humoribus, Si uberius nutriuntur magis lędunt ur, non pura enim corpora, quanto magis nutries, tanto magis lædes, & præſertim quia ex prægreſſa uita eſt ueriſimile etiam obſtructiones in uiſceribus factas fuiſſe, quas ex copioſiori cibo poſtea augeri eſt neceſſe,& ideo ẽt putredinem maxime in corporibus ex prægreſſo malo uictu debilitatis, quæ quidem ueriſimilia ſunt, non tamen in omnibus corporibus uerificantur, tamen quia,non eodem modo patiuntur, tum etiam, quia quandoque poteſt bonus uictus uincere maols humores, & ob id, temporibus noſtris pauci poſtquam abundantiam bonorum ciborum nacti ſunt,obiere,cum in penuria plerique mortem obirent. *2. Aph.*

PE-

PESTILENTES MORBOS ESSE POSSE cum febre,& ſine febre,& quomodo peſtis nos afficiat. Cap. XIV.

HÆc quidem per ordinem uolui deſcribere, quia ſunt digna conſideratione, ut in omnibus ſit oculatus medicus, maxime tempore ſuſpecto peſtis. Licet ſi recte omnia perpendantur, clarum erit nullum eſſe certum ſignũ, quod peſtem futuram demonſtret.

Tu recte facies ſi quando prædicta ſigna concurrant, ſaltem in parte, corpora aduerſus tantam luem paraueris.

Ex dictis facile eſt cognoſcere an peſtis oriatur a ſuperioribus, an inferioribus, an medijs cauſis, & ſi ab aere, aqua, aut terra, aut cibis, an ſit cum contagio, an abſque eo.

Si enim, licet multi moriantur, non tamen de uno ad alium tranſeat cum contagio, nullum adeſſe contagium manifeſtum ẽ.

Multi præterea diſputant, an ſicuti datur uenenum nedum calidum, ſed etiam frigidum, ita dari poſſit peſtis ſine febre, quod facile ſoluetur, ſi ea legerimus quæ 3. epidem. 3. & maxime 25. dicta ſunt, & 6. epidem. 7. 1. ſi quidem plures morbos peſtilentes ſine febre ibi connumerantur.

Sed hoc parum refert, ſat ſit dixiſſe, quod licet tempore peſtis, maxime quando ab aere procedit, poſſunt omnia morborum genera fieri, & etiam febres intermittentes, quod tamen omnes morbi tali tempore terminantur in peſtem; quomodo autem peſtis nos afficiat, multi perquirunt. Dicimus nos breuiter, quod non ſemper eodem modo, ſiquidem aliter nos aggreditur, quando a ſuperioribus, quando ab inferioribus aliter, aliter ſi a medijs cauſis procedit. Si.n.a Diuina ira prouenit nõ eſt, ꝙ ĩueſtigemus aliud niſi, ꝙ Deus optimus maximus utitur hoc, uel illo medio, qñque nullo utitur, ſed ſolo uiſu ſuo id præſtat. Si mediis utitur, fit peſtis, ut infra dicam. Sin minime ita factum eſt, quia ſic illi placuit qui cuncta ſolo nutu gubernat.

Si mediãte aere id præſtat, hoc modo fit peſtis in nobis, quia *Vt 1.de Diff.feb.4* aer quando inſpiratur, febris enim in peſtilentis aeris ſtatu inſpiratio potiſſimum eſt cauſa, inquit Gal. uel per occultos meatus

ingreditur noſtrum corpus,recta petit cor,ipſiuſque,vel humores,vel ſpiritus,vel ſubſtantiam,uel tria hæc inficit, unde febris peſtilens,quod ſi alias partes inficit, alios etiam morbos peſtilentes parit.Hiſque tantum nocet,qui ad luem ipſam ſuſcipiendam parati ſunt,vt a Galen. patet,& ab Auicenna,& nos etiam ſupra diximus. *Gal.1.de diff.f.4. Auic. 1.c. f.2.9.*

Alij dixerunt ſpiritum uitalem venenoſo illo aere, qui tum inſpiratur,tum per cutem, & arterias ambitus totius in corpus noſtrum ingreditur,ut a Gal.patet, 1.alterari, quia facilius ſpiritus alteratur, deinde putrefactionem fieri, quæ mox paulatim ſerpit, & augetur donec humores cordis putreſcant, & ab aliena, ac putredinali caliditate accendantur, tenelli cordis ſubſtantiam affici dicto modo. Hinc per totum corpus caliditatem dictam diffundi, vnde febris peſtilens, a qua cœteræ partes afficiuntur,& tunc humores agitari,ac tãtam pernitiem, partes ferre nequeuntes illos auerſantur,& nullibi eos perſiſtere permittunt,vnde membra nobilia,& fortia ad propria emũctoria eos expellunt, uel ad cutim uniuerſa, aliam ue partem debilem,vt ad inteſtina,unde carbunculi,bubones, puſtulæ,alui fluxiones,& alia huiuſmodi ſymptomata de quibus infra. *Loco d. de Diff.fe. & 3. de Nat.f.14*

Verum in hoc meo iudicio errant iſti, quia ſupponunt in peſte ſemper adeſſe febrem ad quam cœtera ſymptomata ſequantur,quod licet,ut plurimum uerũ eſſe credimus,tamen nõ ſemper,cum etiam dentur alij morbi peſtilentes ſine febre, & alij quorum febris eſt ſymptoma, ut locis dictis patet, & quia ſupponunt, in peſtilente febre omnibus ſemper primo ſpiritus affici,tanquam ad alterationem promptiores,mox humores, & tandem partes ſolidas, quod falſum eſſe ex hoc comprobatur.

Quoniam ſi ſic eſſet ſequeretur cum ad ſpiritus, uitales ſic affectos neceſſario, & ſtatim ferè mors ſequatur, quod omnes peſte affecti ſubito omnes ferè necarentur, ut infra patebit, quidquid in hoc Valeſ.dixerit,qui credidit,quod ſi daretur ſpirituoſa peſtilens,quod non eſſet pernitioſa,quod eſt febrium peſtilentialium proprium, quaſi, quod ſpirituoſa peſtilens, nihil differat ab alijs ephemeris.

Et licet uideatur uериſimile, quod primo ab aere peſtilenti corpus noſtrum ingrediente alterentur primo ſpiritus, tamen

non ad hoc ſequitur ipſos ſtatim corrumpi,& peſtilẽtes reddi; facilius.n. pars tenuis alteraturquàm craſſa,ut etiam Gal. teſtatur,tamen poſt alterationem non eſt neceſſariũ partem tenuem aut ſpiritus dequibus nunc loquimur, calorem in habitum contrahere, quòd etiam uidit Nicol. Flor. & nos probauimus Tomo. 2.cap.2.fol.13. eoq; magis,quia poſſunt humores cordis, ſolidæue eius partes analogiam ad peſtem habere,& non ſpiritus,qui in tali caſu poſſunt eſſe ueluti uehiculum peſtil. aeris ad humores ſolidasue partes cordis, & tamen ipſos non affici peſte,licet alterentur ſicuti etiam poteſt eſſe tanta analogia ad partes ſolidas,ut prius ipſæ afficiantur quã humores,cum id agant non qualitatib. manifeſtis, ut puta caliditate, aut frigiditate,ſed cõueniẽtia qualitatis,ſiue a tota ſubſtantia,ut exemplo magnetis,& ferri, fieri poſſe demonſtrat Galen. licet.n. inquit Gal. ſucceſſione,ad id quòd euacuatur,prius trahatur,quod leuius eſt,tamen in his quæ conuenientia qualitatis trahunt,nonnunquam,quod grauius eſt,prius ſi ita ſors tulerit trahitur,modo id magis cognatum natura ſit,& iuxta ſe ponatur.

T. 2. ſu. primo ſer. 2.cap.4.

de. 1 nat. fac.14.& 3. eiuſdem 15.

Concludendum ergo, quòd licet quæ iſti referunt, ut plurimum uera ſint in peſtil.feb.ab aere peſtil. in humore accenſa, non tamen uera ſunt in aliis peſtil. feb. neq; alijs morbis peſtil. Adde qđ ut in tonitru uidere eſt,qđ numos,exſiccat,marſupiũ minimè,quia cito ignis uel flamma,tonitrui pertrãſit,& poſtea numos obuians illos afficit cum marſupiũ minimè,ſic ſpiritus a peſtilenti aere pertrãſitur,qui aer in corpus ſolidum cordis impingens illud afficit,ſpiritus minime illos quippe cito pertranſiẽs,ut nonnulli ẽt dicunt,cum ergo una non ſit peſtis cauſa,ut ſupradictum eſt, quandoquidem modo ab aere,modo a cibis, modo ab aquis proficiſcitur,aliis ue dictis cauſis, non bene dici poteſt ꝙ modus unus ſit,quo corpora noſtra afficiantur in peſte, quandoquidem ſi aer per ſe eſt cauſa,uel etiã aqua ſtagnãs uapores ue ab hac uel etiam a terra alterari qui aerẽ inficiant, bene poſſumus dicere, & a reſpiratione, & a tranſpiratione corporis noſtri nos affici.

Verum ſi cibi peſtis cauſa fuerint,aqua ue epota,aut aliud ſimile aquibus generantur in noſtro corpore pernitioſi ſucci,qui poſtea talem putredinem,ac uenenoſitatem aquirant,quę a tota ſubſtantia nobis aduerſetur, id non eueniet,quia, uel inſpiramus

ramus aerem, vel per tranſpirationem ipſe ingrediatur, noſtrum corpus,ſed quia in corpore noſtro putrefacti, & forte ét quando habuerint aliquam occaſionem ab aere,cor eius ue ſpiritus,aut humores,aut partes eius ſolidas lædunt, & hoc quando fit febris peſtilens, nam ſi fierent alij morbi peſtilenti ſat eſſet affici partes illas,in quibus morbi eſſent.

Vnde breuiter concludamus,quod peſtis ſeminaria,de quibus ſupra,ſiue in noſtro corpore gignãtur,ſiue extra corpus,cũ ad cor peruenerint peſtil. febrem generant. Si ad alias partes, alios morbos peſtilentes,ſi affectio communicetur aeri,etiam ſi in nobis cauſa iſtorum fuerit,poſſe poſtea ad alios contagium tranſire. Nam eo mediante fit contagium,alioqui minime licet morbi peſtilentes,& peſtis ipſa eſſet.

FEBRIS PESTILENTIS DIFFERENTIAS eſſe tres. Cap. XV.

VERVM quoniã iam promiſimus de febre peſtilenti dicere, & iam diximus quomodo in corporibus noſtris fiat omiſſa, nunc eius diffinitione,quæ melius ex his conſtabit, quæ dicemus cum quomodo ab alijs putridis differat,agemus; veniamus ad eius differentias, de quibus multi contendunt. *Vide infra cap. 19.*

Dicimus ergo eius eſſe tres ſpecies,nimirum diariam,humoralem,& hecticam,quicquid in hoc multi dicant.

Diaria eſt quæ in ſpiritibus accenſa eſt,& intra 24.horas enecat,ſpiritus vitales, & ſtatim totam humani corporis fabricam corrumpẽdo,ſua mala qualitate a tota ſubſtantia infenſa nobis.

Humoralis, quæ in humoribus accenditur eaſque corrumpit corruptione a tota ſubſtantia nobis offenſa, eius poſſunt tot eſſe differentiæ,quot ſunt aliarum putridarum, prout .ſ. hunc, aut illum humorem afficit peſtilentia, ut plurimum,tñ cõtinua eſt,nam non poteſt eſſe febris ex maligna humorum putredine, & ad quietem peruenire,inquit Galen.3.Aph. 43. & quæ totum ſanguinem contaminat, quia inquit Nicolus, aer obuiat omnibus humoribus,& ideo ex diuerſitate humorum fit, quando diuerſos humores inuenit, propterea ſi alios humores ſan-

guis vicerit erit ex ſynocharum aliqua, & hoc quando ab aere ortum habet.

Quod ſi oriretur ab aqua, aut fructibus peſtilentibus noſtrũ corpus ingredientibus, ut plurimum inquit Nic. eſſet flegmatica, quia primo occurrit flegmati inſtomacho exiſtenti.

Adde tu, quod ſi ēt cibis uteretur mali ſucci, quod diuerſæ erũt febres, & alij morbi, vt a Gal. habetur l. de Cib. boni, & mali ſucci, prout ſunt diuerſa hominum temperamenta, & uictus inſtituta, & alia huiuſmodi; corrumpuntur enim ſucci a cibis malis orti, & una ſecum corrumpunt humores, qui in corpore aderant, ac proinde vidētur uariæ eſſe iſtæ febres, tamen omnes malignæ ſunt. in hac potiſſimum fiunt præter alios morbos puſtulæ diuerſæ, & ulcerationes in corporibus, a quibus tenuis quædam ſanies emanat, ichor ue fœtidus, & corrodens flaui coloris, uel mixtus ex flauo, & nigro, quod his noſtris temporibus etiam obſeruatum fuit.

Tertia differentia febris peſtilentis eſt hectica, quæ in ſubſtantia cordis permanens, & fixa eſt, de qua etiam Galen. 3. de Præſa. expul. 4. & l. 10. Meth. in fine.

DILVVNTVR RATIONES CONTRA DICENTES non dari dictas tres ſpecies peſtilentes febris, & primo quomodo ſpiritus corrumpi, & putrefieri dicantur. Cap. XVI.

SED dictis multa uidentur obſtare, & primo non eſſe uerum dari peſtilentem diariam, quia non eſt uerum ſpiritus corrumpi, neq; putrefieri, quod uerũ poteſt eſſe de puris ſpiritibus, ſed quando permiſcentur ſeminarijs dictis, corrumpi, & putrefieri poſſunt, non ſecus, ac aer impurus corrumpitur, & putreſcit.

Clarum eſt etiam ex uitioſis ſuccis, & ex aeris malitia, & ex uenenoſis facultatibus, ut ex animalibus, quæ uenenum iactant, ſpiritus corrumpi, & a Gal. 12. Meth. 5. conſtat ipſos ſpiritus corrumpi ex animi affectibus exingentique dolore, ex eorum immodica tenuitate, atque ex raritudine corporum ipſos continentium, tum maxime ex prohibita reſpiratione, & nutrimēti defe-

defectu. Cur ergo non etiam ab aere peſtilente ſeminarijs uel peſtilentibus?

Putredinem etiam generaliter ſumptam, quæ ut 4. Meteor. patet, eſt coruptio calidi innati, ex aliena caliditate omnibus ele mentaris, ſeu mixtis quæ inducuntur in eſſe per generationem, contingere poteſt, unde etiam ſpiritibus, ut patet a Nicolo Florentino; & ut ſupra dixi patet præter ignem omnia putrefieri poſſunt ex 4. Meteor. 1. uerum plura ſi quæris, de hac quæſtione, uide Valeſ. nunc hæc ſufficiant. *Tom. 2. ſumma 4. ſer. 2. li. 4. 5. Contro. 19. max. contra Laprillam.*

EPHEMERAM SIVE SPIRITVALEM PESTILENTIAM dari, & hecticam. Cap. XVII.

ERGO dari ob dictas cauſas Diariam febrem peſtilentem conſtat, & præterea iſtud eſt rationi conſonum, ſiquidem cum potiſſima cauſa febris peſtilentis ſit aer inſpiratus, ut primo de Diff. feb. 4. habetur, rationi eſt conſonum, ſpiritus a tali aere poſſe infici, & cum a cauſa externa fiat febris peſtilens ſaltem, ut plurimum, ut loco dicto habetur, & Diariarum potiſſima cauſa ſit externa, ut ſuis locis conſtabit, cum de febre ephemara, & putrida agemus, non uidetur eſſe abſque ratione peſtilentem eſſe poſſe diariam.

Neque obſtat, quod ipſe Gal. eodem loco de Diff. feb. inquit, eos peſtilenti febre citius affici, quibus ad putredinem ſunt humores parati, non enim ob hoc negat ſpiritus, & partes etiam ſolidas cordis putrefieri poſſe. Sed innuit peſtem maxime accendi in eos, qui humoribus malis abundant; quia maxime hi ad peſtem ſunt proni; & tales humores magis ſunt apti ad peſtem ſuſcipiendam, quam ſpiritus, & partes ſolidæ, quorum tamen contigerit ob analogiam ſpirituum, uel partium ſolidarum cum peſte, primo ſpiritus, uel partes ſolidas affici, quam humores. *De qua Anal. inf. cap. 20.*

Hinc fit, quod a principio poteſt dari hectica peſtilens. ſ. ob dictam analogiam Nec obſtat, quod uideatur Galen. dicere contrarium. ſ. non fieri hecticam a principio, ſiquidem etiam ipſe eodem cap. 12. inquit, quod qui calido, & ſicco ſunt temperamento ob aptitudinem ſtatim a principio febre hectica *1. de Diff. feb.*

capi poſſunt, præcipue ſi uigilijs, & curis afficiuntur, & tenui victu vtantur, & ira, aut męrore æſtatis præcipue tẽpore corripiã tur, unde ſi ob talem aptitudinem facile a principio hectica capiuntur, multo magis, quando analogiam habent cum peſte, quæ eſt potentiſſima cauſa, nedum potens, vt dictum, quod ipſe confirmat 3. de præſag. ex pul.

C. qui pulſus ſint pecul. frig. in temp.

Neque ualet eorum argumentum, qui inquiunt quoniam 5. de Loc. dixit Gal. cor abſceſſum pati non poſſe, neque inflammationem, & ad immodicas cordis intemperies ſequi mortẽ uera .n. hæc ſunt. nam neq; inflammationem, neque abſceſſum patitur, ſaltem longo tempore. pariter dicimus nõ putrefit eius ſubſtantia longo tempore; quia ſequitur mors. Pariter dicimus ſequi mortem ad hanc intemperiem uenenoſam, ut etiam patebit infra. Valeſius cum dixiſſet, quod horum feb. Hecticarum alia eſt partitio ex cordis paſſione, quibuſdam enim inquit areſcit tantum cor, quibuſdam etiam ad putredinem diſponitur propria eius ſubſtantia putrefacto eius rore maligne, eſtque hæc hectica peſtilens, unde conſtat ipſum velle rorem ipſum cordis putrefieri, & nos etiam capit. de Hectica exemplo illo elichnij in lucerna id probauimus; primo ergo humiditates iſtę cordis patiũtur, deinde ſubſtãtia cordis diſponitur ad putrefieri; ſed antequam putrefiat, moritur; per putrefieri autem intelligimus a ſeminarijs peſtilentibus a temperamento proprio naturali plurimũ degenerare ob malam illam qualitatem, qua a tota ſubſtantia illi aduerſantur, q̃ euaporationẽ putreſcibilẽ uocat Gal. quando ergo dicimus ſubſtantiam cordis putrefieri, ꝙ uidetur Gal. fieri poſſe non negare intelligimus, dicto modo affici; non ſecus, ac uidemus uinũ putrefactum relinquere in dolio malam qualitatem, quam ex putredine habet, licet dolium raro putreſcat, ita & ſemina dicta malam ſuam qualitatem in ſubſtantia cordis imprimunt, licet ſubſtantia cordis non putreſcat, & ita imprimunt, ut poſtea remoueri non poſſit, de qua febre hectica peſtilente tractat Gal 3. de Præſag. ex p. & 10. Meth. circa finem.

l. de f. c. 2.

1. de Diff. f. 4.

Lud. de Præſag. ex pulſ.

Quod autem dixerit Gal. peſtilentem febrem eſſe putridam, ex quo licet arguere non eſſe hecticã, quia ut cuiq; patet. Diximus iam, ut plurimum febrem peſtilentem eſſe ex humoribus putreſcẽtibus, raro enim fit peſtilens hectica, vel etiam Diaria

1. de Diff. f. 4.

Hectica,

Hectica,& ideo Galenus de ea loquitur, tanquam de peſtilenti,quæ ut plurimum contingit.

Vel dicamus, quod non in hectica peſtilenti, tantum cordis ſubſtantia areſcit, & caleſit, vt in alij hecticis, ſed etiam perducit ad putredinem cordis ſubſtantiam, ſiue humiditates in corde exiſtentes,ut ſupra diximus, & ideo inter putridas poſſe connumerari; & dicitur hectica peſtilens, quia calorem ſuum peſtilentem,cum dictis ſeminarijs habet fixum in dictis humoribus, neque fomite alieno indiget modo aliarum hecticarum, licet ab alijs hecticis differat, quia vt dixi non tantum alterat cordis ſubſtantiam, ſed labem etiam illam imprimit modo antedicto.

Reſponſio etiam patet ad eos, qui dicunt quod hoc modo febris hectica erit morbus tamen in fieri,nõ factus,quod videtur repugnare naturæ hecticæ. Sat enim eſt meo iudicio ad hoc, quod febris hectica dicatur,ipſam eſſe ſtabilem,ac fixam,ſolutu difficilem veluti habitus; uel ſat eſt, quod habitum corporis prehenderit, ut primo de Differ.f.9.habetur. Vt interim ſubticeam melius eſſe dicere, ut Valeſ. inquit morbum augeri, uel iã auctum eſſe,quam habere eſſentiam in fieri,vel in facto eſſe. vel forte eſt melius dicere cordis corpus incaleſcete, vel incaluiſſe, ſic dicit Galenus 3.de Præſag.ex p. 2.ex quo poſſet dici in hectica peſtilenti cordis quidem ſubſtantiam incaluiſſe,ſed præterea affici,mala illa qualitate peſtilenti,quæ ſemper augendo procedit uſque ad interitum, & ſic erit putrefactio, pro corruptione ſumpta, ut dixi antea de ſpiritum putredine.

FE-

FEBRIS PESTILENS QVID SIT, ET QVOMODO putrida peſtilens ab aliis putridis differat non ſola malignitate. Caput XVIII.

VT ergo iam dictis quæſtionibus finem imponamus, dicamus febrem peſtilentem eſſe ex genere putridarum, eamque admodum malignam, quæ non ſolum præternaturali, caliditate, ſed etiam qualitate venenoſa, ſiue a tota ſubſtantia hominibus eſt infenſa, quæ mala qualitas, vel extrinſecus habet originem, uel in nobis metipſis oritur. Cuius febris peſtilentis putridæ tres ſunt differentiæ, diaria, hectica, & humoralis, modo antedicto, non quod proprie diaria, hectica ue dici poſſit eo modo, quo appellamus alias hecticas, aut diarias, ſed ob conuenientiam, quam habent cum illis modo antedicto.

Sunt etiam aliæ differentiæ huius feb. ab accidentibus deſumptæ, quas hic conſulto omitto, quia erunt notæ ex ſignis ipſius febris peſtilentis, quæ infra referam. Satius fuerit quoniam dictum eſt febrem peſtilentem eſſe putridam, nunc dicere quomodo ab alijs putridis differat, non enim ſola malignitate, ut Caprillus uoluit ab alijs putridis differt. Sed etiam ob multa alia, imo quod maligna eſt etiam aliqua putrida, quæ propterea maligna dicitur, quia ſuperat omnes alias putridas malignitate, licet ſuperetur ipſa a peſtilenti, ad cuius differentiam maligna non peſtilens vocatur, de qua paulo infra.

FEBRIS PESTILENS PVTRIDA QVOMODO AB alijs putridis differat, & de analogia ſeminariorum peſtilentia cum noſtro corpore, & quomodo febris maligna dicat. Cap. XIX.

ET primo differt ab alijs putridis, quia peſtilens putrida ſæpiſſime, & ut plurimum cauſam externam habet, cum tamen aliarum febrium putridarum proprium ſit a nulla, & externa cauſa oriri, ſed ab interna, ut plenitudine, u. g. obſtructione, cacochymia, ſiue ob humores quantitate, aut qualitate peccantes, licet enim neceſſe ſit ad febrem peſtilentem ſuſcipiendam corpora apta eſſe, tamē iſta aptitudo nō eſt cauſa peſtilentis febris, ſed ſeminaria dicta, quæ ut plurimū ab aere peſtilente in nos ueniuntq́, uel ab alia cauſa externa, & poſtea, uel ſpiritus, uel humores, uel partes ſolidas corporis analogia, quam cum dictis habent inficiunt. *L. de Diff. feb. & nos in Tract. de Feb.*

Et tantum ualet analogia dictorum ſeminariorum ad ſpiritus humoresue, aut partes ſolidas cordis, ut uideamus nonnullos tempore peſtis affici peſte, quorum corpora ſalubria erant, alios malis humoribus refertos, & inſalubres immunes a peſte euadere, ob analogiam quam habent dicta ſeminaria, cum hoc, & non cum illo homine. Licet meo iudicio iuſtius ſit corpora eſſe pura, & non impura, ut infra patebit. Data enim paritate, ut quod adſit analogia cum corpore puro, & cum impuro, facilius impurum corpus afficitur, quam purum; unde uerum erit, quod dicit Galenus impura corpora magis eſſe apta ad peſtem, de qua re infra. *Hæc Fracaſtor. de qua Anal. ſup. ca. 18.*

Differt etiam, quia in alijs putridis, cauſa putredinis eſt prohibita tranſpiratio, ſaltem ut plurimum, de qua re nos plura, cum de febrib. putridis; & tamen putredo in peſtilente febre a cauſa externa ſola poteſt etiam oriri, ſcilicet a ſeminariis dictis. Non enim ſum cum illis, qui dicunt cauſam putredinis ſolam prohibitam tranſpirationem; maxime quia Galenus lib. de Inęquali intemper. octauo a cauſa externa putredinem fieri poſſe, uult, quod & Valeſ. diſputat. Et pręterea notauimus ex Gal. 11. Methodi c. 8. omnem extraneum calorem corrumpere ſuccos, & pu- *L. de Inæq. Intemp. 6. et 4. Met. & 5. controu. vlt.*

& putredinem inuehere; modo iſte calor extraneus poteſt eſſe abſque prohibita tranſpiratione, ut puta a uehementi calore ambientis. Cum enim ambiens aer bene eſt diſpoſitus, calorem noſtrum innatum tuetur, & conſeruat; male uero affectus calorem corrumpit noſtrum, ut teſtatur etiam Iul. Alex. & nos trac. de febre putrid. c. 3. modo in caſu noſtro ſeminaria peſtis calorem innatum corrumpunt, tuncque fit putredo uehemens in corpore noſtro maxime quando aliæ cauſæ putredinis concurrant caliditas. ſ. & humiditas, ut calido, & humido cœli ſtatu ab Hippocrat. 3. epidem. 3. narrato contingit, quod ſupra dictum eſt etiam.

11. Meth. 2.

Præterea calor febris peſtilentis differt ab aliis putridis excellentia putredinis, & prauitas abundantis humoris, inquit Galenus ex magnitudine putredinis conſtitit. Cum tamen interim calor mitis uideatur, ut infra de ſignis.

3. ep. 3. 23

Superat etiam malignitate alias putridas, neque id, abſque ratione. Cum enim, ut lib. de Conſtit. Artis Med. 16. & 4. Meth. 6. malignitas febris oriatur, uel ex natura humorum putreſcentium, ueluti ſi atra bilis, uel ęruginoſa, uel uirulenta putreſcat.

Malignitas feb.

Vel oriatur ex ipſa putredine. Licet enim ex ſe humor non eſſet malignus, tamen mala, & ingens putredo ipſum poteſt reddere malignũ, mala autem, uerbi gratia erit, uel ex uehementi humiditate, & magna uictoria caloris extranei, & magna etiam obſtructione, uel ob malam qualitatem introductam a dictis ſeminariis peſtis.

Vel malignitas oritur ex præſtantia membri affecti; modo cum in peſtilenti febre omnes iſtæ cauſæ malignitatis concurrant, nimirum humoris prauitas, putredinis abundantia, & mẽbri affecti præſtantia, quod membrum eſt cor, quod potiſſimũ affici in tali febre, inter cœtera, caſus uirtutis uitalis demõſtrat, ut infra dicam; clarum eſt, quod peſtilens febris alias malignitate ſuperabit potiſſimũ, quia licet in aliis putridis afficiatur ẽt cor; tamen id fit ab uapores putridos ad cor aſcendentes, at in hac peſtil. febre cor proprie affectum eſt, ut iam dictum eſt, & affectum a cauſa per ſe maligna, & etiam ratione malæ putredinis, uel malæ qualitatis.

Differt etiam, quia in aliis putridis, aliquis humor ex quatuor humoribus ſemper putreſcit, at in peſtilenti febre, qñque

ſpiri-

ſpiritus, quandoque ſolidæ partes, quandoque humores, ut antea dixi.

Addunt,quod febris peſtilens eſt, cum contagio, aliæ putridæ minime,quod ut ſupra diximus,ut plurimum uerum eſt, licet non ſemper. Si Hiſtoricis credere fas eſt, quod tamen fecit Galenus,qui Thucidid.authoritate multa dixit de peſte,ut per hoc non dubitet quis credere Hiſtoricorum obſeruationibus.

Præterea non eſt uerum nullas aliarum putridarum eſſe cum contagio, quando ſunt aliquæ, quæ contagioſæ ſunt, ut quæ cum peticulis apparent,de quibus cap.ſequente dicam, & præterea ſunt alii etiam morbi contagioſi,ut notum eſt.

FEBRIS PESTILENS QVOMODO A FEBRE maligna putrida differat. Cap. XX.

QVONIAM datur febris maligna quæ tamen epidemialis non eſt,ſed inter morbos Sporades,ſeu proprios connumerari debet,qñ eius cauſa eſt uictus ratio propria, neque febris talis omnibus humoribus, vnius loci, vel regionis contingit,quæ febris multa habet ſimilia cum febre peſtilenti, & ſimilitudines medicos decipiunt nedum vulgares,ſed etiam præſtantiſſimos, vt ab Hipp. & a Gal. *3. de Hu.* patet, ideo operæpretium erit quomodo hæc febris a peſtilenti differat docere,& forte voluit talem febrem inferre Gal.cum di *1. de Diff.* xit dari febres peſtilentes, ſine peſte, & viſus eſt etiam ſimiles *f.3.* inferre,& l.de Cib.boni,& mali ſucci,& 3.epidem. ubi inquit, *C.3. 57.* ꝙ ſyntexis uidetur eſſe ſymptoma febris,quam priuatim peſtilentem vocant,cum mortales, vel citra peſtem peſtis corripiat. *C.2.* Simile inquit 3.de Præſag.ex pul.ſciendum eſt inquit nonnunquam incidere ſine peſte has febres,vt de illis prodiderunt omnes inſigniores medici,de quarum natura tota diſputaui latius, inquit l. de Diff. feb.

Hæc febris eſt illa,in qua,ut plurimum papulæ apparent,ſiue petechie,uel tabardillo Hiſpanicæ, quæ corripit cohabitantes in eadem domo, ſiue quod eadem uictus ratione utantur, ſiue quia contagioſi aliquid habent inquit Valeſ. quod potius cre- *4.epid.6.* do,quia uidi ab ea capi multos, qui diuerſo uictu utebantur.

Sed eos pręcipue, qui ſanguinei ſunt, uel pleni malis humorib. præcipue quando aliquam occaſionem ex ambiente habuerint, ut ſupra dixi, & 3. de Criſ. patet, ac propterea in una tempeſtate magis, quam alia oriri ſolent, uere præſertim humidiore, quando ſanguis ebullit, ob feruorem enim, & malignam ſuccorum eruptionem oriri ſolent. Sic temporibus calidioribus, & humidioribus apparent.

Valeſ. 2. epid. 3. col. 137. Incipiunt apparere a manibus, ceruice, & dorſo, & circa hypocondria, ut ego obſeruaui.

Valeſ. 4. ep. 62. In febrib. ſynochis, uel etiam ardentibus, & ſunt ueluti morſus culicum apparentes a principio, ſine morbi alleuiatione intelligo principium, tempus ſiue ſignis coctionis, uel quod aliquã latitudinem habet, ut quando in 4. apparent, quandoque tã tum 7. apparent cretice, ut plurimum autem ſymptomatice; plerumque ſemper adeſt, grauis auditus, & deinde paraphreneſis, & uigiliæ ſequuntur; laſſitudo totius corporis ſpõtanea grauis extenſiua, quando a multitudo ſanguine putreſcente, quandoque ulceroſa, quando bilioſus dominatur humor, ut in cauſone urinæ turbatæ, & ueluti iumentorum, cum quibus, uel dolor capitis adeſt, uel aderit, licet quandoque apparent laudabiles pulſus a principio, & non admodum languent, ſed procedente tempore bene cadunt.

Calor non admodum mordax maxime in principio, præcipue quando ſanguineos occupat. Sed procedente tempore aucta putredine, & occupante totam maſſam ſanguineam, quia præſertim pars tenuior in bilem uertatur, mordax fit, quandoque mordax a principio apparet, quando præcipue bilioſos occupat, & fit cauſa ſynoc. de quo ſuo loco, & meo iudicio hæc eſt cauſa cur in ſimilibus febribus, quandoque calor mordax apparet, quandoque minime, quicquid multi, de hac re diſputarint.

Differt hæc febris maligua a peſtilenti, quia peſtilens cauſam habet communem, hæc uero minime, ſed ſuus cuiuſque uictus in hac eſt accuſandus, licet ut dixi maxime contingant tales febres, quando ab ambiente, aliquam occaſionem corpora malis ſuccis repleta habuerint.

In peſtilenti maior pars ægrotantium moritur, in hac minime, licet multi ex ea intereant, morbus cum ſit grauiſſimus, & cum peſſimis ſymptomatis mixtus.

In

In peſtilenti bubones, vel carbunculi, & etiam papulæ iſtæ apparent, in maligna tantum papulæ quidem iſtæ culicum morſibus ſimiles, ut plurimum ſymptomaticæ apparent, cœtera minime, imo quod quandoque etiam ſine iſtis populis maligna febris oritur, ex aliorum ſymptomatum uehementia ſuam oſtẽdens malignitatem, quæ malignitas ſit in his etiam, uel ob naturam humoris, uel putredinis, uel ob membri præſtantiam, ut ſupra dixi.

In peſte maiora omnia apparent, ut infra dicam, ac proinde ſymptomata, quæ utrique febri communia ſunt maiora ſemper ſunt in peſte, & diſtinguuntur maxime ex eo, quia, ut antea dixi non eſt prægreſſa cauſa communis: nam ſi u. g. cibus malus communis fuiſſet uni regioni, ob quem in talem febrem maior pars incideret, & maior pars moreretur, nulli eſt dubiũ, quod peſtilens uocaretur; imo quod poteſt, ut notauit Trincauel. hæc febris maligna in peſtilentiam tranſire, quando ex ęgrotantium ipſorum reſpiratione aer inficitur, de qua re ſupra. *In princ. tract. de f. peſtil. c. 3.*

Verum iam ſatis de febre maligna, eoque magis, quando cu ratio huius, & etiam peſtilentis, præcipue eius, quæ a cibis malis ortum habet, eadem eſt.

Feb. peſtil. quid ſit.

Concludamus breuiter febrem peſtilentem eſſe morbum epidemialem pernitioſum cum febre ualde putrida, maiorem ægrotantium partem perimente a coinquinamentis humano generi a tota ſubſtantia infenſis ortam, quæ coinquinamenta uel ſpiritus, uel humores, uel partes ſolidas cordis inficiunt: & quæ ſæpe cum contagio afficit, quæ definitio ex dictis patet.

Et licet Iul. Alex. dixerit uehementia ſymptomata in peſtilentibus febribus apparentia oriri a uehementi putredine tantum, neque uult admittere nobis eſſe aduerſa a tota ſubſtantia, tamen aduerſatur hoc Hippocr. & Galeno, & ideo mihi uidetur male ipſum ſentire.

CORPORA AD PESTEM APTA, quę ſint. Cap. XXI.

VERVM quoniam diximus ea tantum corpora peſte affici, quę ut afficiantur prompta idoneaque ſunt 1. de Diff feb. 4. & actus agentiũ tantum fieri poſſunt in patiente diſpoſito, & denique nihil affici poteſt niſi cum cauſa efficiente aptitudinem habeat: ideo inueſtigemus quæ ſint corpora ad peſtem idonea, hocque diligentiſſime cum præſertim in hoc authores diſcordes ſint.

2. de Anima.

Galenus loco dicto de Diff. feb. & etiam Raſ. 17. contin. 6. dicunt illa corpora ad peſtem ſuſcipiendam eſſe apta, quæ uarijs ſuperfluitatibus plena ſunt, ocio, & ueneri immoderatæ dedita, & crapulis, & quæ in multis partibus corporis obſtructiones, & adſtrictiones traſpirationem prohibẽtes habent, ad quæ omnia cruditates, & putredines conſequuntur. Corpora etiam ad peſtes apta nobis breuiter Auicenna ſignificauit inquiens, ea eſſe, quæ ſunt plena humorum, dilatatorum pororum, humida, multæ balneationis, iſta enim a ſeminarijs peſtilentię facile afficiuntur, & a prima inſpiratione aeris peſtilentis principium putredinis ſumunt, ac plurimum in malo procedunt.

Quæ uero corpora munda ſunt, ac ſuperfluitatibus carent, exercitioque, ac uictu moderato utuntur, & moderate ueneri indulgent, & bonam in omnibus meatibus ſpirationem habẽt, cum obſtructionibus, & adſtrictionibus careant, uel nihil, uel minimum mali ſentiunt, & ad naturalem habitum regreſſum habent, neque facile afficiuntur a ſeminarijs peſtilentibus, niſi forte adſit particularis analogia, ut ſupra notaui; nam ſi hæc adeſſet cum corpore ſuo, & minime cum impuro, purum potius afficeretur, quam alterum.

Ex de iſtis manifeſtum eſt Galenum uoluiſſe, quod pori corporis ſint aperti tempore peſtis: & ratio meo iudicio eſt, quia robuſtiora erunt, & quoniam minus uſus reſpirationis augebitur, & ideo minorem quantitatem aeris peſtilentis inſpirabunt. Fuliginoſaque excrementa tranſpirabunt optime.

Cuius contrarium eueniret, ſi meatus aperti non eſſent, licet enim minus aeris quando clauſi ſunt pori per corporis meatus ingre-

ingrederetur,fuliginoſa tamen excrementa retinerentur, quæ per cutis poros apertos inſenſibiliter euacuari ſolent, & ſic retenta uſum reſpirationis augerẽt calefacto nimirum ob eorum retentionem,corde;cum etiam febrem ſic retenta facile inferre ſoleant in his,qui malis ſuccis ſcatent,ut in his qui bono ſanguine abundant,plethoricam diſpoſitionem ſicuti,a Gal. habetur, unde plus aeris peſtil. inſpirare cogerentur. *11.Meth. 4. & l. de Cauſ. mor. 3. & 1. de Diff. f. 4.*

Adde,quod licet uerum eſſet, quod ab aere extrinſecus ingrediente per poros corpora magis poſſent peſte capi; omiſſis his remedijs, quæ cũ periculo poros claudunt,ꝙ tñ poſſumus ueſtimentis conuenientib. prouidere,ne aer peſtilens ingrediatur per poros cutis pluſquã deceat:& hoc etiam modo, quando ingrediatur,ſi fuerit alteratus, & a ueſtimentorum etiam apparatu,ut infra docebo, quod tunc offenſa ſic emendari poſſet, quæ ab aere fieri poſſet; quod tamen pori clauſi, ut ſupra dictum eſt,facere non poſſunt, imo putredinem potius, ob prohibitam tranſpirationem, & fuliginoſorum excrementorum retentionem facere,& augere poſſunt,& eſſe in cauſa ob uſum auctum, ut dixi reſpirationis, quod plus aeris peſtilentis per inſpirationem traheretur,quæ cor e directo petens ipſum magis afficit. Hanc eandem ſententiam uidetur lib. de Alimento inferre Hippocr.ut etiam ibi notat Valeſ.

Quod ſi quis dixerit contrarium ſenſiſſe Auicennam, cum dixit corpora dilatatorum pororum,& multę balneationis eſſe magis apta ad peſtem.Reſpondemus quando authoritas Galeni,& Hippoc. in contrarium eſt nos parũ eſſe ſolicitos de authoritate Auicennæ, maxime quando contrarium non ſuadet, quod ſi tamen qs eius dicta tueri uelit,dicat ipſum de dilatatione immoderata pororum intellexiſſe;quod uerba eius ſonant, cum inquit corpora dilatatorum pororum, multæ balneationis. Gal. uero intelligere de moderata apertione pororum.

Adde Auicennã nunquam in curatione peſtilẽtis febris ſuadere nos claudere cutis meatus.licet doceat aerem rectificare, & corpora exſiccare, & balnea fugere; contra modernos, qui claudere poros ſuadent.

Apparet ex dictis Gentilem non uſquequaque aſſequutum fuiſſe Galeni mentem, qui Gentil. uoluit, quod quando peſtilentia ob aerẽ ortum habet,quod ea corpora magis læduntur,

quo-

quorum pori lati ſunt. Si vero a cauſa interna, eos quorum pori ſtricti ſunt, & propterea Galen. intellexiſſe iſtorum poros eſſe apertos debere, quando.ſ.a cauſa interna fit peſtis. Auicennam vero intellexiſſe de peſte a cauſa externa procedente; nam & Auicenna, & Galenus intelligunt de peſte ab aere facta, vt videre eſt ex dictis eorũ, licet fateor ego, qđ magis ab interna cauſa læduntur, qui ſtrictos poros habent, ac proinde in peſtilenti a cibis corruptis orta, maxime procurandũ, ut bene corpora tranſpirent. Sed illud etiam addo hoc etiam in facta ab aere conuenire, ob rationes antedictas, idque Galeni eſſe mentẽ, quod volui repetere, quia ad curationem multum refert, nempe cutis poros debere eſſe moderate apertos, & nullo modo adſtrictos.

Alij dixerunt ſi excrementis vacat corpus, neque concitatę putredinis reſpiratio prohibeatur, quod ſemper tutior eſt denſitas, quando a circunfuſo aere ſeminaria peſtis ueniant: raritatem uero bilioſis, & iuuenibus familiarem eſſe ſuſpectam: uerũ rationes dictæ iſtis etiam repugnant. Præſertim, quia ut ſupra, cum de curatione in communi morborum communia, uerba feci procurare debemus paucum aerem corpus noſtrum ingredi, quod minime fieri poteſt ſi uſus reſpiratione augetur, & ſi tumidum, & imbecille corpus fuerit, teſte Hippoc. quæ omnia contingunt poros claudendo.

Cap. 21. de morbis omnibus. 2. de Nat. hum. 4.

Alij uoluerunt Galenum intelligere de corporibus obſtructiones intrinſecus patientib. ut in hepate, liene, meſeraicis, & ſimilibus non autem de cutis denſitate, de qua Auicenna intelligit. Verum Galenus inquit, quod ſit bona, & libera in omnibus meatibus ſpiratio, eis non obſtructis, neque adſtrictis omnibus exiſtentibus, ac proinde, neque eſt ad mentem Galeni iſta expoſitio, neque ueritati, & rationi conſona, ut ex dictis patet, maxime quia dicit ea corpora ad peſtem eſſe apta, quæ in multis corporis partibus obſtructiones, & adſtrictiones tranſpirationem prohibentes habent.

Apta etiam erunt ad peſtem corpora, quæ ſimilem intemperiem habuerint, cum aeris intemperie, ut ſupra patet, cum de morbis omnibus egi; ac proinde quomodo ſint præparanda, ut peſti reſiſtant diximus eodem in loco, & infra repetam.

De morbis communibus c. 22.

Quod uero ad ſexus attinet, mulieres, & pueros, maxime affici pe-

ci peſte uolunt, tum quia eorum corpora molliora, & humidiora cauſa ſint, & ad tranſmutationem, & ad putredinem magis apta, tum quia ob uictum abundantiorem, & inordinatum, quo uti ſolent, ſunt plena humorum. Veriſſimum quidem eſt, ſi plena fuerint humorum, eſſe peſti aptiora. Cœterum in alijs conſideranda eſt aeris intemperies, quæ ſi illorum intemperamento aduerſaretur (quod tamen rarum eſt, quia ut plurimum in peſtilenti cœlo humiditas præualet, ſicuti ſupra diximus,) tunc non eſſent, ſic ad peſtem apta eorum corpora, ut qui eodem eſſent intemperamento, ac aer ipſe.

Senes uero minus peſte corripi uolunt, quia eorum corpus frigidum, & ſiccum eſt, quod uerum eſt de ſenibus, qui excrementis non abundant, maxime quia minus reſpirant aeris, frigidiores iam cum ſint.

Quod ad temperamenta attinet ſanguineos magis afficit, quia facile ſanguis putrefit 2. loco bilioſos, 3. phlegmaticos, 4. melancholicos, ut Ficinus inquit; omnium minime temperati, quoniam ob compoſitionis robur, & temperationis ſalubritatem conſtantiſſime, ac fortiſſime a putredinis occaſione ſeſe defendunt.

Obſeruandum tamen eſt, quod hoc eſt uerum cœteris paribus. Si enim uerbi gratia melancholicus debilis eſſet phlegmaticus fortis, contrarium ob caloris innati phlegmatici copiam contingeret.

Eſt prçterea obſeruanda analogia dicta, ob quam aliqui ſunt magis ad aliquam peſtem apti, quam alij cuius cauſam ignoramus, ut antea dixi.

Qui etiam maiori reſpiratione indigent facilius peſte corripiuntur: quales ſunt uiri robuſtiſſimi, calidi nempe, & in paſſiuis temperati: qui ideo facile peſte capiuntur, quia maiori egent reſpiratione, plus ergo aeris reſpirant peſtil. Si tamen alia eſſet cauſa peſtil. non aer, non ſic ſe res haberet.

Ex dictis etiam notum eſt, quod ea corpora, quæ nutriuntur cibis, quæ fugienda eſſe in peſte infra dicemus, ad peſtem aptiora erunt: impuriora enim reddentur.

Corpora etiam aptiora ſunt ad peſtem autumnali tempore; ſunt. n. reſolutæ uires æſtate, unde autumno ſunt debiliores, & ideo niſi admodum in cibis ſunt cauti, multiplicabuntur cruditates;

ditates,eoque magis,quia autumnus, & ob inæqualitatem, ma-
3. Aph. gis debilitat,& ob frigus difflari prohibeat corpora, adde fru-
ctuum eſum,quibus eo tẽpore ueſci ſolemus, ut ex Galeno ha-
betur,ob has propterea cauſas peſtis magis ſæuire ſolet æſtatis
3. Ap.19. fine,& autumno.Quę licet ueriſſima ſint memoria tamẽ teneas,
quod omnes quidem morbi omnibus temporibus fiunt, licet
nonnulli in quibuſdam magis,unde etiam alijs temporibns po-
teſt ſæuire peſtis,& quandoque etiam magis,quam in dictis,ſi-
ue ob infortunium cœleſte id contingat;ſiue quia ab aliqua re-
gione peſtilenti in alijs temporibus ob uentorum flatum peſtis
deferatur, ſiue quia eo tempore potius affligere uult hos Deus
optimus maximus, ſiue ob aliam cauſam,quã ipſe ſolus nouit.

Ex dictis notum eſt,quid ſit febris peſtilens, quæ cauſæ, quæ eius differentiæ, quomodo ab alijs putridis, & præcipue quomodo a maligna putrida differat, & quæ corpora ſint magis ad eam parata, & quo anni tempore, conſequens eſt modo ea referre,quæ nos in cognitionem ducant febris peſtilentis.

FEBRIS PESTILENTIS SIGNA PATHOGNOMICA. Cap. XXII.

ACTVRI de ſignis febris peſtilẽtis dicamus primo eius ſigna pathognomica,ſi quæ ſũt,ex quibus in eius cognitionem peruenire poſſumus; præcipue ſi alia poſtea conſiderauerimus;nunc autem præſupponuntur ſigna omnibus febribus communia, quæ breuiter referemus tracta de alijs febribus.

Signa autem parognomica probatiſſimi authores præcipue ponunt ſequentia. Cum uideris prægreſſas peſtilentiæ cauſas ex ſignis dictis deſcriptis,tam a ſuperioribus,quam ab inferioribus,& a medijs, uel ſaltem eorum pleraque, & ſæuire morbos,quales ſupra diximus,unde adeſt aliqua ſaltem ſuſpitio futuræ peſtilentiæ,tunc attende.

Si febris continuæ principio ſtatim uires cadant uitales, ſine cauſa manifeſta ; quandoque enim propter malum ægrotantis habitum,uel propter ſenium , uel propter fatigationem , triſtitiam, uigiliam prægreſſam, & inediam per totam diem ſequu-

tam

tam febris,antequam cibaretur ſuperuenit, & nox inſomnis eſt actã,ob quæ primo,ſecũdo ue die vires ſunt redditæ imbecilles inquit Gal.4.Meth.2.ſi ergo ſine iſtis, vel ſimilibus cauſis ſtatim vires uitales in prin.feb.cõtinuæ cadunt,a qua plurima pars hominũ moritur,præcipue ſi contagium adfuerit,& cauſa communis manifeſta, ut dixi,proculdubio timendum etiam ne ſit febris peſtilens, iam certius erit, ſi abſque ſignis conſtitutionis, uel papulæ appareant eſtigmatauе, aut ſtigmata præcipue liuida,aut nigra,aut ſyntexis fluxus ue colliquatiuus,aut deiectiones nigræ, de quibus infra, aut color faci heriſipelato eius, aut bubones,aut carbunculi maligni,cum ſiti incompeſcibili,lingua arida,& aſpera,difficili reſpiratione,magna.ſ. & frequenti, licet ſitis non ſequatur, quod in cauſone etiam pernitioſo contingere ſolet,ut ſuo loco habes,aliaque ſigna incendium internarum partium ſignificantia adſunt, unde circa cor præcipue incendium adeſt, fætet uehementer ægrotantium anhelitus, omniaque excrementa fœtent. Inappetentia prætereà adeſt maxima,ita ut potius mori, quam aliquid deguſtare uelint,nauſeaque uehemens concomitatur, quæ ſunt præcipua ſigna febris peſtilentis.quæ ſi adfuerint,& alia etiam,quæ in alijs putridis,& malignis, apparere ſolent,ſed tamen magis horrenda apparent,peſtilentem febrem demonſtrant. Vnde Aet. & Paulus ex Rufo,& Oribaſ.7. Synop.25.referunt,quod in peſte horrenda ſunt omnia,& terribilia,neq; quicquam,ut in ſingulis morbis occultatur,nam & deliria,& bilis uomitiones fiunt,& multi ſudores erumpunt,& extrema algent,& alui profluuia bilioſa tenuia flatus plena urgent, urinæ excernuntur aquoſæ, tenues,bilioſæ,nigræ,quæ mala habent ſedimenta, & quæ in eis innatant peſſima, ſanguinis deſtillationes ex naribus fiunt, pectus æſtuat,lingua torrida ſiticuloſaque,triſtitia oboritur, itẽq; uigiliæ, conuulſioneſque uiolentæ, & alia permulta praua, & exulcerantia. Atque in peſtilentia aliquid, quod terribile non ſit, terribile fiet, & e contra,quod alioqui terribile eſt non terribile fiet;ecce quod omnia horrenda ſunt in peſte,& quæ alioqui horrenda etiam in alijs febribus eſſe ſolent, magis horrenda in hac apparent, & quod multa quæ horrenda non ſunt fiũt horrenda, & e contra: ideo dicebat Gal. in omnibus quibus recenſuit,morbis peſtilentibus, neq; aphtas, neque aliquod aliud 3.ep.3 22

incommodum de more tenuiſſe, ſed ſimul, cum membrorum putredine.

Val.2. epi. in princ.

Notandum tamen, quod in principio antequam bene uulgata ſit peſtis, ut plurimum non apparent manifeſta illa peſtis ſigna, ut bubones, & carbunculi, ſed malignæ febres apparere ſolent, cum papulis, uel aliæ febres mali moris, procedente uero morbo, & magis ſæuiente ſęuiora illa accidentia ſuperueniunt, quare a principio bene attende, & maxime ad uirium imbecillitatem, nullum enim certius iudicio iſto inuenies.

maxime 3 epid.3.

Eſt etiam conſideratione dignum, quod eadem ſigna non in qualibet febre peſtilenti apparent ſiquidem, ut etiam ſupra de mente Galeni dixi Lib. de Cibis boni, & mali ſucci, diuerſi morbi in peſtilentia fiunt, licet omnes ſint peſtilentes, & pernitioſi, ratio diuerſitatis eſt, inquit Galenus, quia non omnibus idem eſt temperamentum, non eadem uictus ratio omnibus, & uitæ inſtitutio, non eadem pars in omnibus laborat, ſed diuerſi humores peccant in corpore, & diuerſæ partes ſunt affectæ, ut etiam 3. epidem. 3. 12. habetur, unde aliquibus phrenitides poſſunt contingere, quibus cerebrum, uel ſeptum tranſuerſum afficitur, alijs affecto uentriculi ore, inappetentia, aliquibus fluxiones alui per eas partes debiliores natura humores expurgante, & ſic de alijs, ut etiam ab Hippocr. uidere poſſumus, magis tamen horrenda hæc ſunt, quam in alijs morbis eſſe ſoleant.

L. de febr. Cur. 1. & l. de f. 4. ca. 17. & l. de abd. rerum c. 2. c. 12.

Ac proinde non male Fernel. inquit, quod peſtilens febris, quæ ex contagione maligna inquinati aeris oritur, ſi parum corpus inuaſerit, ſui duntaxat generis ſymptomata promet, quæ infra dicam.

At ſi impurum corpus occupauerit, uel in quo male conſtituta ſunt uiſcera, una cum illis ſignis, impuritatis ſymptomata præſeferet, ut sũt cordis dolor, animi defectio, nauſea, frequens uomitio, oppreſſio, & alia huiuſmodi, quę ſymptomata, uel morbi magnitudinem conſequuntur, uel locum in quo febris eſt, uel utrumque, quæ melius infra diſtinguam, uult enim Fernel. nedum in diaria, & hectica, ſed putrida etiam peſtilenti, in principio ſigna peſtilentis febris ſimplicis apparere, ideſt, quæ febrẽ peſtilentem demonſtrant, non cum putredine humorum, licet poſſunt humores labefactari non putrefieri, ut ibidem ipſe docet, 18. cont. 3. quod tamen uix adduci poſſum, ut credam, adeo

enim eſt efficax cauſa peſtis, vt cum humores labefactari incipiunt vix credi poſſit illos non peſte affici, licet alterari poſſint, abſque, quod peſte afficiantur, vt infra.

Similia ſigna recolligit Raſ. accidit inquit in epidemiali febre, per epidemialem peſtilentem intelligit, & male, cum epidemia ſit genus ſub ſe continens omnes morbos vulgares, vt ex dictis patet, anhelitus altus, vehemens nauſea, corporis laſſitudo, tuſſis ſicca, bothor ſicca rubea, & crocea, uomitus melancholiæ, egeſtio ſpumoſa multa, & hæc uelociter, inquit interimunt, & in principio accidit in ea anhelitus ſtrictus, pulſus paruus, ſpiſſus, & diuerſus, & mouetur patiens in die uehementi motu, & ſentit in quarta tremorem, & apparent bothor nominati, & cito recedunt, & adeſt tuſſis ſicca, cum dolore hypochondriorum, & uomitus cholericus, & melancholicus, & egeſtio melancholica.

Hæc quidem ad demonſtrandum febrem peſtilentem ſufficere poſſunt nihilominus, quia multa etiam alia Doctoribus deſcribuntur, ut res dilucidior euadat, & ipſe etiam ea referam per ordinem, quæ ſi quis tædio longioris orationis omittere uoluerit, nihil refert, aut parum.

DE CALORE FEBRIS PESTILENTIS. Cap. XXIII.

AC primo de calore dicamus, quod ſignum deſumitur a propria febris ſubſtantia, non enim inquit Galenus febris eſſentiam ſuam in motu habet arteriarum, ſed in calore, ut nos probauimus etiam in tractatu de Febribus, ubi etiam uide nempe cap. 3. 11. quandā diſſonantiam in Galeni dictis, & eius ſolutionem. *Calor qualis.* *6. epid. 1. 28. & 1. de Diff. fe. 24.*

Calor ergo inquit Galenus eſt putridus, & corpus tangenti exterius non uidetur eſſe calidum, uerum interna in illa peſte, quam refert Thucid. adeo urebantur, ut ne tenuibus quidem ueſtibus, aut linteis egri tangi paterentur, neque aliud quicquā præternuditatem tolerarent, quod etiam confirmat 9. de Sim. m. fac. c. de Terra lemnia, ubi inquit febres peſtilentes nō eſſe calore uehementes, quod etiam refert Hippocrat. 3. epidem. cum *Loco dicto epidem.* *Lib. 2. de Pelop. bello.* *T. 3. 35.*

inquit, quod febres illius peſtilentiæ non erant acutæ.

Et licet res ſic ſe habeat nihilominus ſunt malignæ, nam ut ipſe ait 3.de Criſ.4.febres paruæ ſæpe malignæ ſunt. Cũ tamen aliæ quæ ſunt calidæ,& incendentes periculo uacent:unde auté malignitas dari poſſit,antea dictum eſt,nempe ut ex humorum malignitate, aut uehementi putredine, aut ex affecti membri præſtantia,eo autem malignior erit febris hæc, quia coinquinamenta illa uenenoſa pro cauſa habet, de qua re ſupra, & tales calor hoc præ alijs habet,ut inſigniter putridus ſit, inquit Gal. de qua re infra; Verum de iſto calore ſic Lucretius.

Loc. ſupra dicto epid.

Nec nimio cuiquam poſſes ardore tueri
Corporis in ſummo ſummam ferueſcere partem,
Sed potius tepidam manibus proponere tactum,
Intima pars homini vero flagrabat ad oſſa.
Flagrabat ſtomacho flamma, vt fornacibus intus.
Nil adeo poſſet,cuiquam leue,tenueque membris
Vertere in vtilitatem,ad ventum,& frigora ſemper.
In fluuios partim,gelidos ardentia morbo
Membra dabant,nudum iacientes corpus in vndas.

Et Thucidides inquit, quod ob æſtum partium interiorum ſeptimo,aut nono die peribant,quod ſi terminum hunc tranſirent,fluxũ incurrebant, inquit,cum acerbiſſimus doloribus,ob quem multi deficientibus uiribus peribant, de qua re infra, ex Galeno.

Magnus Auenzoar de calore iſtarum feb.inquit febres peſtilentes eſſe adeo mites,ut uix a medico percipiantur, & tamen ægri ſubito pereant,& ſic ut plurimum eſſe tales febres,quæ eſt ſententia Galeni,ut dixi,unde ſi ut plurimum tales ſunt, ut ait Auenzoar,conſtat, quod quandoque poſſunt eſſe mordaces a calore.ſ.quod etiam conſtat ex Hippocr.3.epidem.3. & a Raſ. confirmatur 17.cont.6. pari ratione Auicenna uocauit hanc febrem exterius quietam, interius uero conturbantem, non ſine ratione,ut ex dictis patet.

Gal. 9.de Sim. med. fac. in fine c.de Terra Samia.

Maxime autem circa thoracem æſtum ſentiunt,ut Aet.Paul. & Orib. ex Rufo referunt neque tantum æger; ſed medicus manu tangendo ſentit calori illius uehementiam, neque hoc immerito, quoniam in peſtilenti febre cor potiſſimum afficitur,ad quod tuendum confugiunt ſpiritus,& ſanguis. Præterquam,

quam, quod caliditas illa in corde a ſeminarijs peſtis accenſa, ad ſe a toto corpore humores trahit, maximaque fit efferueſcentia in partib. ſpiritualib. nec non q̃nq; inflãmatio, uel eriſipelas.

Aduertendum autem calorem peſtil. feb. tepidum uocari ſecundum aliquos comparatione habita ad alias putridas eiuſdẽ humoris, u.g. cauſon peſtilens minorem caliditatem exterius præ ſe fert cauſone non peſtilenti, licet calorem & ipſe mordacem, quod licet uerum eſſe poſſit, tum repugnat dictis authorum ſupralegatis: nam re uera eſt ſæpiſſime frigidum corpus exterius, interius autem urit, quod proprium eſſe cauſonis maligni dictum eſt, & ſuo loco habetur.

Eſt hæc febris ex genere lypiriarũ, quæ ex interna inflammatione dolorifica oriuntur ad ſe cucurbitulæ ritu ſanguinem trahentes, ut cap. de Lypiria ex Galeno conſtat.

Sunt tamen aliquæ febres peſtilentes, in quibus non adſunt ſigna demonſtrantia partium internarum æſtus, in quibus calor præternaturalis obrutus iacet, & uires ſuas exercere non ualet, adeo, ut neque ipſi quidem ægrotantes febrem ſentiant, non nullique medici illam non percipiant; ac proinde ægros non febrire contendant, quos tamen conſiderare oportet ſæpiſſime calorem febrilem eſſe maximam, putredinis autem minimum, ut in tertianis uidere poſſumus: è contra quandoque in maxima putredine calor febrilis minimus eſt, putredinis multus, ꝙ ex Galen. alias notauimus.

Simile eſt, ꝙ Fracaſtorius inquit in iſtis febrib. profundã eſſe putrefactionem, & ſordidam, in qua acrimonia minimè percipitur, & ideo febres iſtas mites apparere, & etiam, quia quod uaporat, obtunditur multo humido, cuius inquit ſignum eſt lenta eſſe ſeminaria, & fomitem relinquere, & etiam quia ſenſus per ſe hebetes ſunt, quod ſi per initia aliquæ ardentiſſimæ uidẽtur, idcirco hoc accidit inquit ipſe, quia nondum putrefactio eſt profunda, ſed febres illę primo in nobis incipiunt tales, quales illæ quæ contagioſæ non ſunt, cholericæ autem, ut plurimum mox profunda fit putrefactio, & contagioſa, & leuior febris incipit uideri.

Nicolus tamen Florentinus inquit, ꝙ in peſte ſui temporis, paulatim, & lente incipiebant febrire, primo ſcilicet inquit infectis ſpiritibus, & humoribus cordis, remiſſo gradu infectio-

nis,

nis,ſed poſtea magis inficiendo,donec formam uenenoſam in cor poſuerant, acutiores erant,uerum de infectione ſpirituum dictum eſt ſupra.

De cętero eſt ueriſimile,maximè quando peſtis ab aere oritur licet etiam ab alia cauſa ex ſupradictis cũ coinquinamentorum peſtilentium ſit proprium petere cor ut deleteria multa faciunt,leuiores iſtas febres ad tactum apparere corde,& toto thorace intrinſecus primo affecto,& flãmæ ritu adſe ſanguinẽ & ſpiritum trahente, ut ſupra dixi, poſtea accenſo calore per totum corpus tunc eluceſcere externis.Hinc coniectari licet uerum eſſe ꝙ Fallopius refert. ſe uidiſſe in peſte 1528. dolorem ingentem fuiſſe in thorace qui ad clauiculam uſq; perueniebat cũ difficultate anhelandi,thorace nimirũ principaliter affecto.

Anhelitus Et ob maximum incendium in corde exiſtente concordant omnes anhelitum eſſe magnum frequentem, & uelocem.

Nec ſolum frequens, & magnus, ſed ut refert Thucidides difficilis,& fętidas, fętida& totius corporis exhalatio,ſed pręcipue expiratio fętida urina,& omnia excremẽta,ob ingẽtẽ,ſcilicet putredinem circa ſpiritualia exiſtentem, unde uoluerunt nonnulli anhelitum fœtidum demonſtrare in corde confirmatam eſſe putredinem. Si id contingat ratione febr. peſtil. non ex alia cauſa puta dente putrido, phrhiſi , uel alia ſimili cauſa , quod tamen ſemper intelligitur.

Et anhelitus fętẽs inter certa peſtis ſigna a Gal. ponitur 3.de præſag.ex pulſibus 2.De quo ſit cecinit Lucretius. *6. Natur.*

Spiritus ore foras tetrum uoluebat odorem.
Rancida quo perolent proiecta cadauera ritu,

Ex qua re conſtat fœtidum eſſe admodum anhelitum.Cæterum ſufficiant hæc de calore,& de anhelitu,conſequens modo eſt de pulſu dicere qui reſpirationi, ut noſti reſpondet.

DE

DE PVLSV FEBR. PESTILENT. Cap. XXIIII.

SI ſupponitur in febribus peſtilentibus eſſe incendium in thorace, iure poſſumus dicere ſi una aderit facultatis robur, quod pulſus erunt magni, celeres, frequenteſque, & quod manifeſtius in hac febre celeritas contractionis percipitur, in quauis parte ſit accenſa caliditas, ſiue in ſpiritibus, ſiue in cordis ſubſtantia, ſiue in humoribus, licet infeſtius, quando in humoribus eſt accenſa, quia tunc magis multiplicantur fuliginoſa excrementa, quæ differentiæ pulſus ſic apparebunt, ſi eum uirtute fuerint ualida, ut dixi, uel non admodum imbecilli, ſecus ſi facultas fuerit debilis, q̃ maxime fit, quando in ſpiritibus, uel ſubſtantia cordis accenſa eſt caliditas, quo in caſu ſtatim cadit: Si enim in humoribus accenſa eſt, poteſt uirtus conſtare, ut etiam a Galeno habetur, ac proinde dixit Galenus, quod pulſus in febre peſtilenti, ſicuti in omnibus febricitãtibus neceſſe eſt, ut ſint celeres omnino, non tamen neceſſe eſt eſſe maiores, aut crebriores, nam ſi peſtis cordis corpus occupauit imbecilli erunt. Si quidem inquit ipſe, qui pulſus ſunt comites intemperiei ipſius corporis cordis imbecilli ſunt omnes. Si uero peſtilens febris, non in ſubſtantia cordis fuerit accenſa, ſed in humoribus, quos continent cordis ſinus, ſiue uniuerſus calor putridus ad dictos humores deflexerit, non ad corpus ipſum uiſceris, his pulſus inquit Galenus non ſunt præualidi, non enim ſunt imbecilli, ut quando in ſubſtantia cordis eſt affectio iſta, non ſunt tamen admodum ualidi, ſed moderate ualidi, ut per hoc ſignum conſtet, quomodo peſtilens putrida ab hectica differat meo iuditio, in hectica enim ſtatim imbecillitas eſt in pulſu, et languidi reddũtur, in humorali minime: imo, quod etiam poſſunt, quando eſt hectica peſtilens fieri pulſus parui, & rari, ut de paruo, & raro ſpiritu, ſiue ſublimi refert Gal. in febr. acuta eylionis, quando refrigeratur, & emoritur uitalis facultas.

3. de præſ. expulſ. 3 in fine. c.

3. ep. 3. 74

Verum quandoque, ut eodem 3. de Præſag. ex pul. 3. inquit Gal. pulſus in hectica peſtilenti fiunt moderatis ſimiles in magnitudine, celeritate, & crebritate, id quod contingit quando ſubſtan-

ſubſtantia, ſeu ſpiritus, & ſanguis in uentriculis cordis contenta, uel etiam corpora quę cor attingunt, ut in fine eiuſdem c. inquit, eſt frigidior, id quòd uſu euenit his qui crudos frigidoſq; humores, & pituitoſos aceruarũt. Sed cordis corpus ſiue ſubſtantia calidior eſt reddita a peſtilenti aere, ſiue a ſeminariis peſtilentibus cordis corpus calidius redditũ quando ipſum aggrediuntur, ut uſu euenit his qui frigidos ſuccos aceruarunt in ſinibus cordis, ſed (ſic legit græcus codex licet latinus interpres illud ſed omiſſerit) græcus enim habet ἤτοι δὲ aut ira uehementiſſima concitati fuerint, aut nimium uigilauerunt cum graui ſolicitudine, aut aerem peſtilentem ſpiritu attraxerunt, aut uenenoſa aliqua qualitas ad cordis corpus penetrauerit. Si enim affecto cordis corpore ab una aliqua cauſa, ũ ipſum calefaciente, continent contrarios ſuccos in uentric. cordis, reddunt pulſus moderatis ſimiles in magnitudine, celeritate, & crebritate, ut ibidem probat Gal. & Raſis 17. cont. 6. adducẽdo hũc locum, reddẽs rationem curpulſus fiant in hac peſtil. febrè ſimiles naturalibus, dicit cauſam eſſe, quia cor inuadit mala complexio, & diuerſa, ut per hoc conſtet Raſim uoluiſſe cauſam talium pulſuum in hectica peſtil. eſſe diuerſitatem affectuum in corde exiſtentium, & diuerſitas eſt, quam dixit Gal. maxime c. 3. pag. 597. & c. 2. pag. 591. & c. 4. p 602. non autem eſt cauſa meo iuditio quam multi aſſerunt dicentes, quòd ideo reddantur pulſus moderatis ſimiles, quia cordis ſubſtantia eſt affecta, nam ſi ſolum hoc adeſſet, proculdubio redderentur pulſus languidi, & forte etiam rari, & parui iam emoriente natiuo calore, ut ſupradictum eſt, at quòd fieri poſſint moderatis ſimiles in magnitudine, celeritate, & crebritate, ut dicit Gal. in dicto capite, & niſi ex diuerſitate complexionum modo antedicto, nõ uideo ſaltem de mente Galeni quicquid multi in hoc dixerint, cauſa erroris meo iuditio fuit textus Galeni male traductus quem reſtituimus nos, ut ſupra uidere eſt an uero poſſit diuerſitas iſta complexionis induci a ſola febre peſtilenti occupante cordis corpus quis conſideret, fortè poſſet aliquis dicere, ꝙ aere peſtilenti corpus cordis occupante ſua caliditate humores cordis calefacit, ob quòd deberent eſſe pulſus magni, celeres, & frequentes, ſed ſua uenenoſa qualitate ſpiritus, ſubſtantiamq; cordis, & calorem innatum reſoluendo, & extinguẽdo corpus cordis

l. 3. de præſag. expul. c. 3. & 4

dis frigidam reddunt,vnde ex his duabus diuerſis complexionibus redduntur pulſus moderatis ſimiles;eſt enim etiam hæc diuerſitas talis,quæ poteſt facere dictos pulſus moderatos, vt eo dem loco patet:nam poteſt cordis corpus eſſe frigidius, & materia in corde cõtenta eſſe calidior,& ſic fieri dictos pulſos,cęterum licet id habeat neſcio quid veriſimilitudinis,& probabilitatis,tñ vcrũ ſit hęc mens Gal.in hoc cap.alius conſiderat:mihi minime videtur maxime quia cap.4.inquit vt aũt paulo ante cũ viſceris calidioris, & vicinorum ei frigidiorum conſideraremus pulſum, febrem diximus eſſe hecticam, ita nunc ſi uiſcus ſit frigidius omnino, quam naturalis modus permittat, & uicina calidiora,febricitabit quidem homo non hectica tamen febre, ſed uel diaria, uel putrida;unde conſtat ipſum uelle in febre peſtilenti hectica corpus cordis eſſe calidius, ſubſtantiam uero in eo contentam,ſpiritum nimirum, & ſanguinem frigidiores.

Hoc unum dicam quando iſtæ complexiones diuerſæ cordis poſſunt eſſe,& cum peſtilenti hectica,& cum hectica non peſtilenti: quomodo id diſtinguere poſſimus, docet hoc Gal. cap.4. eiuſdem 3.de Præſag. ex pulſibus.ſ. ex anhelitu fœtido, & alijs malis ſignis,de quibus etiam infra cum de urina febricitantium peſte dicemus,hæc nunc;ſufficiant pro pulſu febris peſtilẽtis ad mentem Galeni meo iuditio dicta: confirmant noſtram ſententiam quæ ipſe inquit in principio cap.ſed pręcipue in fine,nempe ipſum uoluiſſe cauſam, quod pulſus iſtius febris moderatis ſint ſimiles eſſe inęqualitatẽ cõplexionis,ubi cõcludit,hactenus de febribus,in quibus cor tanto quam natura poſtulabat calidiorem,quanto quam continet materia frigidior,&c.quam Galeni ſententiam talem eſſe non uideo quemquam hactenus dixiſſe.

Auicenna inquit,quod febris peſtilentis pulſus,ut plurimum ſit paruus,& frequens;& ſit uehemens in nocte, quod fiat paruus ob debilitatem facultatis,& quia paruus,quod fiat frequẽs, ut ſatisfaciat frequentia paruitati non eſt dubium, at quod in nocte fiat uehemens,pulſus paruus talis .ſ.quia languida facultate ſit paruus non uidetur rationabile.

Niſi dicamus eſſe uehementem comparatione facta ad pulſum,qui in die fit. Nam calor naturalis, una cum ſpiritibus uitalibus,& ſanguine in partes intimas extractis uirtutem fortifi

P cant

cant, unde pulſus erit uehemens, ſaltem ut dixi comparatiue.

Forte etiam, quia in nocte augetur interius caliditas aucto tunc uſu pulſuum, ſi natura fuerit fortis, uel non admodum languida pulſus uehemens redditur, ut primo de Cauſis pulſuum habetur cum agit de pulſu ab uſu una cum facultate uehemēti.

At in hac febre niſi forte in principio, uel quando in humoribus tantum accenſa eſt febris peſtilens, non ſunt tales expectandi pulſus, ſed languidi potius, iam enim ex Galeno ſupra notauimus, quod in humorali peſtilenti pulſus poſſunt eſſe ualidi, uel ſaltem non admodum languidi.

DE VRINIS FEBRE PESTILENS. Cap. XXVI.

DE urinis inquit Hippocr. quod urinę in illa peſte erant multæ tenues, quæ nihil decretorij, uel boni afferebant: neque enim inquit Galen. quo purgaret corpus, & infeſtantia amoueret uidetur tunc molita natura multam urinā, ſed ea ratione reddebantur multæ, quoniam ob nimiam copiam ſeroſi humoris, eas uaſa ſuſtinere non poterant, uel quod mordacitatem uehementi offenderentur, itaque ad excernendum contenderent: & paulo infra, inquit Hipp. urinæ multæ erant, neque erant ex potu ingeſto, ſed illum excedebāt, multūq; etiam uitioſæ erant urinę redditæ, neque inerat craſſitudo, uel concoctio, uel proba purgatio; nam purgationes per ueſicam commodæ, bonum multis portendebant, plurimis uero ſyntexin, turbationem, dolores, diuturnitates, & mala iuditia cuius cauſa erat, inquit Galenus, quia ſymptomatis ratione urinæ euacuabantur, & ſuperius dixerat Hippocr. quod urina turbata erat, ideſt, cum dolore excernebatur multa, & mala inquit Galenus.

3.ep.3.t.1 *Tex.61.* *T.16.*

Auicenna inquit urina eſt aquoſa, cholerica, melancholica, & paulo poſt inquit, quod aqua magna alteratione alteratur, & tamen febris occidit, unde aiunt pulſus bonus, urina bona, & tamen æger tendit ad mortem: ac quomodo pulſus bonus fieri poſſit, dictum eſt cap. præſente, quomodo autem urina ſit bona, & æger ad mortem tendat, multi, multa, & uaria dicunt; ego id in pe-

in peſtilente hectica,uel ſpirituoſa cõtingere poſſe crediderim, quæ febres peſtilentes,ut dixi,cito ſæpiſſime enecant, antequã peſtis humores inficiat, & ideo poſſunt urinæ bonæ apparere tunc temporis. Cum enim feb. hæc peſtil. non mala qualitate, & putrefactione illa, qua concoctio cohibetur, ut in alijs putridis, ſicuti etiam Valeſ. refert. 4. ſuæ meth. 2. ſed potius corruptione, & uenenoſitate quadam, quæ a tota ſubſtantia a ſeminarijs eius extracta inficiat cor; non erit mirum, ſi ſigna quæ a qualitatibus fieri ſolent, non percipiantur, & ut Fernelius inquit, ut ſupra notauimus forte cum a principio cor inuadit, inueniet corpus purum, ſed tamen analogia, ut diximus nos, ſeminaria peſtis ipſum cordis corpus inficient, unde in urina nullum erit malum ſignum, cum humores tunc non patiantur, & quia ut plurimum talis febris cito perimit, hinc eſt, quod urina exiſtẽte bona ęger moritur, poſſunt etiam humores a peſtilente lue labefactari, non tamen putreſcere, quo tempore mitior, & in principio eſt peſtilens etiam humoralis, & tunc in tali etiam peſtil. putrida, nec turbatæ, nec confuſæ uidebuntur urinæ, ſed ſubſtantia, colore ſedimentoque laudabiles, ſi Fernel. credimus, uerum ſi diutius perſeuerauerit, iam magis affectio communicabitur humoribus, & putredo ipſos inuadet, & tunc urina turbabitur, uel aliud ſignum putredinem demonſtrabit, ut quia turbata, & fœtida admodum eſt, qualem in Flandria obſeruaui eſſe in hac febre peſtilenti, & poſſunt etiam alio modo alterari urinæ pro diuerſitate humorum in corpore exiſtentium, aliæ enim apparebant in bilioſis, alię in pituitoſis, & ſic aliæ in uiuentibus delitioſæ, aliæ in crapulantibus, & in ſumma diuerſæ erunt ſecundum diuerſitatem humorum in uenis exiſtentium, & hinc eſt, quod diuerſæ eſſe cum poſſint, & diuerſas quiſque author forte obſeruauerit, quod diuerſe de urinis ſcribunt.

L. de febr. cur. 1. et de abditis 3. cauſ. 12.

Nicolus Florentinus inquit, quod urina bona apparet, & pulſus etiam boni, ut in alijs febribus fit, quando uirtus deficit; & ideo urina uidetur bona, quia uirtus non poteſt expellere partes craſſas id, quod inquit decipit inexpertos, ego etiam id ſæpius obſeruaui contingere in aliquibus febribus putridis, licet non peſtilentibus, uerum in principio morbi, ſi urinæ bonæ contingant, non uidetur poſſe fieri hac de cauſa; niſi forte in principio etiam ſubito uirtus cadat, id quod fit in hectica præcipue,

& ſpirituoſa peſtilente,licet etiam quãdoq;in humorali:in qua tamen ut plurimum procedente morbo talis apparet,ſi tamẽ in principio uirtus cadit,& tunc poteſt uideri bona.

Et Fracaſtorius eandem cauſam refert,quã Nicolus,inquit.n. ꝙ deficiẽte uirtute,nec potente partes craſſiores ex pellere,per collatur quodammodo urina,& incipit minus craſſa deſcendere,deinde adhuc minus , donec deueniat ad mediocrem quandam conſiſtentiam,in qua nubeculæ quædam pendent, propter quod ſanis aſſimilatur,licet non ſit uere ſana , id etiam ego ſæpius obſeruaui in alijs febribus putridis, & præſertim malignis uerum urinæ præceſſerant craſſæ, uel ſaltem mediocres,quas contingit etiam quandoq; ob craſſitudinem habere ſedimen , ut ait Gal. in quibus ſedimen ſignum bonum non eſt ſicuti in
4.Aph.69 aliis,quæ ob initio ratione totius morbi coctionis ſedimen capiant.

Gordonius inquit in peſtilentia laudabiles apparere urinas, quia non ex morbi natura redduntur,ſed cibi,non enim natura inquit ſtudet morbum inuadere propter eius malitiam. Cuius ſententiæ uidetur etiam eſſe conciliator.

Tales urinas laudabiles in peſtilenti febre apparere,& hecticam febrem peſtilentem demonſtrare dicunt uoluiſſe Galenum
3.de Præſ. ex pul.4. inferre 3.de Præſ.ex pulſ.id quod etiam de pulſu moderato ſimili dicunt,qui in hectica peſtilenti , ſolum contingit , & quotieſcunque adeſt in peſtilenti febre,hecticam peſtilentẽ eſſe de monſtrat,ut inter cœteros Altom.ait.Verum pace tantorũ uirorum dixerim,Gal.hanc nõ eſſe menſẽ patet , ſi bene eius uerba conſiderentur,& quid uelit in eo cap.dicere.Loquitur ibi Gal. de peſtilenti hectica,in qua corpus cordis incaluit , & humores in ſinibus cordis contentos ſanguis.ſ.& ſpiritus frigidi ſunt , ut l.eodem cap.3.& 4.conſtat,& quoniam poterat contingere aliquos laborare febre hectica peſtilenti,uel febre hectica ſimplici,ut ſic loquar,cum inæqualitate,quæ duæ hecticæ multa ſigna habent communia,ideo docet quomodo inuicem eas diſcernere liceat , quod uidit Raſ.diſtinguitur, inquit,inter iſtos duos
17.cont.6. morbos.ſ.ſi patiatur quis corruptionem epidemialem , aut malam complexionem inducentem debilem febrem , aut hecticam puram non epidemialem,&c.ſupponit tamen ibi Gal. quandoque iſtas affectiones,neque a pulſu,neq; ab urinis; poſſe diſtingui,

gui,cum & pulſus, & urina laudabiles quandoque appareant, ac proinde ab alijs diſtinctionis ſigna habet. Si enim peſtilenti hectica laborauerint,ut ibidem ex Galeno habetur, expirationem fætidam habent, quo ſolo ſigno uulgus etiam eos cognoſcere dicunt,& præterea colorem faciei partim eryſipelatoſum habent, partim herpetibus depaſcentibus aſſimilem, diffuſum per plures partes,ex calore etiam febrili circa thoracem percepto,ſi manum medicus admouerit diſtinguuntur,differt enim, ut antea diximus, quia in hectica peſtilenti in illis partibus incendium adeſſe percipitur.

Ex his etiam quæ balneum conſequuntur,diſtinguere poſſumus,an hectica peſtilenti,an hectica ſola laboret, nam licet qui peſtilenti hectica laborant forſitan & ipſi a balneo non lædantur,quod tamen nunquam experiri quiſquam homo poſſit (ut uel ex hoc conſtet non eſſe tutum id experiri) tamen diſtinguũtur,quia eorũ qui hectica peſtil.laborant oculi inter lauandum calidi,& flãmei redduntur,nam licet ipſe id experiri non tentauerit,forte caſu id alijs facientibus uidit, quidam etiam a balneo tales permanent quos inquit Galenus plane ſcimus teneri peſte,cibum præterea reſpuunt,& ſitiunt prætermodum, ac frigidam expoſtulant.

Addit Galenus inſpiciendam eſſe præterea præ cœteris urinam,etenim inquit conturbata quorundam eorum uidetur eſſe,& aquoſior,ac nõnullorum multo,quam pro natura tenuior atque hæc quidem inquit Galenus certiſſima eſt.ſ. ut (arbitror ego,eum inferre) quod hæc urina certo demonſtrat non eſſe hecticam ſimplicem.

Addit Galenus necnon quæ naturalibus, undequaque ſimilis eſt colore,& craſſitudine,hęc etiam inquit Galenus ad ſecundam ſpetim certiſſima eſt; nam meo iuditio ſicuti antedicta urina certo, cum alijs ſignis dictis peſtilentem hecticam demonſtrat,ita hæc hecticam ſolum,quæ inquit Galenus ſi ſublimamẽto probo ſit prædita,multo etiam eſt certior,ſiquidem ſedimentum ſit candidum,læue, & ęquabile, pręſertim ſublimamentis eſt animus adhibendus:nam (.ſ. in peſtilenti hectica) quędam, quę ſubliuida quodammodo ſunt,fugiunt,& item alia quę aranearum lętas totas referunt in modum lanę cõgeſtę. At ſi inquit Galenus quid tale animaduertas, ut, nullum ſublimamentum

inna-

innatare vrinis in peiorem partem interpretare .ſ. peſtilentem eſſe hecticam, ſi contraria inquit videas, quæ retuli modo non poteſt fieri, vt male affectus ſit homo: quia .ſ. hectica erit cum inæqualitate, non peſtilens, & ideo ſubdit Galen. Ex his igitur diſcernas, utrum inæqualitate quapiam affectus ſit, an peſtilens morbus, & exitialis, qui hecticam febrem habeat, eum apprehendat.

Et quoniam eſt adeo difficile hos affectus diſtinguere, ut me dicos decipiāt ſigna dicta, ubi conſiſtat difficultas ſuperius narrauerat; nam ſane inquit uideatur quibuſdam perplexa, & inco gnita (.ſ. affectio iſta) ſi quando nec differentia ulla pulſuum deficiat a naturali ſtatu; & ſe ipſe ægrotus non dicat febrem percipere, ac inæqualitatem, quæ una moleſta erat balneis procurauerit. Et ut rem inquit difficiliorem faciant, ne ex urina quidem parere in eiuſcemodi affectibus firmam notitiam ſemper licet; ſed eſt etiam fere anceps, colore, & ſedimento ſimilis naturali. ›

Vbi uult meo iuditio Galenus, quod quia quandoque neque ex pulſu, neque ex urinis licet diſtinguere, an ſit hectica febris peſtilens, an hectica ſimplex cum inæqualitate, quia forte iſta duo ſigna, quandoque in utraque apparere poſſunt, quod ex alijs ſignis ſuperius de iſtis tunc poſſumus eas diſtinguere.

Veruntamen quando urina conturbata eſt, uel non eſt ſedimento, & colore ſimilis naturali, facilius inuicem diſtinguuntur, Hoc enim uoluit ſignum eſſe certiſſimum, quo inuicem diſtinguantur.

Subdit poſtea Galenus ſexcentos tales inquit in peſtilentia diuturna conſpexi (.ſ. qui habebant dicta omnia ſigna, quæ ſuperius dixerat non ſolum urinam laudabilem, ut quis poſſet interpretari) &c. quæ uide.

Hæc longiori forſan oratione, quam hic locus expoſtulat, in quo non intendimus officio interpretis uti, quia res mihi uiſa eſt conſideratione digna; ut ſaltem alijs uiam patefaciam, qui locum hunc Galeni magis dilucident; in quo intendit Galenus diſtinguere hecticam peſtilentem a non peſtilenti, neque uult Gal. Signum febris hecticæ peſtilentis eſſe urinam bonam, ut ali qui dixere; ſed infert, quod quandoque poteſt eſſe laudabilis cū pulſu laudabili, tam in peſtilente hectica, quam in alia hectica, & ob id eſſe diſtinguenda ex aliis ſignis dictis, neque dico ob id

in

in hectica peſtil. non poſſe urinam eſſe bonam, hoc enim iam confirmaui, ſed dico hoc ſuis in uerbis non inferre Galenum, ſed eam quam retuli ſententiam.

Alij dicunt, quod urina non modo craſſa, & turbida ſit in febre peſtilenti, ſed & nigra, & liuida ob aduſtionem, uel caloris innati extinctionem, & quod ſępius tenuis, & alba redditur cũ ſedimento non laudabili. Hinc Fracaſtorius inquit plurimas urinas peſtilentia affectorum eſſe ſubiugales, propter multa, & diuerſorum humorum ebullitionem, quod ſi humor crudior fuerit, albida inquit ſæpe, & ſubtilis urina redditur, ſi uero ſanguinis excrementa redundant, rubra, & confuſa propter ebullitionem, quos ſi ſubaduſta, & ſubtilia fuerint, aut tenui melancholia admixta, ſimilem uino granatorum urinam faciunt. Ego ſubiugalem uidi in nonnullis peſtilēti febri affectis, cum eſſem in Regione Belgica, cum bubonibus, de quibus infra, & alijs peſſimis ſignis.

Nonnulli aiunt, quod urina hæc liuida eſt maxime in eius ſuperficie propter læſionem ſpiritualium, & quod fætida apparet ob maximam putredinem, & natiui caloris extinctionem, præternaturali calore uiuente, ut antea dixi, de qua re nemini dubium eſſe debet; cum fętida ſint omnia excrementa, ex Thucidide loco ſupradicto, calore naturali iam a peſtilente uicto; unde non amplius regere poteſt noſtrum corpus, & ideo putredo in dies fit maior.

SE-

SEQVITVR DE ALIIS SIGNIS FEBR. peſtilent. Cap. XXVI.

IAM ex ſignis a pulſu deſcriptis, & ab urina, & calore quã peſſime ſe habeant peſtil.febre affecti conſtat,prçcipuè quia ex dictis manifeſtum eſt uirtutem uitalem,& etiam naturalem plurimum laborare.

Quibus adde quod animalis etiam & motiua peſſime ſe habent. nam & corpus & animus languet, ut etiam Thucid. dixit loco dicto,& ſic cecinit Lucretius.

Atq; animi prorſum uires totius,& omne
Languebat corpus læti iam limine in ipſo.

Grauitas propterea totius corporis adeſt, emortua facultate ſuſtẽtatrice,& motrice corporum,& quę membra prius mouebantur,& leuia uidebantur,nunc grauia uidentur inquit Gal.
3.ep.3.68 unde Diodor. Sic. inquit 14. Baldi, quod crurum grauedines aderant.

3.de præſ. expul. Corripiebant ante omnia eos qui ſalubri erant corpore capitis acres feruores inquit Thucid. & Gal. color faciei partim eryſipelatoſus erat, partim herpetibus depaſcẽtibus aſſimilem habent qui peſte afficiuntur diffuſum per plures partes:peruagabatur, coalita lues temere, nulloque ordine inquit Gal. omnem corporis ſuperficiem,ſed primum in cap. inquit Thucidid. & Hipp.3.epid.3.22. inquit, & Gal. & quod ſacer ignis multum celeriter per omnes corporis partes depaſcebatur,ſed præcipuè circa caput,& ſexagenarijs, ſi uel minori quis curam adhiberet. Cauſa cuius fuit Auſtrina illa conſtitutio, cum tranquillitate uentorum,ob quam repletum fuit caput,& ſenes,putredo maximè uexauit,quoniam humiditati eorum, ob imbecillitatem coaceruatam, acceſſit præternaturalis caliditas aeris tunc uigentis,unde duæ cauſæ putredinis aderant,humiditas, ſcilicet & caliditas,ut ibi Gal. Falop. refert in illa peſte 1528. ꝙ color in facie citrinus erat omnibus quib.bubo peſtilẽs erat.

Oculorum ſuffuſio ruboris, aduſtioque eos corripiebat inquit Thucid. Gal. ut antea etiam dixi, quòd oculi eorum ſunt accurate inſpiciẽdi,nam inter lauandum manifeſte redduntur calidi,& flammei,quidam inquit poſtea tales permanẽt, quos

planè

plane,ſciemus teneri poteſt. Sunt duo hæc ſigna ab oculis deſumpta,ſed quod Thucid. refert, apparetantequam lauentur: quod uero ſignum refert Gal. inter lauandum apparet, & poſtea etiam permanet.Si enim non permaneret,non eſſet ſignum peſtis,ut uidetur Gal.inferre. Lucretius autem inquit.

Principio caput inciſum feruore gerebant,
Et duplices oculos ſuffuſa luce rubentes.

Et aduertendum,quod & in magna illa peſte, quæ tempore Galeni,& in ea quæ Thucididis memoria infeſtabat, eadem facies fuit teſte Galeno,ut ex hoc uideas tale ſignum non eſſe contemnendum.

Introrſum uero inquit Thucidides ſtatim lingua cum faucibus ſanguinolenta uiſebatur. Lucretius addit.

Et aſpera.

Deinde ex his ſternutatio inquit Thucid. raucitaſque exiſtebat,nec diu poſt labor in pectus,cum uehementi tuſſi deſcendebat,& cum ad præcordia hæſerat,illa uexabat.Vnde Lucretius.

Sudabant etiam fauces intrinſecus atro
Sanguine,& vlceribus vocis via ſepta coibat,
Atque animi interpres manabat lingua cruore,
Debilitata malis,motu grauis,aſpera tactu.
Inde ubi per fauces pectus complerat,& ipſum,
Morbida vis in cor mœſtum confluxerat ægris
Omnia tum vero vitai clauſtra lababant.

Galenus inquit multi fauces laborabant,uox erat uitiata, & paulo poſt: & ſi inquit in pulmonem, & aſperam arteriam deſcendebat fluxio,tabidi fiebant:& idem 3.Prognoſt.30. aſſerit, quod Thucidides inquit,cum in cor inhęſit,(intelligẽs pro corde os uentriculi)id ſubuertit.ſ. uentriculum; ſubuertit intelligit, inquit Galenus impetum in uomitionem. *3. epid. 3. com.19.et 6.epid.7.1*

Cunctæ fellis,& humoris,quæ a medicis uocantur excretiones,ſequebantur & ipſæ cum ingenti cruciatu;inquit Thucidides,& paulo poſt inquit,neque uero corpus, quoad morbus augebatur flacceſcebat,ſed opinione hominum fortius peſti reluctabatur. Adeo inquit plurimi infra nonum,& ſeptimum diẽ, ab ardore urente uitalia necabantur, adhuc aliquid roboris habentes,aut ſi hoc tempus exiſſent,tamen deſidente ad uentrem morbo, atque illum acriter concutiente idq; cum aſſiduo pro-

fluuio multi quoque poſtmodum debilitate ipſa peribant. ſimi le Galenus 3. epidem. 3. Aluus bilioſa, & pinguia excernit, quod eſt Syntexeos ſignum, & febris peſtilentis perpetuum, & qui

Lib. 3. ep. c. 3. & 4. ægrotos ferè omnes ſuſtulit, quicunque etiam atram bilem exquiſitam deiecerunt omnes interierunt in illa peſte, de qua lib. de atra bile indicant enim eam iam ſanguinem fuiſſe immodice aſſarum, atque aduſtum. & 4. Aph. 21. & 22. & 47. inquit, quod huiuſmodi excretiones, ſi in morbi principio fiant nunquam ad bonum fiunt, magnam uiſceris læſionem oſtendentes .ſ. ob quã ante tempus debitum poſt coctionẽ euacuare cogitur, ad morbos uero conſiſtentes ſequuntur ſæpius ad bonum, natura expurgante ſuperfluitates.

Ac propterea ipſe eodem 4. Aph. inquit plurimas quidem deiectiones nigras in peſtilenti illo morbo longo conſpexiſſe, quæ non magis in h s qui exitio proximi erant, quam in alijs ſaluandis apparebant, non tamen inquit, uel in principio, uel in cremento morborum conſpiciebantur, tunc enim quæ euacuabantur erant, & flaua, & rufa, colore colliquamenta, quæ uero mox apparebant, nigra erant ueluti fæx ſanguinis. Siue inquit ipſo ſuperaſſato habuiſſent generationem, ſiue iam aliquam extraneam putredinem aſſumpſiſſent, illis quę in uentriculo fiunt cruditatibus proportionaliter, quãdo ad uitioſos humores corruptio terminauerit. & 6. de Comp. m. ſ. loc. 6. inquit, quod calida intemperie circa hepar exiſtente fiunt colliquationes primo humorum deinde etiam carnis ipſius hepatis, & euacuatur per uentrem bilis craſſa graueolens, & abunde colorata, quemadmodum inquit in peſtil. feb. contigit, quandoque fluxus alui diuerſus eſt pro diuerſitate humorum, ut in peſte illa refert, de qua Hippocr. 3. epid. 3. inquit idem Gal.

Et quod admodum excrementa iſta ſicuti, & cœtera omnia fœtida ſint, ob maximam putrefactionem nemo eſt, qui neget.

Cibum omnes faſtidiebant, maxime uero, qui uitio uentris

3. ep. 3. 56 detinebãtur, cuius eſt ratio, inquit Gal. quoniã ciborũ appetẽtia eſt opus uentris, cum ergo uentriculus afficeretur, ut ex fluxu antedicto notum eſt, non mirum ſi eius officium, quod eſt appetere deficiebat, hocque ſymptoma omnes affecit nedum in peſte quæ uiguit tempore Hippocr. ſed etiam in ea quæ uiguit tempore Gal. ut ipſi aſſerunt, quare factum eſt, ut multi morerentur,

rentur,fortiſſimi autem,qui uim ſibi ipſis afferentes cibum oblatum ſumpſerunt,omnes fere ſuperſtites fuerunt; plurimi uero mori,quam comedere quidquam prius duxerant.

Auicenna inquit adeſſe nauſeam, & appetitus caſum, cui ſi non reſiſtitur,cum uiolenta comeſtione interficit ægrotantem.

Raſis inquit ſi nauſea ſit frequens, cum febre tepida, quæ multis ſit communis,quod ipſa eſt peſtilens, tantum ipſe nauſeæ, cum febre tepida tribuit.

Siti uehementi tenentur : cuplu .ſ. ob incendium cordis, & ſpiritualium, & bilis multitudinem, cum omnia bilis genera ad eſſent, ut antea ex Thucidide dixi, ad quam ſitim linguæ ſiccitas,& inquietudo moleſta ſequitur ex omnium ſententia maxime Aetij,& Auicennæ.

Thucid.refert,quod ſiti inexhauſta adacti ob incendium partium internarum erat illis iucundiſſimum in gelidam ſe ipſos aquam abijcere,& quod in puteos,multi eorum quib.cuſtos deerat ſeproiecerunt.Quamquam inquit perinde erat nimis, aut minus bibere. Et Lucretius inquit.

Multi præcipites lymphis putealibus alte,
Inciderunt ipſo venientes ore patente
Inſedabiliter ſitis,arida corpora merſans
Aequabat multum paruis humoribus imbrem.

Nihilominus Hippocr. inquit, quod aliqui circa potum intempeſtiui erant,ideſt,inquit Galenus non magnopere ſitibundi erant,quoniam nõ perinde his multa copioſa putrida ſanies in uentrem,ut prædictis illis.ſ.qui ſiti præmebantur,conflueret *3.ep.3.61*

Vnde conſtat ſuam ſymptomata uariare ſecundum conſtitutionem temporis,& ſecundum alias ſimiles cauſas,maxime prout hanc,uel illam partem morbus offendit,tempore Hippoc.peſtis erat ex calida,& humida intemperie, Thucid. uero tempore, & præcipue æſtate caliditas multum excedebat, ac proinde maxima ſiti æſtate uexabantur.

Aliam rationem præterea cur quandoque in febribus non ſitiant ægrotantes pete a Gal.1. epid. eorum inquit quibus uenter laborabat aliqui ſitiebant, aliqui minime,craſſitudo enim *60.& 61.* humorum,inquit Gal.& tenuitas erat aquoſa aceruata, frigida quidem illa ſua ſponte utraque, ſed acquiſitiuum calorem a putredine mutuans, quare in quibus iam excedebat putri-

dus labor,erant ſitibundi, in quibus nondum, ſi contra merito non ſitiebant.

Et 1.*epid.* 2.74. Sunt etiam qui non ſitiant, licet cauſa ſitis adſit emoriente virtute,vt ibidem habetur,& nos cap.de Cauſone diximus.

Nec ſolum linguæ ſiccitas, ſed etiam totius palati, quandoq; cum ulceribus malignis nedum in dictis partibus, ſed etiam in gutture,& fauci,vt ex Aet.& Auicenna habetur;quæ exulcerationes ob putredinem cacoethes ſunt,inquit Galen. qui etiam 5.meth.12.inquit,quod in peſte illa talia ulcera aſperam arteriam moleſtabant,cum leuicula tuſſi leuiter irritante,de quibus etiam 3.Prognoſt.habetur.Et Lucretius inquit. *3 ep* 3.12. *&* 47.

Tenuia ſputa, & croci tincta colore
Salſaque per fauces raucas,vix edita tußi.

Somnus quandoque adeſt, quandoque vigilia, vnde calido illo,& humido ſtatu peſtilenti inquit Hippocr.quod ſopore detinebantur, ſi quibus ad caput a calore febrili frigidi, & crudi humores deferebantur.alijs erant vigiliæ ſi bilis abundaret. Alij inquit Galenus tenuibus ſomnis tenebantur, quibus putrida erat tenuitas.

Nicolus inquit, quod ſemper adeſt maxime in carbunculo, ac bubone ob humores corruptos aſcendentes. Cœterum meo iuditio ſi corrupti uigilias potius facerent, quare dicendum, quod ob uapores a ſanguine,uel a ſanguine pituitoſo ob ebullitionem diuerſos, antequam ſit putredo tanta, ut acrimoniam dicti humores acquiſierint, & tenuior pars ſit in bilem uerſa, fit in bubone,uel carbunculo ſemper,ſicuti etiam dixi de Feb. cum papulis erumpentibus.

Ob hanc cauſam dementes fiunt poſt ueternum,humores.n. putreſcentes acredinem acquirunt inquit Gal.ob hanc cauſam fit etiam phreneſis,vel paraphreneſis.ſ. ob acredinem dictam licet hæc magis acquiratur poſt uigilias multas.

Poſſunt etiam in cerebro pituitoſi humores adeſſe,præcipue ſtatu Auſtrino,quo caput repletur, qui a febrili calore liquefacti cerebro ſporem inducent.

In coacis prænot. Holerus uoluit potius a mala qualitate iſtum ſoporem fieri, quam a materia;uerum quęnam erit hæc mala qualitas?

Non uigilias tantum adfuiſſe in peſte perpetuas,refert Thucidides,ſed & inquietudinem membrorum. Vnde Lucretius.

Nec

Nec requies erat ulla mali, defeſſa iacebant
Corpora, maſſabat tacito medicina timore.
Quippe patentia, cum totas ardentia noƈteis
Lumina uerſarent, oculorum expertia ſomno.

Inquietudo autem noctu maxime ſolet fatigare, tum quia ſomni tempore grauiora omnia uidentur, ſi dormire nequimus, tum quia ſuſcitati uapores, minus diflari, & diſcuti poſſunt, magiſque incluſus manet calor, & uapores fuliginoſi ab eo excitati.

Proprium peſtilentis ſignum eſt uirium lapſus, ut antea dixi, addo nunc cum ſyncopi, a uomitu præcipue, & ab egeſtione, quod etiam Almanſor retulit.

Conuulſio uiolenta conſequitur Paulo, Aet. & Auic. etiam teſtibus, ob malos uapores ſua acrimonia cerebri membranas, & eius neruos laceſcentes, & in conuulſione fit ferinus, & toruus aſpectus, conuulſis oculorum, & faciei muſculis: ut ob hæc etiam iſtę febres aſpectu terribilis dicantur, nempe cum delirant, & torue aſpiciunt, inquit Gal. Vnde Lucretius. *6.ep.1.28.*

Triſte ſupercilium furioſus uultus, & acer.

Et paulo poſt de conuulſione, ſic inquit.

In manibus uero nerui trahier, tremere Artus.

Conuulſionis acerbiſſimæ cauſam ſingultum inanẽ fuiſſe refert Thucidid. qui ſingultus in aliquibus citius in aliquibus tardius ceſſabat: quem ſingultum fuiſſe a non proportionata, ut uocant materia; ob bilem, ſcilicet, os uẽtriculi mordicantẽ, quæ bilis nedum acrimonia ſua propria, ſed etiam a mala, & ueneno ſa qualitate a ſeminarijs peſtis contracta, ſingultum, & conuulſionem poterat monere; forte etiam a nimia exſiccatione fiebat. De ſingultu ſic Lucretius.

Singultuſque frequens, noƈtem perſæpe diemque
Corripere aſſidue neruos, & membra coarƈtans
Diſſoluebat eos defeſſos ante fatigans.

Dolores præcordiorum, aderant inquit Aet. ſiue etiam inteſtinorũ ut inquit Diodorus Sic. 14. Bibl. Dolores uero iſti maligni fiunt, inquit Galenus ex ſuccis ab improbo uictu, aut peſtilenti cœlo in corpore genitis. Hi dolores ad reſolutionem (ſiue ſyncopin, & uirium lapſum, ut interpretor ego) perducunt acutiſſimi, & acerbiſſimi cum ſint inquit Galenus. *6.ep.6. 8.* *6.epid.7.1*

Nec

14.*Biblio.* Nec ſolum in furorem,ſed etiam in rerum omnium obliuionem incidebant, qui inquit Diodorus Siculus circũ euntes caſtra emoti mente preibant,& Thucid.inquit,quod multi ex his qui ſanitati reſtituti erant,ſiue a peſtilentia ſeruati,omniũ quæ antea nouerant obliti fuere,ita ut,& nedum familiares, ſed ſeipſos etiam ignorarent,de qua re Gal.l. de Diff. ſympt. 3. & 2. de Cauſis ſympt.ultimo, & lib.de Animi mor.& corpor.mutuo temperam.& 2.prorrhet.l.9 & præterea ſic Lucretius,

Atque etiam quoſdam cœpere obliuia rerum
Cunctarum,neque ſe poſſunt cognoſcere, ut ipſi.

Flatus ſub hypocondrijs excitari ob caloris naturalis imbecillitatem aſſerunt multi,unde eorum tenſio, & ſplenis tumor, inquit Auicenna.

Frigiditas partium extremarum adeſt; ſiue id emoriente uirtute fiat,ſiue ob internarum partium inflammationem ad ſe cucurbitulæ ritu ſanguinem,& ſpiritus trahentem, de qua re ſupra cap.24.niſi forte id contigerit ob multitudinem frigidorũ, & crudorum humorum, qui frigidiori, & humidiori conſtitutione ſuperfluunt,de qua re Gal.1.epidem.2. temp. 2. maxime com.27. frigiditatem ante extremorum fieri propter inflammationem internarum partium,uel caſum uirtutis multa mala accidentia demonſtrant,ſed præcipue facies illa Hippocratica,naſus acutus,collapſa tempora,oculi concaui,compreſſę aures,&c. De qua re Lucretius.
3.ep.3.39

A pedibuſque immutatim ſuccedere frigus,
Non dubitabat item ad ſupremum denique tempus,
Compreſſæ nares,naſi primoris acumen
Tenue,cauati oculi,caua tempora, frigida pellis,
Duraque inhorrebat rictum,frons tenta manebat.

Vide infra cap.30. Sudorem præcipue circa faciem,& collum tales tentaſſe nouit Fallopius,& quod erant fætidi. De quo Lucretius.

Sudoriſque madens per collum ſplendidus humor.

Et 3.epidem.3.inquit Hippocr. & Gal. quod multi ſudores aderant non decretorii, a multitudine humorum grauata natura,Fœtidi autem erant ob intenſam putredinem.Sicuti cœtera excrementa iſtorum, ut antea diximus, quandoque ſudor ille anglicus adeſt,de quo Lemnius,&c.

Inquit Lemnius li.2.de Comp.lex cap.1.quod ſudor iſte Britan-

tannicus, ſeu Anglicus dictus eſt, quia in ea regione populares frequentius eo corripiuntur, partim ob operoſas lautaſque mẽſas, ac ciborum affluentiam, qua illos diſtendi contingit, ut Germanos, ac Belgas potu, partim (ut obſeruatum eſt inquit, ante anno ſuperiore ſolſtitio æſtiuo) ob aerem turbulentum, ac nebuloſum denſaque caligine paſſim offuſum, quo fit, ut concepta intus, & foris morbi cauſã, atque origine, non ſine ſanguine, & ſudore, cum illo colluetentur, quaſi cum ualido, ac præferoci hoſte certamen ſit initum, quem ſummis uiribus excuſſiſſe laborent. Hinc corporis animique defectus, hinc ſpiritus langui-di, ac collapſæ uires, hinc intercepta uoce, occluſiſque ſpirand fiſtulis, uitæ propemodum interitus, atque exanimatio. Talemque morbum ob uitæ mollitiem, delicatam, Anglicos, & cito corripere, & occidere ait: at Fracaſtorius ad Analogiam eius contagionis, quam habet ad ſubtile ſanguinis id refert, propter quod die una, aut finitur ægritudo, per ſudorem ſaltem, ut plurimum, aut finitur æger.

Huic morbo cardiaca ſyncope inquit ſuccedit, & animi defectus ob morſum ſtomachi, qui non minori affectu hominem cõficit, quam ſi cor uitæ fontem halitu contagioſo forinſecus ingruente opprimi contingat. Conſequitur & eodem teſte, ut obſeruatum fuit in Belgica regione animi deliquium, & cordis palpitatio, & ex animi deliquio, ut Hol· ait ſpiratio trium horarum moriuntur.

Æſtuant etiam non ſtomacho tantum, ſed etiam capite; perculſi tali morbo, mox quaſi eſſent languore diſſoluti, animi defectione corruebant, decumbenteſque perpetuo ſudore deflue-bant cum febre, cum pulſu crebro celeri, & inæquali, neque ſudori modus erat ante morbi ſolutionem. Soluebantur autem uno, aut ad ſummum altero die, quanquam liberati diu poſtea lãguebant, omnibus cordis palpitatio conquiſita, alios quidem duos tres ue annos, alios omnem uitam comitata. Initio multos ſuſtulit. Quum nondum uis illius erat percepta; at poſtea ad modum paucos, ubi exercitatione, & uſu deprehenſum eſt, eos qui ſudores exciperent prolicerentque, & ſe cardiacis munirent, omnes reſtitui, tunc mitior iam factus morbus epidemialis non pernitioſus erat, & ideo neque peſtilens meo iuditio, hæc Fernelius, & alia ex quibus concludit uenenum huiuſce febris

Fernel. lib. de Abditis rerum cau. cap. 12. in fine.

bris peſtilentis potius ſpiritui,quam humori inſidere, & omni ratione in ephemerarum cenſu eſſe habendum,cuius uenenum tenue tum eſſet, infirmiuſque uitali robore, ut cor laceſſiuerat in cutem propellebatur, ſudore ſolo prorumpens.

Cap. XXVII.

CORPVS inquit Thucidides exterius non admodum feruens erat tactu,neq; pallidum, ſed ſubrubrum fuſcum minutis puſtulis, ac papulis ſcatens. Et Lucretius inquit.

Et ſimus ulceribus quaſi inuſtis omne rubore,
Corpus ut eſt,per membra ſacer cum diditur ignis.

Gal.l.de Atrabile c.4.inquit,quod in illa longa peſtilentia ob febres ardentes ſanguis craſſus,& niger effectus eſt; qui ut antea dixi cum in aliquibus, qui conſeruati ſunt, fuit deiectionum nigrarum cauſa,contingebat autem deiectiones iſtę in his, qui ſeruabantur 9.die magna ex parte,vel 7. uel 11. quib. uero inquit ægrotis huiuſmodi ventris deiectio non accidit, ijs corpus uniuerſum nigris papulis commaculatum eſt, quæ ſane illis non diſſimiles erant,quas Græci exanthemata appellãt.Non nunquam etiam ueluti ſquama illis exſiccatis, atque diſcuſſis decidebat,ſed paulatim,ac multis diebus poſt Criſim. Et paulo infra inquit huiuſmodi puſtulas contingere natura, quicquid melancholici humoris ſuperuacuum eſt foras detrudente, a quo genere oritur etiam carbunculus, inquit,de quo nos infra.

Idem Galenus citans locum antea dictum Thucid. inquit, ꝙ
6.ep.1.28 per pemphingodes aliqui intelligunt febres cum papulis, & ſubdit,uerum quorum febres, cum papulis a ſymptomate ipſo ſic appellantur, nos ueriſimiliter ex hoc ſymptomate Hippocr. voluiſſe peſtilentes ſic vocare febres intelligimus, nam inquit, & hæc profecto eſt una febrium ſpecies, &c.

1.ep.2.37. De papulis etiam in febre contingentib. loquitur etiam alibi Hippocr.papulæ inquit paruę,quæ non eſſent excernẽdis morbis,ſtatimque euaneſcebant,aut ſecundum aures tumores nigricantes,qui nihil denuntiarent.

Vbi uult Gal.quod horum cauſa eſſet cruditas humorũ,quos

quod

quod ſi natura excernere tentaret nihil proficiebat,imo ab illis ſuperata,aut in profundum fluere promiſit, aut propter paucitatem excretionum, abſceſſum moliebatur.

Galen.inquit,quod tempore illius peſtilentiæ exanthemata, cum vlceribus ſiccis emanabant per corpus,quæ etiam pulmones infeſtabant,puſtulæ inquit,quæ exanthemata uocantur, nigræ,toto corpore confertim multæ apparuerunt, ulceroſæ quidem plurimis,omnibus certe ſiccæ.

Ex ſupradictis antiquos pa pulas quidem tenuiſſe cõſtat,quę in febri peſtilenti apparent, quandoque cum ulcere, quandoq; ſine,ut quæ culicum morſibus aſſimilatur petechias, ut antea dixi uocant, hiſpani tabardillo cœterum in iſtis etiam intellexiſſe morbillos,& uariolas affirmare non audeo, quod multi faciunt,neque etiam negare,quando id difficillimum ſit iudicare.

Sicuti an de iſtis intellexerit Hippoc. cum dixit multis ſacri ignis occaſionem quilibet,& minuti admodum puncti toto corpore præbuerant.Sed huiuſmodi quæſtiones; quoniam curationem non uariant,ut c.de Morbillis,& Variol. demonſtrabo,par ui facio.

Anginæ pernitioſæ ſuperueniebant quorum naturam uidere potes ab Hippocr.

Guido inquit, quod in peſtilentia ſui temporis,a qua etiam ipſe captus fuit, ſanguinem per os palatum, & nares, & ueſicam excernebant.

Abſceſſus pleriſque horum inquit Hippocr. in ſuppurationes contigerunt,atque carnis multum,& oſſium,neruorumque decidit ob prauos enim humidos humores ſolidæ etiam partes computreſcebant inquit Gal.unde tex.25.inquit, & uide quomodo totum caput glabreſcebat,& mentum oſſaque denudabãtur,decidebantque,& quod hæc cum febribus,& ſine febre; & erant hæc formidabiliora,quam deteriora ratione ibidem a Galeno adducta.Similis fuit peſtilentia illa ſęua,de qua Galenus in ſummos pedes graſſata,pedes putrefaciens. *3.de Vſup. fol.357.*

Similia inquit etiam Thucid. & infert quod ex his,quandoque a peſte liberabantur ægrotantes,quaſi per criſim expurgantis ſic humoribus,& expurgata morbi malitia; unde inquit, & hac pernitioſiſſima lue,ſi quis conualeſcebat eius uiolentiam ſignificabant extrema membrorum,ſiquidem ad uerenda, & ad

ſummas manus,ſummoſque pedes prorumpebat,quibus omiſſis,nonnulli liberabantur,quidam amiſſis etiam oculis. Vnde Lucretius.

Quorum ſi quis vt eſt uitaret funera læti,
Viſceribus tetris, & nigra proluuie alui,
Poſterius tamen huic tabes letumque manebat,
Aut etiam multus capitis,cum ſæpe dolore
Corruptus ſanguis plenis ex naribus ibat,
Huc hominis totæ vires corpuſque fluebat,
Profluuium porrò,qui tetri ſauguinis acre
Exierat tamen in neruos,huic morbus,& artus
Ibat,& in partes genitales corporis ipſas,
Et grauiter partim metuentes limina læti
Viuebant ferro priuati parte virili,
Et manibus ſine nonnulli,pedibuſque manebant
In vita tamen, & perdebant lumina partim,
Vſque adeo mortis mœtus his inceſſerat acer.

In ſumma ſi aliqui euadunt magno id emunt pretio præſertim,quando minus medico obtemperauerint, aut remedijs conuenientibus morbus non curetur.

DE CARBVNCVLIS, ET BVBONIBVS, quos ueteribus fuiſſe notos probat contra modernorum opinionem. Cap. XXVIII.

CARBVNCVLI multi orti ſunt in peſte illa de qua 3.epid.3. æſtate maxime ob calidum feruorem,& craſſam materiam inquit Gal. com.51. humorem melancholicum foras detrudente natura, ut ſupra diximus a Gal. de quibus in alia peſtil.inquit Hippocrat.carbunculi in cranone æſtiui &c.quæ ibi uide,maxime a Valeſ.

L. de Atr. 42.ep.Sec. 1. in princ.

Nedum autem carbunculi,ſed & bubones, & abſceſſus ſimiles inquit Fracaſtorius magis fiunt in peſtilenti febre, quam maculæ,quia inquit furens,& pergens eſt in illis materia,furit autem introrſum magis inquit, & circa membra principalia hepar,& cor,& cerebrum, quare membra illa mittunt materiam furentem ad ſua emunctoria, & aliam materiam ibi mixtam

ex quibus apparet iſtos abſceſſus magis fieri tempore peſtis, quam maculas,licet etiam iſtæ quandoque fiant, materia tenuiori a ſanguine infecto,ad cutim depulſa. Cuius cauſam uult eſſe Valeſ. quia hoc noſtro ſeculo maior eſt abundantia excrementorum craſſorum,quia homines uberius nutriuntur,& minus ſe exercent,unde cum humores dicti, & in dictis membris principalibus,& per totum corpus multiplicentur non mirum, ſi cum ebulliunt natura ad ſua emunctoria eos expellat.

In humorali autem peſtilenti maxime apparent bubones, & carbunculi,eo quia in hac humores ſunt affecti, tales autem abſceſſus ab humoribus fieri efferuentibus dictum eſt; id quod ēt nouit Hippocrat. ut multis in locis notum eſt maxime 6. epid. 7.4. qui hos bubones oriri uoluit iecoraria uena, & arteria affecta; & uult ibi Valeſ. loqui Hippocr. de bubonibus,qui tempore peſtilentiæ fuerant, de qua paulo ante dixerat.

Idem Hippocr.malignos bubones in acutis febribus fieri nouit inquit enim in bubonibus febres malæ fiunt exceptis diarijs quod etiam dixerat in Aph. *2.ep. Sect. 3.col.147. Valeſ.*

Et ſubdit, & qui in febribus bubones nequiores in acutis ab initio pullulantes,qui deinde non creſcant in febribus, ſed decreſcant,febribus ipſis creſcentibus,malignam materiam, & in uiſceribus ipſam recondi ſignificant;idem 1.epidem.2.37.tumores poſt aures nigricantes factos fuiſſe dixit,quod nihil diuinarent,his ſic ſtantibus,non uidetur uerum,quod Fernel.dixit de bubonibus nihil proditum eſſe a ueteribus, nam de non peſtil. Hipp.& Gal. pluries maxime loco dicto Aph.de peſtil. uidetur etiam dixiſſe Hippocr.locis dictis nempe eos nouiſſe,nec enim licet forte non fuerint in illa peſte de qua 3. epide. 3. poſſumus arguere illos Hippocr.non nouiſſe,neque enim eſt neceſſarium in omni peſte illos comparuiſſe:nam neque de carbunculis meminit loco dicto 6. epid.7. 1. de quibus tamen ipſe nonnulla 2. epidem. in principio 2.tempeſtatis peſtilentis,& 3.epidemia.3. maxime 51.

Præterea falſum eſt de bubonibus, & peſtiferis nihil proditum a ueteribus. Areteus enim doctiſſimus,& antiquiſſimus medicus, quem multi uolunt ante Galenum uixiſſe, inquit bubones peſtiferi,& maligni iecoris ſoboles ſunt. *2.de Cauſ. & ſig.ac.3*

Diodorus etiam Siculus,qui tempore Iulij Cæſaris, & etiam

Auguſti uixit de peſte Cartag.uerba faciens.Primum inquit de
14.*Bibl.* fluxio occipit, poſt ad collum tumores exoriebantur, deinde mox febres inſequi,& ad ſcapulam neruorum dolores,& crurum grauedines,inde inteſtinorum dolores,& in corporum ſuperficie puſtulæ erumpebant.

Tumores autem poſt collum bubones fuiſſe non eſt dubitandum,qui ut Holerus refert; & alij obſeruerunt, ut eſt Ficinus, non tantum ſub collo poſt aures, & ſub aſcellas, & in inguinibus,& ut breuiter dicam in emunctorijs oboriuntur, ſed in cubiti flexura etiam ſe bubones peſtiferos uidiſſe aiunt, & in collo,ut de curatione bubonum a Ficino deſcripta manifeſtum eſt.

SIGNA PESTILENTIS FEBRIS SPIRItuoſæ, hecticæ, & putridæ. Cap. XXIX.

SED quoniam diximus febris peſtilentis aliam eſſe diariam,aliam hecticam, aliam humoralem,licet hæc ultima ſit tantum curabilis, tamen ſi non curationis gratia, ſaltem, quia ad prognoſticum multum refert eas inuicem diſtinguere, ſigna cuiuslibet tradenda erant a ſpirituoſa, ſiue diaria exorſi.

Hæc ergo ſequuntur ſymptomata ferè,quum ſupra de febre anglica cum ſudore diximus,de qua tamen re Fernel.dubius eſt capit.67.an.ſ. hæc anglica febris,ſit diaria peſtilens,cum tamen etiam manifeſte diariam dixerit,l.de Abditis rerum cauſis,cap. 12.eſt præcipue frequens deliquium animi,& interdum ſyncopis,ex uehementi ſpirituum corruptione,& propterea ob penuriam laudabilium ſpirituum, quam eſſe unam ex cauſis princi-
22.*Meth.* palibus ſyncopem inducẽtibus dictum eſt ſupra de mente Gal. in 30. horis ferè perimere hæc febris ſolet, rariſſime quartum diem attingit, uomitus eſt aſſiduus,uigiliæ ferè continuæ,corporis uehemens agitatio,uires paulatim deficere ſentiunt ægrotantes,quæ ſtatim in principio langueſcũt,urinæ laudabiles ſunt nec ſitis admodum moleſtat,non deiecta eſt appetentia, non calor multum acutus,aut mordax; imo ipſi ſe ægri minime febricitare dicunt, quæ omnia medicos etiam non uulgares ſæpe deci-

decipiunt. Præſertim, quia ſudor ille de quo ſupra diximus anglicus.ſ.adeſt,qui in principio aliquã ſpem inexpertibus porrigit,cum tamẽ uires ſæpius ipſe diſſoluat;& præterea minus in hac fluxus ille colliquatiuus, quod eſſe perpetuum peſtis ſignũ ex Galeno diximus, in hac ſpirituoſa apparet.

In hac potiſſimum ſigna ſola apparent, quæ in ſimplici peſtilenti febre apparere, dixit Fernelius, quando eſt peſtilens non putrida;pulſus.ſ.paruus,languidus,frequens,calor omnino inęqualis,uires omnes præſertim uitales concidunt, frequens animi defectio, ac interdum ſyncope, aſſidua uomitio, per quam neque cibus,quidem optimus cor recreat,uigiliæ moleſtæ, frequens corporis iactatio,urinæ nec crudæ,nec turbidæ, nec ſitis uehemens,nec appetentia deiecta, nec magnum incẽdium,nec febris admodum ardens, ut idcirco ne febricitare quidem ægri interdum putent,qui ſine ſenſu doloris, uiribus extinctis decedunt inopinato:diſtinguitur difficile ab hectica peſtilente,pulſus tamen non ſunt adeo debiles, ut in hectica, celeriores, & frequentiores;calor non item exiguus, ut in hectica, & æqualis;non tamen mordax,ut in humorali: in hac urinæ non alterantur, ſyncopes magis moleſtant. *De feb. 4. c. 17. & l. de Abdit. rerũ c. 12.*

Hectica peſtilenti peſſime affectos ſe cognouiſſe referre uidetur Galenus ex acredine caloris, atque ipſo caloris genere, & quod pulſus parum præternaturam mutati ijs in eo ſtatu perpetuo manebant,quod pulſus in huiuſmodi febre inquit præcipue incidunt, imbecilli tum erant,ut in fine teſtij capitis conſtat, nam qui pulſus ſunt comites intemperiei ipſius corporis cordis imbecilli ſunt omnes;erant etiam celeriores,quia omnibus febricitãtibus celeritas eſt adiuncta:licet moderatis ſimiles ſint, quando nempe ſubſtantia in finibus cordis contenta frigidior eſt, & corpus cordis calidius, uel ob aliam inæqualitatem ſimilem in corde,aut circa cor exiſtentem, de qua re ſupra. *3. de Præſ. ex pulſ. 3. & 4.*

Adde dictis ſignis,ut ex Galeno loco dicto apparet,quod febricitare ſe negant ægri,quia febris occupauit cordis corpus, etenim inquit Galenus,duo ſunt propria ſigna hecticarum, primo ſi perpetuo ſibi ſimiles ſint,nec ullam acceſſionis inuaſionẽ, nec incrementum,nec uigorem,nec remiſſionem habent,nec ſe febricitare percipiant ægrotantes: quæ duo tamen ſunt ſigna omnibus hecticis cõmunia,ut noſti nedum peſtilenti, ac proinde

de ex alijs iudica,de qua re etiam ſupra, an ſit hectica peſtilens an non. eſt huius febris calor, non admodum mordax rellatione facta ad humoralem,qui etiam medicos ſæpe fallit,quia ſe febre liberos eſſe ægri putant exigua eſt febris iſta,& quia corpus cordis calor ipſe inuaſit, ſi tamen diutius manum admoueris, *3. de Præſ. ex pulſ. 2.* quaſi ex profundo calor efferri uidetur, & collecti, ac aceruati halitus acriores,ſenſum non obſcure afficiunt, non tamen tantum incendium ſentiunt, ut in alijs inquit Galenus.

Vrina in hac præcipue eſt ſimilis ſanorum, ut etiam ſupradiximus,& in ſumma cum ſubſtantia cordis tantum, uel eius ſpiritus patiuntur,ſigna adſunt ſimplicis peſtilentis,dicta eſt etiam *1. de Diff. feb. cap. 9.* hæc febris hectica, ſine ſiccitate, ut Galenus refert ſe obſeruaſſe in illa magna peſtilentia, ſine ſiccitate.ſ.magna, ut ſolet in alijs hecticis eſſe,non ob aliam rationem meo iuditio,niſi quia, cum a cauſa externa ſit orta, non poteſt in tam breui tempore exſiccaſſe corpus,ita ut appareat magna ſiccitas.

Si uero labes iſta ad humores iam peruenerit,& mitior fuerit,ita ut ſicuti in ſynocha ſine putredine fit ebullitio tantum,ſine putredine,ita in hac fiat efferueſcentia tantũ a mala illa qualitate (quod uix fieri poſſe crediderim,quin ſtatim fiat peſtilens humoralis,ob efficientis cauſæ magnitudinem,& ob materiam iam paratam ad recipiendam peſtem) tũc ſi Fernelio credimus, ſunt etiam ſigna illa ſimplicis peſtilentis, at ſi fiat uehementior lues, & bubo,uel carbunculus ſuperueniat.nec dum tamen urinæ turbentur,ſed ſint laudabiles, tunc neque adhuc putrida ab eo dicitur,ſed tũc quando ſigna infraſcripta putredinis adſunt; non forte aberrabit,qui dixerit diariam,uel hecticam peſtilentem dici,eouſque donec putredinis ſigna uideantur.

Deprehenduntur inquit Galenus a peſtilenti putrida affecti, ſi primo febrem percipiant ægri, ſi non æqualiter perpetuo febricitent, habent enim acceſſionis principium augmentum, & uigorem,& etiam declinationem ſi ſalus futura eſt; ſi tamen eſſet ſynocha uniformis eſſet,uerum diſtingitur ab hectica, ut ca. de Synocha conſtat.

Adhæc non habent hac putrida febri laborantes,pulſum præualidum,inquit Galenus,quod perinde eſt meo iuditio,ac ſi diceret non eſſe imbecilles,ut in hectica,non tamen etiam præualidos,ſed tamen conſtare,licet in omni peſtilenti febre ſint imbe-

becillitate quadam affecti. Adſunt præterea alia ſigna dicta de peſtilente ſimplici,licet non adeo ſæua,vt in hectica,& ſpirituo ſa,capitis dolor adeſt, grauitas, propenſio in ſomnum,ſpiratio difficilis,& graue olens,ſitis intenſa,poſtratio appetitus, bilioſa vomitio,exterius mitis apparet,interius conturbans, vrinæ, & excrementa alui fætida,& in ſumma putredinis ingentis ſigna, & varia ſigna ſuperueniunt pro diuerſitate humorum infeſtantium,& prout plus,aut minus affecit ipſa lues peſtifera,& prout hæc,vel illa pars laborat.

Diutius hæc febris putrida durat; hi ſunt qui linteamina ſuſtinere non poſſunt:in hac interiora urũtur exteriora frigẽt,ſubbrubrumque corpus apparet,& quandoque liuidum exiguis puſtulis,ac ulceribus,uel apparentibus,ut uocat Thucidid. efflore- *6.ep.* I.28 ſcens, quas pemphingodes poſſe dici Hippocr. & Galeni teſtimonio patet.Qualia ſunt papulæ ſuperius dictæ,& morbilli, & variolæ,de quib. inferius;& bubones,& carbunculi ægri iſti inæ qualiter cum febricitent,bene febrem percipiunt.

Reſpiratio fætida,maior,etiam frequentior, & fætida omnia alia excrementa,putrediniſque inditia adſunt manifeſta in pulſu;urinis,calore,& alijs,de qua re alias.Propterea ſiti magis cruciantur, lingua eſt aridior, frigidam magis expetunt,& cibum reſpuunt;in his præcipue bubones,& carbunculi erumpunt ue ternus ſopor ſubſequitur,& etiam phreneſis,ut ſupra dixi.Calor mordax occurrit, quod tamen paulo poſt miteſcit, hecticæ ſaltem reſpectu.

Huiuſmodi putredinis malignæ ſigna, & alia quæ ex ſignis antedictis apparent, in hac conſpicua, quæ maiora ſunt, quam in alijs putridis apparere ſolent ex Rufi ſententia, ut ſupra diximus,cum enim inquit Thucidid. hoc morbi genus horrendũ magis ſit,quam exprimi poſſit,crudelius inuadet,quam eius ferociam humana uis ferre poſſit.

Quis uero humor putreſcat dignoſcitur ex ijs quę in alijs febribus putridis dicta ſunt, ſi enim bilis prædominauerit ex his dignoſcitur,quæ capit. de Tert.continua, ac de cauſone dixi.Si ſang.ex ſynoc.ſi pituita ex cap. de quotidiana ſi melancholiam ex his,quæ cap.de Melancholia dicta ſunt,& ſęuiora ſe demon ſtrant ſolita ſigna,dictorum humorum.

Si ex mixtione humorum tot ſigna habentis, cum de febre com-

compoſitis dicam,quibus ualde ſigna febris peſtilentis ſupradi-ćta,& de hac habes exempla ex Hippocr.3.epidem.3.

DE PROGNOSTICO IN FEBRE PESTILENTI. Cap. XXX.

RELIQVVM eſt,ut de prognoſtico uerba faciamus,& in primis illud repetamus,quod ſupra ex Ptolomeo diximus, communes morbos periculoſiores eſſe,& inexpugnabiliores proprijs,nam potentiorem cauſam habent, deinde illud Thucididis memoriæ mandemus oportet;quod huiuſce morbi in totum eſt, ut remedia nihil proficiant ad ſalutem,imo quod quidquid in peſte ſui temporis fiebat,id omne inquit proficiebat in morbum, neque ulla medicina conſtabat,quam quis utilem fore diceret,nã quod alteri proderat,id officiebat alteri.Vnde Lucretius inquit.

Nec ratio remedij certa datur.

Lib. 2.c.6 Nec mirum cum non peſtilenti tempore ſolum,ſed omni ẽt, uerum ſit,quod Celſus dicebat: quæ inquit medendi cauſa reperta ſunt,nonnunquam in peius aliquid conuertuntur, neque id euitare inquit humana imbecillitas poteſt in tanta uarietate corporum. Non tamen propterea deſperandum, nam hoc,& ſe ipſum deſtituere, nec languori reſiſtere totius mali teterrimum foret,ut demonſtrat Thucid.

3.Aph.13 Cum præterea ueriſſimum ſit,quod ab Hipp.dicitur. Acutorum morborum non omnino certas eſſe pronunciationes ſalutis,aut mortis,maxime hoc uerificatur peſtilenti tempore, quo in principio ſæpe ſalutis omnia plena uidentur, cum tamen nõ multo poſt mors ſequatur. Eſt tamen quando ægri reuiuiſcere uidentur,neq;propterea, quia fallax eſt iudicium medicina

Lib.2.c.6 inculpanda,inquit Celſus, quoniam ars coniecturalis cum ſit, uis eſt etiam rationis, ut cum ſæpius reſponderit, interdum tamen fallat nos,idque non peſtiferis tantum, ſed etiam in ſalutaribus,ſiquidem ſpes aliquando fruſtratur,& aliquis moritur,de quo medicus ſecurus primo fuit.

Si quis tamen ſuum iuditium ad malum fecerit, hic minus prognoſticando aberrabit, peſtilentium enim morborum proprium

prium eſt,ut maior ęgrotantium pars pereat,vt ſupra diximus, nec mirum quo enim tempore natura magis peſtis ſeminaria deſtruere conabitur, cum ſæpius illa uincere nequeat, ſuperatur ipſa,ſæuiunt enim in pugna ſepiſſime,& natura imbecillior redditur,ob id uidetur mors repente ſuperuenire,& veriſſimũ eſt morbos peſtilentes in principio videri mites, & leuiores, ſed tamen paulo poſt ſpeciem mutant, iam in intimiora penetrantibus ſeminarijs dictis.

Obſeruatum eſt autem eos præcipue, qui humidiores ſunt, vel natura,ut pueri,uel etiam ex accidenti,ut ſenes pleniori lana,quoniam magis humectantur, plus periclitari, & mortem ſubire,attamen,licet mulieres humidiores ſint & ipſæ,ob menſtruam tñ, & quia nam æque ac uiri prodeunt, plenilunio non tantum periclitantur. Sanguinei etiam carnoſique iuuenes,eodẽ ẽt tpe potius intereunt, quoniam tunc illorum humores,maxime iactantur,ac commouentur. in nouilunio ob eandem agitationem ſæpius ægros peſtilentes mori multi dixere. *1. de Hu. 8.& 6.ep. 6.1.*

Vix autem ægrotantes ſeptimum diem pertranſeunt,licet,ut ſupra ex Thucidide dixi,plus quandoque reſiſtant, quam uideatur poſſe credi: & licet 3.epidem.3. & 6.epid.7.1. aliquos diutius duraſſe conſtat, neque mirum in conſtitutionibus illis humidioribus,in quibus magna ex parte fiunt febres longæ,quod de humorali peſtilenti dictum puta,Nam ſpirituoſa, uel hectica,ſi non primo,ſecundo,uel ad ſummum tertio die enecare ſolet,corrumpuntur enim in ſpirituoſa,ſpiritus uitales, unde uires protinus cadunt, quia in corde gignuntur, neque aliunde ipſi ueniunt,ſi ergo ob læſionem cordis corrumpuntur,regigni amplius non poterit.male propterea contrarium ſentit Valeſ. *3. Aph.16* *3.de Præſ. ex pulſ. 4.*

De hectica autem, inquit Galenus, quam medicinam inuenies aduerſus putredinem,quæ cordis corpus occupauit, proprio nimirum humore cordis patiente, non poteſt cor munia ſua obire, ac proinde citiſſima mors ſequitur.

Conſiderandum tamen,ſi uerum eſt, quod Fernel. inquit in febre peſtilenti primo affici ſpiritus, & malo procedente tranſire ad humores,ita intelligi debere,quod tantum alterentur,nõ autem corrumpantur ſpiritus, ita ut febrem faciant in omni febre peſtilente,de qua re ſupra,aliter ſequeretur,quod nemo inquam febre putrida peſtilente laboraret, niſi prius ephemera *Li.de Ab. rerũ cauſis*

S cor-

correptus eſſet, & tamen ſi uerum eſt ex ephemeraſtatim mori ſaltem,ut plurimum ægrotantes, nõ poteſt iſtud alterum,eſſe uerum,uel ſaltẽ ſequeretur,quòd omnes,qui peſtil. febre laborant in principio ſemper peius ſe haberent, quod falſum eſſe, ex dictis patet, & etiam ex longa obſeruatione.

Humoralis autem non eſt adeo pernitioſa,ut duæ antedictæ, quia humores,qui in finibus cordis cordis continentur,licet putreſcant,& peſſime afficiantur,tamen ab alijs partibus ſuggerũtur continuo,unde labem ſuſtinent,diutius etiam uita manẽte.

Et præterea humoribus affectis non tantum cœtera membra principalia patiuntur quemadmodum patiuntur,quando ſpiritus cordis,uel eius ſubſtantia eſt affecta, & in ſumma non tantũ uirtus cadit,ſicut Galenus inquit, quod multi ſuperſtites fiunt, quibus peſtilens febris in humoribus eſt.alij omnes,quos cordis corpus occupauit,pereunt,occidit autem citius cauſon,uel ſynocha peſtilentia,quam aliæ humorales peſtilentes, id quod etiam uerificatur in putridis,omnium putridarum,cum ſint hæ febres acutiſſimæ,& periculoſæ.

3. de Præſ. ex pul. 3.

Ex quibus inferre poſſumus,ſi qui in peſte ſeruantur eos eſſe quibus bubones,carbunculi, uel papulæ, uel alia huiuſmodi ſymptomata apparent,tamen quia febrem peſtilentem humoralem eſſe huiuſmodi ſigna demonſtrant, tum etiam, quia robur naturæ oſtendunt ad partes ignobiliores expellentis.

Patet ẽt ex dictis eas tantum febresq́ peſtilentes, curationem recipere,queq́ in humoribus accẽdũtur,reliquas eſſe incurabiles.

Patet etiam, quod uel ſpirituoſa ſtatim enecat, uel in hecticam tranſit,quæ tamen etiam cito perimit, quod ſi in humoralem tranſit,id quod eſt rariſſimum, quod tunc permutato morbo in minus malũ,poteſt curari, licet ueriſſimnm ſit iſtas etiam ſanatu eſſe difficillimas.

Deiectiones nigras morbo conſiſtente ad bonum apparere in febribus peſtilentib.dixit Gal.ſiquidem tunc fiunt naturę beneficio, quod noxium eſt expellente. In principio autem morbi ad malum, quia magnam uiſceris læſionem oſtendunt; inquit ipſe,a quo etiam notum eſt,quam malæ ſint colliquatæ deiectiones,& cibi faſtidium eſſe peſſimum, ut ſupra dixi.

4. Aph. 21

Si ſtilla ex naribus fluit,ſi ſanguinem per nares, & aluum,& ueſicam profundunt in principio morbi, quo tempore aliquid

ad

ad commodum excerni eſſe impoſſibile,dixit Galen. peſſimu eſt,quod Guido Gual. in illa peſte ſui temporis obſeruaſſe memoriæ prodidit.Mala alia ſigna,quæ in alijs febrib. recẽſet Hip & Galenus , & in prognoſt. & alibi eo peiora ſunt in peſtilent febre,quo maiora ſemper in ea apparent, ut ſupra adnotaui , & quo uires ſunt imbecilliores.

Quibus cum amentia ſtupor eſt , ſi moriuntur ferè omnes 3. quinto,aut ſeptimo die,ut obſeruatum fuiſſe aiunt.

Anhelitum fętidum confirmatum fuiſſe putredinem peſtilentem in corde omnes concordant,& ideo peſſimum eſſe ſignum, ut etiam ſupra adnotaui.

Qui altũ,& profundum ſomnum habent, pro deploratis habendos eſſe referunt,quia copiam, & craſſitiem oſtendunt uaporum quos naturam ſuperare poſſe diffidimus.

Peſtilentes morbos,ut plurimum in diebus paribus male iudicari ſecũdo.ſ.quarto,ſexto,octauo,habes ab Holero in Coac. prænot.nec mirum cum infidę ſint criſes in talibus diebus mox quod incidunt ante 14.vt & ibidem ab eodẽ habetur, & a Gal. l.de Criſibus conſtat.

De bubonibus ſunt, qui dicunt eos , qui ſub axillis prorumpunt,eſſe deteriores;alij qui in collo, aut poſt aures extuberãt; tu eos deteriores iudicabis , quod cordi magis propinqui fuerint,vel illi promptius affectionem ſuam communicent , quod & de carbunculis intellige,& inquiunt,quod quanto plures bubones apparuerint,tantum melius eſt,contrarium eſſe de carbũculis,quum quo plures,eo deteriores ſunt.

Bubo mollis ſi induretur peſſimum eſt,circa bubones, & circa papulas ardor ingens, qui interdum remittitur,ſecuros medicos imperitos facit , ſed paulo poſt æger diem ſuum extremum obit.

Si bubo deliteſcat,ſi papulæ deliteſcant certiſſimum eſt mortis ſignum,quod de omnibus alijs excretionibus etiam ex Hip. decreto intelligendum eſt,vt l.de Variol.etiam dicam.

Si bubo niger euadit,tariſſime euadunt ægrotantes, Fallopius autem refert,quod in peſte 1528. color bubonis erat ſubflauus cum veſica, & videbatur color ille perlucidus.

Si ante febris exortum ſuperuenerit bubo , cor forte eſſe ad venenum expellendum ſignificat , & tunc febris ipſa eſt acci-

dens apoſtematis,contrariu m eſt iudicandum ſi poſt febrem appareat,& eſt deterius Fernel.etiam teſte.

l. de Abd. rerum ca. 12. & 4. de feb.18. Deterior bubo inquit Ficin. carbunculo cenſetur,quia ſignificat multum venenum ad membra principalia decurriſſe,quod intellige ſi non fuerit creticus bubo,a quo natura alleuietur .

Carbunculi iudicantur mali,ſi puſtula eſt nigricans duraque quę cito non diſrumpatur;peiores candidi,a quibus maxime ſanies euenit. Quippe inquiunt deinceps aridior manens intus continetur,& quanto aridior,tanto peior inquit Ficinus.

Minores maiuſculis deteriores cenſentur , & maligniores , non uirtutis imbecillitatem oſtendunt, quæ materiam infeſtantem expellere nequit,& materiæ craſſitiem,quę nequit expelli.

Duri mollibus peiores,liuidi,nigri,& virides peiores rubris, & citrinis:& Ficinus inquit, primo nigri peſſimi ſunt;ſecundo liuidi , tertio glauci , quarto rubei . Sed de liuidis contrarium *2. Progn. 8. & 9.* Hippoc.& Galenus,quia liuidus color ſemper ad extinctionem caloris innati,niger,quandoque hoc, quandoque etiam humorem nigrum ad partem critice expelli ſignificat , id quod diſtingue ex facili tolerantia,& pulſu forti,& ſignis coctionis,& alijs huiuſmodi ſignis bonis,cum cretico euenientibus,contrarium, quando ſymptomatice fit,id quod ẽt Valeſ.confirmat, ſecundo prognoſtico ubi dicitur peſſimi ſunt carbũculi,ſi ſuperiores buboni fuerint.Pernitioſiſſimi ſi e regione cordis fuerint,aut uentriculi,ſed omniũ maxime,qui guttur occupant,& quanto plus a membris principalibus diſtant,tanto minus periculoſi.

Si pulli columbini, aut gallinacei illis , uel etiam Bubonibus admoti non intereant,pro malis habetur,ea forte ratione, quia venenum intus deliteſcere hoc demonſtrat, vel pertinaciter ad eo infixum,vt a parte nullo modo extrahi poſſit.

Papulæ cito deliteſcentes peſſime affici ægrotantem ſignificant,ut antea dixi .

Quæ ſunt pallidæ,flauæ, & rubræ ſunt minus venenoſæ; virides cæruleæ,& nigræ deteriores;quando .ſ. in principio morbi *4. Ap. 21.* appareant, nam ſi in ſtatu , & cum alleuiatione morbi contrarium ſignificant,ex Galeno, vt etiam ſupra dixi de nigris deiec.

Quod autem pernitioſior,& magis periculoſa ſit peſtis, quæ ab aqua,vel a cibis procedit, quoniam velociter aer ad cor penetrat, & pulmonem antequam poſſit antea corrigi dum trahi-

tur

tur cum primo occurſu feriat cor;ut bene Iſaac notat.

Si præterea ex tantis periculis liberantur mirum eſt,& cum quantis diſcriminibus;alij enim,vt ex Thucidid.& Galeno apparet eorum.ſ.qui ſanitati reſtituuntur, excęcantur, alij omniũ obliuiſcuntur, deperdita memoria, cum quadam fatuitate, vt ſupra dixi,quibuſdam extremi pedes manus, aut pudenda pereunt,alij obſurdeſcunt,alijs nerui contrahuntur: quidam huc, atque illuc decurrentes limphatici manent; pauciſſimi nulla veſtigia iſtius atrociſſimi mali referunt, præcipue quia ægri infeliciter curantur partim penuria, partim medicorum culpa, uel ægrotantium ipſorum,præcipue quia deſperationem incur rant; partim aſſidentium culpa,aut rerum neceſſariarũ defectu, inquit Thucid.non tamen in tantis rebus deſperandum, neque animo deficiendum,id enim pernitiem auget. Vnde Lucretius. *Thu.2. de Pel. Bello & Gal. 2. de Diff. Sympt.& 3. de c. Symp.vlt.*

Illud in his miſerandum, & magnopere vnum
Aerumnabile erat, quod vbi ſe quiſque videbat
Implicitum morbo,morti damnatus vt eſſet,
Deficiens animo mœſto,cum corde iacebat,
Funera reſpectans,animam & mittebat ibidem,
Idque vel in primis cumulabat funere funus.

In tanta ergo calamitate,quæ forte in tali peſtilente conſtitutione,nec uitari,nec præuidi poteſt, magnus eſt ſumendus animus, inquit Seneca, & quęrenda trepidis ſolatia,ac demendus ingens timor,prudentibus nimirum ratione ea,terrorem excutiendo,quia nullum malum ſine effugio ſit. *6.Nat.9.1*

Imperitis uero ex deſperatione ſecuritatem inducendo.

Vna ſalus uictis nullam ſperare ſalutem,

Alia multa ab eodem habebis,uerum multo plura,& meliora a Sacris Theologis,& maxime illud Mach.etenim multo tpe nõ ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim ultiones adhibere magni beneficij eſt inditium,non.n.ſicut in alijs nationibus dominus patienter expectat, ut eas cum iuditij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat,ita & in nobis ſtatuit,ut peccatis noſtris in fine deuolutis cauſam demũ in nos uindicet,&c. emendemus ergo uitam,quum ueluti benigniſſimus pater nobis omnipotens talibus ſupplicijs uiam demonſtret. *Machab. li.2.cap.6.*

Cœterum hæc ſufficiant, ſi illud Thucididis obſeruatione dignum notauerimus, quod hi maxime ægrotis miſcebantur,

qui

qui peſtem effugerāt,a qua capti erat, ut pote qui malum cum experti fuiſſent, ab eo amplius capi non poſſe crederent, non enim inquit peſtis amplius eos capiebat,qui ſemel ab ea deprehenſi fuiſſent,ita ut eos interficeret, quod etiam contra nōnullorum opinionem certum eſt, præcipue Iouberti qui credidit maxime eos ad peſtem eſſe magis aptos,qui antea ab ea fuiſſent capti;uerior forte eſt Thucid.obſeruatio, quia iam qui peſtem euaſerant pura habebant corpora, & uirtutes fortes alioqui minime tantum motum uiciſſent.

Cap. XXXI.

AD prognoſticum etiam pertinent ſigna,quæ ſignificant corpora ob peſtem fuiſſe demortua, quæ meo iuditio ſimilia ſunt ſignis contingētibus his,qui ob uenenum perierunt. nam cū quis febre continua, uel alio morbo pro peſtilenti habito perierit, & poſt mortem corpus liuens,aut nigricans appareat aut uarium,aut diffluens,aut præ marcore fędum moleſtumq; reddit odorem, merito eum peſte peremptum eſſe dicere poſſumus,præcipuè ſi bubones, carbunculi,aut papulæ compareat,præterea conſidera præterita,& conſequentia peſtem.

Adde,quòd taliter peremptorum ſequitur totius corporis mollificatio etiam poſtquàm refrixerint. quòd tamen non ſemper uerum eſt,quia ēt conuulſi aliqui moriuntur,ut ſupradixi.

Bubones,carbunculi,papulæq; licet antea non apparuerint, in cadaueribus tamen ſolent apparere, imò tumores etiam, ꝙ obſeruatum,ut inquiunt eſt in peſte Lugdunenſi.

Omnium certiſſimum eſſe uoluit ſi quædam papulæ nigræ aut liuentes erūpant.id quòd tamen commune eſt morbis peſtilentibus, non ex peſte, ſiue malignis cuius cauſam uolunt eſſe, quia humorum ebullitio, quam facit putredo, & poſt mortem permanet, & calor putredinalis, ad cutem excrementa promouet, & ideo papulæ apparent. pariter alij dicunt quod ſi cadauera a peſte peremptorum feruenti auro abluantur,quod papulæ, quæ prius retroceſſerunt,reuocantur. & certius hoc inditium facere ſi fętor ingēs mortuos occupat.

Vo·

Volucria etiam ſiue quęvis alia animalia carnibusueſci conſueta, cadauera iſta deuitare, & ab eis aufugere, dicunt, quòd ſi forte deguſtarint illico mori. ut ſupra ex Thucid. retulimus, quòd ſic cecinit Lucretius.

Multaque humi cum inhumata iacerent corpora ſupra
Corporibus, tamen alituum genus atque ferrarum
Aut procul abſiliebat, ut acrem exiret odorem,
Aut ubi guſtarat, languebat morte propinqua
Nec tamen omnino temere illis ſolibus ulla,
Comparebat auis, nec triſtia ſecla ferarum
Exibant ſiluis, languebant pleraque morbo,
Et moriebantur, cum primis fida canum uis,
Strata uijs animam ponebat in omnibus ægram:
Extorquebat .n. uitam uis morbida membris,
Incommitata rapi certabant funera uaſta.

Hactenus quid ſit peſtis, quæ eius cauſæ, quæ ſigna eam demonſtrent, qui ab ea facile, aut ęgre capiantur, & præterea quid ſit febris peſtilens, quot eius differentiæ, & cauſæ, & quomodo cognoſci poſſint; quæ ſint prognoſtica tum ad bonum, tum ad malum, & quomodo cadauera a peſte fuiſſe interempta cognoſci poſſint.

Conſequens modo eſt inueſtigare, qua ratione a tãta lue nos pręſeruare poſſimus, & ſi forte, (quod Deus auertat) in eam ceciderimus, quæ remedia illam curent.

A præſeruatione ergo tanquam a digniori exordiendum, ad quam rem non parum conferre poterunt ea, quæ ſupra in commune dicta ſunt de præſeruatione, & de curatione morborum communium.

Tunc ergo ad pręſeruationem peragendum nos accingemus quando ſigna peſtem portendentia apparuerint, ut Raſis ait, de quibus ſupra, ſin minus, tunc expecta horrenda illa ne dum uiſu, ſed auditu etiam, quæ in peſte apparent, quæ maxime omniũ Thuc. refert, & Lucretius tranſtulit hiſce Carminibus. 37. Cõt. 6.

Illud in his rebus miſerandum, & magnopere vnum
Aerumnabile erat, quod vbi ſe quiſque videbat. &c. uſque ad finem Libri. *Vſque ad finem li. 6.*
Sed præcipue illud, nec poterat quiſquam reperiri, quem neque morbus,

Nec

Nec mors,nec luctus, tentaret tempore tali.
Præterea iam paſtor,& armentarius omnis,
Et robuſtus item curui moderator aratri,
Languebant,penituſque caſis contruſa iacebant,
Corpora,paupertate,& morbo dedita morti.
Sed illud, quod ſequitur omnium miſerandum,
Exanimis pueris ſuper exanimata parentum
Corpora nonnunquam poſſes,retroque videre
Matribus,& patribus natos ſuperedere vitam.

DE PRÆSERVATIONE A PESTE. Cap. XXXII.

ILLVD ergo primo dicamus,quod Auenzoar ille magnus breuibus docuit, nempe, quod qui bene,& ordinate ſe cuſtodiunt,tempore epidemiæ,& qui habent cautelam, & prouiſionem conuenientem, morando in manſionibus frigidis,& ſiccis,tum cibis eiuſdem cōplexionis utendo,euadunt a periculo,& nocumento:ſed ut nos clarius omnia perſequamur uideamus quomodo quis ſe bene cuſtodire poſſit in memoriamque reducamus, quæ ſupra in
Cap.22. commune diximus morborum communium curationem in duobus cōſiſtere,ex Galeni decreto.ſ.noſtra corpora præparan-
2.de Nat. hum. do,ut aeri peſtilēti reſiſtere poſſint,ſiue ſeminarijs ipſis,de quibus ſupra,& præterea præpotenti cauſæ aduerſando ex Diuini Hippocr. ſententia.

De primo, ut præter ea quæ in locis ſuperioribus diximus,
Max.6. epid.8.in princ. quantum ualeat apparatus corporum ad morbos ſæpius admonuit nos Galenus:procurandum ergo erit ex eiuſdem decreto, ut ſit quam maxime corpus purum, & perſpirabile aperiendo oppilationes,& reſiſtēdo cauſis putredinis,inquit Auer.& ideo dicebat Raſ. quod corpora ſi fuerint repleta,indigent uenæ ſe-
Auer.7. col.18.Ra. 14.17.cōt. 6. ctione,Si malis humoribus plena, purgatione,ſi ſunt obſtructa de obſtruentibus. Sic ergo parabimus ad reſiſtendam peſtil.aeri,ſiue ſeminarijs putredinis.

Præpotenti uero cauſæ nos opponemus reſiſtendo malis qualitatibus aeris,ſiue una fuerint,ſiue plures,& præterea,ſi in tota

tota ſubſtantia corruptus eſt, vtendo his quæ a tota ſubſtantia illi aduerſantur, inquit Auer. de qua re etiam ſupra, cum de curatione in communi morborum communium egimus, & licet iſti Authores, vna etiam cum Hippocr. videantur tantum intelligere de aere peſtilenti, tanquam de potentiſſima cauſa, & a qua, vt plurimum peſtis oriuntur, nihilominus, ſub hoc exemplo etiam alijs cauſis reſiſtere poſſumus, ut antea dixi, & inferius patebit, quam etiam mentem eſſe Hippocrat. & Galeni probauimus. *Infra tex. 102.c.28.*

IRAM DEI IN PARTES ESSE PLACANDAM. Cap. XXXIII.

DICET ergo de aere principaliter dicemus; tamen de alijs etiam cauſis remouendis erit ſermo. Et quoniam diximus antea, non raro talem labem in uindictam a Deo optimo maximo mitti ob hominum delicta, par eſt in primis hanc cauſam, ſi potis fuerit auferre, cuius vnicum eſt remedium pœnitentia, & peccatorum deteſtatio.

Scrutemur ergo cum Hieremia uias noſtras quæram uſque & reuertamur ad Dominum, id quod præſtabimus, ſi priuatis, & publicis precibus, addiderimus ueram pœnitentiam, & a peccatis abſtinentiam. Nam non omnis, qui dicit mihi Dominæ Domine intrabit in Regnum Cœlorum, ſed qui facit uoluntatem Patris omnipotentis. *Thre. 3.* *Matt. 7.*

Sic ſæpe pœnitentiam ueram agentes flagella nobis a Deo imminentia auertemus. Sic Deus pœnitentes exaudit, ſic Deus non Iuſtitia, ſed miſericordia utitur. Deus enim reducet nos de captiuitate noſtra, ac miſerebitur noſtri, ſi ad eum reuerſi fuerimus, & obediuerimus eius Imperijs, ſicut nobis, & filijs noſtris præcepit, in toto corde, & in tota anima noſtra. *Deuter. 30*

Neque iniquitas impij nocebit ei, in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua. *Exech. 33.*

Sic factus eſt ſermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens; Nonne uidiſti humilitatem Achab coram me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius, &c.

Laua igitur a malitia cor tuum, ut ſalua fiat, & paulo poſt.
Hierem.4. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo ſuo, agam & ego pœ-
Hiere.18. nitentiam ſuper malo, quod cogitaui, ut facerem ei.
Matt.3. Vnde præcurſor ille pœnitentiam prædicabat. Pœnitentiam inquit agite. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, ſunt autem fructus iſti, iuſtitiæ facta, quæ peccato ſunt oppoſita; inquit Magnus Baſilius hæc quotieſcunque fecerimus, peccata nobis remittuntur, quod Niniuitarum, & multorum aliorum exemplo probatur. Id ergo in primis procurandum.

Ieiunijs ergo, elemoſinis, orationibus, iram Altiſſimi placare conabimur. Peccata confitebimur, corpus ſanctiſſimum Chriſti Saluatoris noſtri non indigne ſumemus. Sanctorum implorabimus auxilium, Beatiſſimæ Virginis genitricis Domini noſtri Ieſu Chriſti, maxime quæ uera eſt mediatrix inter Deũ, & homines, cuius interceſſione olim peſtis, quæ totam urbem Romanam depopulabatur ſublata eſt, cuius diuinum auxilium quotidie experimur.

Sic notum eſt interceſſionibus Beati Nicolai Tolentini Bri-
Sõm. Cro. xiam a peſte ſæuiſſima liberatam fuiſſe, de anno 1478. ſic multę
l.15. car. aliæ Ciuitates diuino auxilio liberatæ fuerunt. Ad quod procu
278. randum ſemper ſolicita eſt Mater Eccleſia. Et inter cæteros in hoc eſt uigilantiſſimus Illuſtriſs. & Reuer. Achiepiſc. D. noſter.

DE MVTATIONE AERIS IN PESTE, & præparatione. Cap. XXXIV.

HIs peractis purgare tentabimus aerem a uaporibus, ſiue a ſeminarijs ipſis; ipſos extinguendo, ac prohibendo, ne amplius in eo excitentur; atque qualitates aeris, ſi quæ adfuerint, per ſua contraria emendare tentabimus ex Galeni decreto, & Auer.
Gal.2.de
Nat.hu. Vel quod tutius eſt quatenus tamen Chriſtianum licet, Re-
& Auer. gionem mutabimus, ſolum inquit Hipp. mutare patrium con-
7.col.18. uenit in peſtilentibus præſertim conſtitut. de qua re, ibi ut ex-
6.ep.5.20 ponit Valeſ.

De hac ergo mutatione primo dicamus iuxta Hippoc. mentem 2. de Nat. hum.

Locũ inquit in vim alienam ab eo in quo morbus ille excitatus eſt,mutabis: id quod præſtabimus ſi ad aerem ibimus, qui contrariam habeat temperiem ei in quo eſt peſtis,id quod intellige non ſolum de qualitatibus manifeſtis, caliditate nimirum,frigiditate,humiditate,& ſiccitate, ſed etiam de impuritate,ac venenoſitate contracta:ut ſupra diximus; & hic nota, ꝙ ſi fugeres ad aerem, in quo iam tranſactis ſex menſibus fuiſſet peſtis,qui aer iam eſſet bene purificatus,& bene rectificatus,ꝙ hic aer melior,& ſecurior eſſet alio, in quo non fuit peſtis, ſed tamen timetur,ne de propinquo ad eum veniat.

Verum ſi eſſet fugiendum ad aerem,in quo iam per tres tantum menſes peſtis erat,vel etiam per minus tempus, quia timendum eſt ne aliquæ reliquiæ peſtis adeſſent,quæ reuiuiſcere poſſunt, & eos inficere poſſint, qui eo ad habitandum veniunt,licet non inficiat eos,qui in eo ſemper habitarunt ob conſuetudinem in eo contractam,tunc alius locus, in quo nõdum fuit peſtis,eſt eligendus, licet ſit ſuſpitio, ne de nouo ſuperueniat;ibidemque tandiu morandum cenſent,donec ſigna peſtis incipiant apparere,& tunc in alium locum tranſeundum eſt,& ſic de hoc in alium,donec ſit purificatus aer patriæ ſuæ,ad quẽ non eſſe redeundum iudicant, ſi peſtilentia prouenit ab aſpectu particulari,niſi poſt tres menſes,quia inquiunt iſti peſtilentia perdurat per vnam triplicitatem ſignorum ad minus.

Si vero peſtilentia non eſſet ab aſpectu particulari, ſed ab alijs cauſis ſupradictis termino dierum quadraginta poteſt fieri reditus.

Verum dixerim ego permutandum eſſe locum ad ſuburbana prædia primo,cum adeſt peſtis ſuſpitio;aer.n.urbanus eſt, eoꝙ ruri habetur peior,ut conſtat 3.de Hum.3.& 3.epid.3.14.cum paucis amicis,quorum aer ſalubris eſſet,& ſi morbus peſtilens inualeſcat,tunc antequam patrium ſolam totum,calamitas iſta occupet,longinquę regiones petendæ,& quæ contrarium ſortiantur aerem,vnde diſceſſum,vt ſi aer morboſus calidus,& humidus eſt,Sit ad quem confugimus frigidus,& ſiccus, & ſic de alijs;ad quam regionem nullus perueniat, qui aduentu ſuo etiã illis tabem afferat,& ad quam ſi potis eſt,nec ſtrepitus, nec rumores ab infecto loco peruenire poſſint, ac propterea optimũ fuerit,ſi præalti montes intermedij fuerint,cum quibus prohi-

beatur acceſſus,ab aere peſtil.& a quo vapores peſtilentes minime peruenire poſſint, quorum afflatu peſtilenti vapores ad regionem, ad quam confugimus deferrantur, vel intermedia ſint maria,aut magna flumina, qui tamen aer ſit bonus, & purus,non nebuloſus,ac impurus,& ſi potis eſt non conueniat in aſcendente,& horoſcopo, cum aere,a quo diſceſſimus.

Confertim autem mutandus eſt cœli ſtatus,ne incauti contagium poſtea nobiſcum deferamus, quod ſi forte dum in aere peſtilenti degimus,minime nobis officit, ob quandam ſymboleitatem cum natura noſtra contractam, paulatim tamen cum ad aliam perueneris auram,primus aer abibit,& illi in quo degis natura reſiſtet,& hic etiam naturæ,ita ut peſti detur occaſio ſecundum Ficinum.

Ego dixerim,quando ſecum defertur contagium,quod paulatim naturam illi ſemper inſidiando uincit, ac proinde non ſecus,ac eos,qui a cane rabido morſi ſunt rabies paulatim ſerpẽdo,per temporis ſpatium non ſtatim, quandoque occupare ſolet, ita hoc uenenum paulatim etiam quando in aere non peſtilenti fuerit uincet naturam noſtram, niſi forte contra ipſum,adeo corpus fuerit paratum,ut non poſſit noxam ab eo recipere;id quod etiam non tam familiaritate aeris, quantum ob eam cauſam, quia contra dicta ſeminaria pręparatum forte erat, quando in aere peſtilenti degebat. *De quo ſupra.*

Dum autem fugimus cauendum ne per aerem peſtilentem tranſeamus,ſiquidem labor,& motus reſpirationem auget, ex quo maior aeris quantitas inſpiratur, & ſic maiorem noxam in fuga reciperes, ac proinde tutũ erit corpus ante fugam munire contra peſtem modo infraſcripto.

Nocte autem diſcedendum cenſent, modo non adſit plenilunium,nam putredinem auget tepiditas Lunæ, alioqui noctis aer frigiditate,& denſitate ſua putredini reſiſtit,tutum erit,ſecundum Celſum,& calorem,& frigus.ſ.immoderatum deuitare.calor etiam eodem teſte corpus obnoxium morbis peſtilentibus efficit. *Lib.1.10. lib. 1.9.*

Lente autem progrediendum, tum ne vſus reſpirationis augeatur,tum etiam ne humores agitantur, & calefiant ex defatigatione, vnde malam qualitatem, & forte etiam putredinem induant.

Tarde

Tarde autem redeundum, vt ſupra dixi ad minus per tres menſes, poſtquam peſtis abijt, ſi aſpectus illius cauſa fuerit, ſin minus ſpatio 40. dierum ratione ſupradicta, quia citius inficiuntur, qui ab aere infecto diſceſſerunt, ac poſtea ad illum redeunt in eoque commorantur, quam qui continue in eo degerint, tum etiam quia licet aer amplius peſtilens non ſit; tamen ſeminaria aliqua contagionis in parietibus, in pannis, pellibus, veſtibus, & ſimilibus forte remanſerunt, a quibus iterum contagio fieri poſſet.

Ac proinde antequam redeas, & parietes purgandi, & alia omnia ſunt purganda, & tota domus. Tum calcem ueterem a parietibus remonendo, & nouam indendo, uel ſaltem ueterem dealbando, in qua tribus ſaltem menſibus peractis nullus peſte ſuſpectus manſerit.

Linteamina etiam lauentur, & cætera ueſtimenta, quę lauari non ſuſtinent purgentur, cum calore ignis, igne ue, & ſuffita, uentilationibus, odoribus pari modo, & ſarcinulas, & ſupellectilem purgabis.

Homines præterea ſi ſuſpecti fuerint purificandi ſunt purgationibus antedictis, & alij auxilijs, id quod fieri uoluit ſpatio 14. dierum, pariter & equos purificabis, & alia animalia modus autem infra notus erit, quo omnia iſta purificari debēt.

Nec minus, & pecuniæ purgandæ ſunt in aceto immerſæ, & cum eo lotæ.

Ex quibus purificationibus uide conſtitut. ſen. Franc. Sfortiæ Duc. Mediolani, & fieri debet ab hominibus ad hoc officium deputatis.

Interim dum his omnibus prouidetur, parata habeas inſtrumenta, tum ad edendum, tum ad bibendum, lectumq; & linteamina, & ueſtimenta, & alia huiuſmodi, ad quotidianum uſum neceſſaria, quæ careant omni ſuſpitione peſtis; ac propterea optimum erit ea ſecum deferre a loco non infecto, uel ſaltem, & purificare, antequam ad uſum reuocentur.

Domus præterea omni fętore careat, & omnibus ſordibus cuiuſuis generis, proculque ſit ab omnibus locis fætentibus, ac præcipue, ut antea notaui a cœmeterijs, & in ſumma aer purus eligatur, ſin minus emendetur, ut infra de aere publico dicam. Sit etiam domus ſpatioſior, ut mutare liceat cubicula, & ſingu-

larum

larum aerem uiciſſim emendare,cauetoque,ne canes tales ue', aut alia huiuſmodi animalia domum tuam ingrediantur', talia enim alia præterquam,quod multis modis noxia eſſe poſſunt, non raro etiam ſeminaria peſtis ſecum ferunt,quæ aerem inficiunt,& homines:pro domus etiam electione, uide Authores
9.col. 13. maxime Orib.

Quum domum talem elegeris, uel ſaltem, quæ pro maiori parte dictas partes teneat,in ea cubiculum eliges, quod non ſit uentis inſalubribus expoſitum.præcipue ijs,qui a peſtilenti loco perflant, optimum fuerit, ſi clauſæ eius feneſtræ maneant, hieme autem ſint ad orientem uerſæ,ſicuti & ianuæ, æſtate autem ad Septentrionem,inquit Raſ.modo ab his locis peſtis nõ
17. cõt.6. ueniat,& ad euitanda mala, quæ imminent, optimum eſt aerem quotidie emendare his rebus,quę peſtilentes uapores exſiccent,& putredinem corrigant,& aeri nedum manifeſtis qualitatibus aduerſentur, ſed etiam a tota ſubſtantia.

Quæ omnia igne potiſſimum exequemur hiberno tempore
17.cõt.6. maxime,& humido,ac frigido,ex rebus præſertim bene olenti bus excitato:diuerſa tamen pro anni temporibus, & prout in cameris ægrotantes,uel ſani commorantur.

Auicenna enim pro ſanis aerem corrigit calidis,& ſiccis,pro ægris autem frigidis,& ſiccis,præterea meo iuditio;æſtate non eſt approximandum igni, niſi paruo temporis interſtitio, hora matutina,& ueſpertina,temporibus præſertim pluuioſis,& nebuloſis,& frigidiuſculis,alijs dixi horis minime, ne uſus reſpirationis augeatur,unde maiorem aeris copiam inſpirare coge
2. de Na. remur, cuius contrarium procurandum eſſe a nobis Author
hum. 4. fuit Hipp.ut antea notauimus.

Hiberno uero tempore igne utendum,prout tempeſtas poſtulat;medijs temporibus,eo mediocriter, uti etiam debemus. Semper tamen illud obſeruandum, quod poſtquam igne alteratus eſt,uel ſuffitibus calidis, quod ſi in eum introducere debemus febricitantes,uel alias refrigeratione indigentes,id non prius eſt agendum, niſi poſtquam alterauerimus aerem frigidis,& ſiccis;æſtate præſertim, aqua, & aceto pauimenta ſpargendo,ut roſis,& biolis.

Cum ab igne diſcedimus, non illico ad aerem externum proficiſci debemus, timendum enim ne corpora calefacta, & rare-

rarefacta,& plus aeris reſpirent, & plus illius per poros cutis admittant.

Quando ergo corpora tepuerint,prodire licebit,licet tutius eſſet e domo non egradi,ut ſupra ex Hipp. docuimus, uerum non omnibus datur hæc libertas.

Exeundum autem,poſt Solis exortum,quando Sol uapores nocturnos,& nebuloſos diſcuſſerit, quod niſi tempore ſereno fieri poteſt, ſecuriuſq; fuerit pranſum quam ieiunum egredi, de qua re infra.

Et faciem auertamus ab eis,quibuſcum loqui eſt neceſſe, & uentum a tergo ſi quis flauerit excipiemus,ſic deuitabimus exſpirationem eorum,quos alloquimur.

Optimumque fuerit nos in ore tenere, &ſi lubet maſticare zedoariam,cinnamomos,gariophylos, corticem,aut ſemen citri, grana iuniperi,radices angelicæ,aut aliquod aliud ſimile.

Alij folium auri,uel argenti in ore tenent,thus,& mirrham, uel etiam Theriacam in ore tenendam iubent, quod non reprobo, modo ob eorum ingratum ſaporem,quis ea non admodum abhorreat.

Ac ut ad particularia pro aere alterando diſcendamus hieme ſuſcitetur ignis ex lauro,iunipero, pino,abiete, tamariſco, cipreſſo,lentiſco,ſauina,roremarino,lauendula,tignamine,radicibus aſſari, ualeriana, corticibus exterioribus phiſticorum, uel etiam ſarmentis uitium optime exſiccatis, uel alijs ſimilibus bene olentibus pręſertim,prout cuique copia datur huius, uel illius.

In camera ſternantur calidæ herbæ beneolentes, ut maiorana ſerpillum,ozimum gariophyllatum, menta,ualeriana gariophyllata,meliſſa,calamentum pulegium,roſmarinus,lauendula,folia citri,uel etiam illius,uel aranciorum,uel limonum flores,uel etiam eorum maturi fructus in camera detineantur,uel alia huiuſmodi.

Ex quib. etiam poſſunt fieri decoctiones in aqua,uel aceto, uel etiam uino,uel cum mixtura horum,quibus & pauimenta, & parietes aſpergi poſſunt,ad quam re uinum generoſum,ut Græcum,uel Hiſpanicum,uel maluaticum,maxime commendatur tempore hiberno,uel frigido,& humido; res tamen cauenda ab his,quibus a uaporibus caput repleri ſolet.

Vtilis

Vtilis eſt aqua ex dictis herbis, vel floribus deſtillata, maxime ex floribus aranciorum, lauendulæ, & tribuli terreni, trifolium caballinum uocant, quarum aquarũ copiam habere licet.

Suffitus ex ijs rebus parari poſſunt, vel ex limatura ligni iuniperi, vel cipreſſi, vel ſimilium, quæ uel ſola, uel terebinthina excepta ſuauem ſuffitum reddunt.

Hora qua fieri ſolent ſuffitus eſt in Ortu, & Occaſu Solis, & meridie; nam his horis moueri ſolet aer inquit Ioannes e Saliceto.

Tract. de Peſte c.11

Raſ.17. Cont. 6.

Et ex Raſ. etiam nota, quod ſuffitus, qui aerem rectificant alia ſolum calefaciunt, alia etiam ſunt aromatica, quæ etiam putrefactionem remouent, alia ſunt etiam ſtiptica, quę aerem multæ humiditatis emendant, vt eſt tamariſcus, & ciperus, alia ſubtiliãt aerem craſſum, vt zinziber, idem Raſ. loco dicto ſuffumigat ligno aloes ſolo, aut cum ambra, muſco, ſandalo, coſto dulci, ſtorace, thare, uel alij ſimile ſimplicibus, ibidem deſcriptis.

fol.361. col.3.

Storax per ſe ſuffitus aerem peſtilentem, & corruptum purgat, inquit Nicolus, & profecto id mihi eſt familiaris ſuffitus, thus etiam ſolum bene, ut notum eſt redolet.

Verum quia compoſitis aliqui magis delectantur, nonnulla referam, quæ me magis delectant.

De aqua ex floribus citrangulorum deſtillata, uel eius loco tribuli terreſtris, l. 1. pulueris iridis ʒ.ij, ſtoracis calamitæ, ʒ.i.s. ſimul in uaſe lento igne bulliant, ſuauiſſimus enim odor ab eis excitatur, & dum bullit, in cauſa poteſt poni arancius, gariophyl. intextus.

De ſtiracis boniouini, yridis, roſarum, ſandal. ana, & cum zibeto, & ladano optimo formentur globuli, uel cum mucilagine draganti extracta, cum una ex dictis aquis, uel cum terebintina, aut ſtorace liquida excipiantur, & prædictis poſſumus addere ambram, muſcumque, & ſuffitum parare.

Globulum unum ex his ponendum ſuper prunas, non multum accenſas, & ſub globulo ponere uitri fruſtum ne ſtatim cr召metur globulus.

Troc. de galiani mes. uel de xiloal. eiuſdem alipta muſcata Nicol. & confectio Neræ optimum ſuffitum parant, uel formulæ cypri uocatæ; quarum uariæ ſunt deſcriptiones, ſed infra ſcripta uterer.

De

Rec. beniouini onc.s.ſtiracis calamitę onc.j.garioph.mirrhæ, thuris,maſticis an. onc.s.roſ.rub.ſandal.citrinorum an. onc.ij. ladani onc s.carbonum ſalicis,uel teliæ,uel corticis cucurbitæ, uel terræ nigræ, onc.iij. plus minus, ut magis accenſus maneat ignis,uel calor magis niger euadat;. alij dictis maioranam ſpicam, & alia huiuſmodi addunt,ſed prædictis ſum contentus, & melius redolent ex ſe,quam in tanta aliorum mixtura.

Multos,& optimos parant ſuffitus nobil. Hiſpan. cum præcipue illis non deſit copia muſci,ambræ,benioini, & ſimilia.

Villanouanus ſic parat.rec.ãbræ muſcian.onc.j. xyloal.onc. vj.camph. onc.iij. ponatur ambra in uaſe uitreo ſuper cineres calidos,& cum modico aquæ roſatæ,tamdiu agitetur,donec inſpiſſetur,poſtea adde dictas ſpecies cribratas ſubtiliter, & moueãtur,& coquantur donec fiat durum in modũ marmoris,ſic quod proiiciatur, ſupra marmor oleo inunctum; ualet, inquit ſupra,quod credi poteſt,pro præſeruatione,& curatione,& ad alia multa.

Sunt,& alia quæ naribus admoueri ſolent, inter quæ Ficin. theriacam maxime extollit.

Poma etiam odoranda parari ſolent ex ſtorace,calamita,bẽioino, roſis rub. calamo arom. yride,& ladano; quæ in mortario,cum piſtello bene calido contundi ſolent, in fine addendo q.u.ambræ,& muſci;& poſtea cum mucilag.drag. dicto modo extracta,& cum modico reſinæ pini, uel terebinthinę, ut ſolidior fiat paſta formantur pomi, uel globuli,ut lubet.

Alii addunt prædictis cortices citri,limonum,crocum,camphoram, maioranam, macerem, nucem xyloal. maſticem, & alia multa, quæ obturant odorem prædictorum, ac propterea prædictis ſolis ſum contentus.

Poteſt parari globulus ligneus, ex cipreſſi, aut iuniperi,aut fraxini ligno,uel etiam citri,aut limonum,aut aranciorum, uel ſimilium redolentium,undique perforatus,& ita diuiſus,ut in eo poni poſſit ſpõgia,in aquis dictis, uel dictis aquis, & aceto roſ.uel uino odorifero, in quibus miſceri etiam poteſt puluis rerum rodolentium,& ſic portari manibus, & odorari.

Parant aliqui ſaponem odoratum pro manuum, & barbæ lotione, ego ſaponem communem reddo odoratum adden-

do illi puluerem rad. yridis,& cū aqua lauādulæ,vel aliqua,ex dictis formo globulos: alii dictis addunt maioranam nucini garioph.& alia huiuſmodi,ſed melius ſine his redolet.quę omnia hieme conuenire dicimus.

Æſtate autem cubiculum ad Septentrionem verſum eligito, ut ex Raſi dixi.

17.Cōt.6. Et poſtquam aeris peſtilentis ſeminaria igne,ut antea docui extinxeris,& eundem aerem aqua,& aceto mixtis, & aſperſis per pauimentum,& parietem refrigeraueris; tunc cubiculum ingredi tuto poteris, paretur autem ignis hoc tempore ex lignis mirti,granati,ſalicis,citoniorum,& ſimilium,quorum arborum folia etiam ſternantur in camera,& præterea folia uitis cannarum,uiol.roſarum.nenuf.& alium ſimilium refrig.& bene olentium per pauimentum aſperge.

Ex hisdem,uel etiam ex corticibus granatorum,& foliorum mirti,aceto prius aſperſis ſuffitus parari poſſunt,inquit Raſ.

17.Cōt.6 Ex dictis aquæ poſſunt deſtillari maxime ex roſ.& uiol.ad odor.& aſpergēdū pauimēta,& parietes,quib.ſolis,uel aceto. roſ.maxime mixtis uti potes,& ex dictis decoctiones ad uſum dictū parari,& uarii ſuffitus poterūt,ſed ſequens optimus eſt.

Aqua roſ.optime deſtillata in apto uaſe ponatur ad leuiter bulliendū cum arancio transfixo gariophyllis,vndiq; in thalamo clauſo,ne aliquid extra expiret,& eouſque relinquatur,donec repletum ſit ſuauibus iſtis uaporibus,cuius aer inſpiratus ſuauis eſt,& ſalubris admodum, maxime æſtiuo tempore; alij aqua roſ.ſola uel cum gariophyll. ſolis utuntur,ſine arancio,& meo iuditio ſuauius redolet.

Suauiſſimus uero eſt odor ſi modicum ſtoracis calamitæ,addis aquæ roſ.

Suauiſſimus etiam fit ex corticibus pomorum redolentium modice exſiccatorum ſuper carbonibus poſitorum, ut omnes norunt.

Puluis ex roſ.rub.in uaſe uitreo ad ſolem exſiccatis permutando .ſ. ſæpius uas uitreum,ut æqualiter calefaciat totum vas ſit optimus,cui ſi modicum muſci addis, nihil ſuauius; hoc & ad ſuffitus,& ad omnes odoratus,uti potes;uti poſſumus puluere uiolaceo uocato ſolo,uel aliis mixto,qui ſic paratur.Rec. uiol.roſ.yridis an.onc.ij.calami aromat onc.j.adde muſci gr.v.

Alii

Alii maioranam garioph. & huiuſmodi addunt.

Verum illud maxime obſeruandum, ut quæ exſiccari poſtu lant exſiccentur, ut Gal. docet l. de Theriaca, ponendo .ſ. ea in loco ſoli expoſito, ita tamen, ut ea ſol non attingat.

Ex hiſdem pulueribus parari poma poſſunt ad odorandum quib. adde ladanum, ſandalos, citrinos, & etiam camphoram, cuius tamen odor grauis mihi uidetur, ac proinde ſit eius quã titas modica. Formentur autem modo antedicto mucilag. nimirum drag. aqua roſ. extracta, cui ſi modicum reſinę pini addideris ſolidiorem paſtam conficies, uel excipiantur, cũ reſina dicta, uel terebinthina, uel abietina, lota tamen prius, ut minus calefaciat, cum aqua roſ. ut

Rec. ſandal. omnium ſed maxime citrinorum an. onc. s. uiol. ʒ. ij. corticum citon. aranciorum fol. mirti gariof. roſarum yridis ana ſcrop. j. f. p. qui excipiatur modo antedicto.

Poſſunt ex dictis poma parari modo antedicto poſſunt orbiculi lignei parari, modo antedicto, & iſta odoranda æſtate in illis poni.

Laudat Nicolus ſæpe odorare ampullam, in qua adſit aqua roſ. cum modico aceto, & parum pulueris ſandalorum roſ. & uiol. camphoræ, croci, garioph. & yreos.

Ficinus ex aqua roſ. aceto, & momento pulueris zedoariæ, uel corticum citri parat mixturam ſępe odorandam, qua etiam ſæpe manus, & pedes lauentur.

Memento, quod calida æſtiuo tempore in pauca quantitate eſſe debent, ut tantum ſint uehiculum ad cor, ipſorum refrig. quoniam maiorem conuenientiam habẽt calida odorata, cum ſpiritibus uitalibus, de qua re cum de ægritud. cordis tractabimus, plura habebis.

Alii contenti ſunt odorare ſpongiam, aceto roſ. uel ſimplici imbibita, uel medullam panis eodem modo qua ſe prę ſeruaſſe Raimundus Epiſcopus narrat in ſuo tractatu de peſte.

Rec. ladani onc. j. pulueris corticum citri. & ſeminis eius an. ʒ. 1. cãphoræ ʒ. s. puluerizentur puluerizanda ſingula per ſe, & puluis in ſindone ligatus odoretur, uel ex eo, & ſucco baſili. odorati f. pomũ odorãdũ, uerum odorandũ baſilicũ, ſi quæ cap. de dolere capitis dicã, uera ſunt, non laudo: ex eius. n. frequenti odoratu ſcorpiones in cerebro oriri dicunt, & licet cum ſo- *Montag: conſ. 285*

lus non odoratur, poſſet dici tale, quid non eſſe timendum, tamen tutius eſt aliquo alio ex antedictis modo dictum pomum parare.

Troc. de camphora optimi ſunt, & ad odoratum, & alia dicta peragenda.

Sapo fieri poſſet æſtiuo tempore ex ſapone albo odorifero addendo puluerem roſ. & ſandal. modo antedicto.

In ore teneri poſſunt cortices aridiores fructuum refrig. prædictorum ſuaue olentium, & eorum ſem. & folia; & radix angelicæ, pimpinellę, & yridis, & ſimilium, quorum caliditas non timetur, quia in ore tantum tenentur: ſi tamen ad maiorem cautellam, quis in aqua roſ, vel aceto prius infunderit, non erit ſine ratione.

Dentifricia etiam parentur, ut infra dicam, cum de præparatione, & exſiccatione corporis agam.

Mediis temporibus antedicta frigida, cum antedictis calidis miſceri poſſunt, vel temperatis uti poſſumus, calida tamen ſemper præualeant, quia peſti magis reſiſtunt, quæ forte fuit cauſa, quod de his tantum nonnulli mentionem fecerint: hoc tantum caueas, ne vſum reſpirationis augeas; ut ſæpius admonui.

Almanſor his temporibus, & thure cocto xyloaloe, ſandalis, camphora, & mirto parat ſuffitum.

De ladani puriſſimi Rec. onc. i. ſand. citrinorum, yridis, roſ. rub. an. onc. s. grani iuniperi dr. 2. thuris dr. s. ſtoracis cal. onc. s. benioini dr. 1. carbonis ſaluci dr. s. f. p. terebinthina excipiendus, & ſi uis magis odorata iſta facere muſcũ, & ambram adde.

Sed iam ſatis dictum cum hæc, pro exemplo ſint poſita memento autem, quod ex ſententia Hippocr. ſuffitus aromatum ad multa vtilis eſſet niſi capitis faceret grauitatem, ac proinde, qui obnoxij ſunt cap. grauitati, aut dolori, vel etiam quibus facile caput repletur; vt ſunt præcipue calida, & humida cap. habentes, & corpora excrementorum plena fugiant vſum eorum, quæ multum redolent. *5. Aph.*

Prędicta prȩterea accommodanda ſunt non ſolum anni temporibus, ſed etiam conſtitutionibus, & hominum complexionibus, vnde qui calidi ſunt temperamẽto cõſtitutione prȩſertim calida, frigidioribus utuntur, qui frigidi calidioribus, temperati temperatis vti debent.

Ne-

Neque te decipiant,qui dicunt odorata non conuenire tem pore peſtis,quia inquiunt aerem peſtilentem ad cor deducunt, noſti enim,quod velimus, nolimusue aerem inſpirare eſt neceſſe, ac proinde melius eſt , ſic præparatum inſpirari , quam impurum,& coinquinamentis peſtilentibus refertum .

Cap. XXXV.

AT quibus non licet,ut magiſtratibus,aut non lubet diſcedere,aut peregrinari, uel nauigare,vt verbis Celſi vtar.Hi aerem emendent his quæ manifeſtis qualitatibus,& a tota ſub ſtantia,ipſum corrigant , ex decreto Galeni, & aliorum,ut ſupradictum eſt, cum de morbis communibus egi; reſtabat autem materias auxiliorum deſcribere. quod nunc faciemus. *1. de Diff. febr 2. de Na. hum. 6.ep.3.27 & Auerr. 7. col. 17.*

Imprimis autem confert ad corrigendum aerem procurare ne hominum copia, & præcipue ruſticorum accumuletur in vrbe , alioqui magis ſæuiet malum,ut ex Thucidide conſtet, quod ſic Lucretius Carminibus ſuis cecinit. *2.de Pelo. Bello.*

Nec minimum partim ex ægris ægroris in vrbem
Confluxit,languens quæ contulit agricolarum
Copia conueniens,ex omni morbida parte,
Omnia complebant loca tectaque,quo mage eos tum
Confertos,ita aceruatim mors accumulabat.

De quare etiam Gal.1.de diff.feb.

Præterea quando flat aliquis uentus a parte quam peſtilentia occupet , licet ex ſui natura ſaluberrimus eſſet , vel etiam quando aliquis uentus inſalubris ſpirat, aut quãdo nebuloſus, & impurus eſt aer,intra parietes magna ex parte ſaltem , nos continebimus,vt 6.epidem.inquit Galenus.Sic enim,& minus aeris infecti inſpirabimus,& ſyderum influxus minus in noſtra corpora mali imprimere poterunt. *3.27.*

Excitentur præterea ignes in uiis publicis multis in locis ex materia præcipue redolentium , temporis conſtitutione præſertim frigida,& humida,ut ex ligno iuniperi,lauendulę,lauri, roris marini,cedri,arantiorum,& ſimilium,licet quilibet ignis maxime ex materia ſicca excitatus aptus eſt aerem impurum

emen-

emendare,& ſeminaria peſtilentiæ extinguere; excitentur autem ignes ex ea potiſſimum parte, a qua uenti infectum aerem deferunt, ſic Athenienſes preſeruauit a peſtil. Hipp. quam uenti ab Æthiopia Athenas deferebant.

Simili ratione in Belgica prouintia ſonitu intenſo bombardarum multarum, & igne ab earum puluere excitato peſtem extinctam referunt, cum interim plebei excitarent alios ignes, quos in pellibus, & cornibus accendebant, a quibus aerem expurgatum fuiſſe referũt, unde ortum adagium, hic cornua adurunt, quo dicto contagioſum aerem adeſſe ſignificant, qui egeat dicto auxilio.

Suffitus etiam parari poterunt, ut de aere priuato dixi, ad prædictam intentionem.

Gal. 1. Sã. tuen. & 3. de hum. 3. Or. eup. 1. Aet. lib. 1. ſer. 3. cap. 162.

Paludoſus aer, & ex ſtagnantium halitu prouenienſ, uel ex profundo ſpecu, uel ex cloacis ciuitates expurgantibus, uel qui uitiatus eſt ex oleribus, aut ex animalibus, aut ex ſtercoribus, uel qui nebuloſus eſt, ex ſtagni fluminiſque propinquitate, uel qui in cauo, & montibus, undique cito incluſus nullum perflatum habet, fugiendus eſt, ut qui omnibus ætatibus noceant, ut a Galeno habetur. Propterea dicebat Nicolus. quod aer conſtrictus non euentatus qualis eſt cauernarum, cloacarum, & ualliũ fugiendus eſt, ita ut neque eſtatis tempore ad eum confugiendum ſit, licet ſit frigidus, precipue autem aer talis fugiendus eſt, quãdo peſtis oritur, e terre halitibus, ſicuti paludoſus, quando ab aqua ſtagnante contagium timetur.

Imo, quod iſte aque corrigende eſſent primo ſi potis eſſet, eoque magis ſi nedum aerem contaminant, ſed etiam illis uti habitantes coacti fuerint, neque hoc ſat fuerit, ſi iam ex potu aque huiuſmodi corpora aliquã offenſam incurriſſent, tunc. n. nedum aqua corrigenda eſt, ſed corpora etiam curanda, ut optime docet Auenzoar. Verum de emendatione aque non eſt cur, hic plura dicamus; quoniam que huc pertinent, infra referam, cœtera apud probatiſſimos authores inuenies.

4. Tebi. 4.

Ad aerem pertinet, quod nos etiam Auenzoar admonet dicens, nos conſilium ab antiquis capere debere, qui nos conſulunt ne moram ullo pacto trahamus propè ſepulturas mortuorum, propter malos uapores, qui eleuantur a corporibus ipſorum.

Quod

Quod ſi ex ſepulcris ipſis,uel ex puteis pernitioſos uapores continentibus,uel ex terrę uiſceribus halitus peſtilens exhalatur,occludenda eſt his uia, ita ut nullo pacto expirare poſſint.

Et ſi humana corpora,uel cœterorum animalium,uel etiam locuſtarum,uel ſimilium inſepulta malis uaporibus aerem repleuerint,altius ſepeliri debent, uel cremari, & poſthęc aeris cura habenda, ut antea dixi.

Sic fugiendę ſunt habitationes, quę circũcirca tenent arbores,fructus,herbas ue mali, & fœtidi odoris, ac propterea aer hortorum fœtidas herbas, & arbores mali odoris continentium, pręſertim quando latrinę in hortos deferuntur, fugiendus eſt.

Vt autem cognoſcas, quæ plantæ defluxus ſalubres habent, & quæ inſalubres,not.ex Oribaſ.quod quæ fructus ferunt,qui edendo ſunt ſalubres,& quæ odorata ſunt,ut laurus, & cupreſſus,& flores omnes,qui ſuauem odorem,ex ſe mittunt,& quæ etiam odorata naſcuntur,in quorum numero ſunt, anethum, apium,thymum,& omnia quæ tenuiorem aerem reddere poſſunt, hæc omnia ſalubria ſunt. *Col. 9.16.*

Quæcunque uero ex horto,neque fructum quo ueſci poſſumus afferunt,neq; odorata ſunt, neq; attenuandi uim habent, ea ſalubria non ſunt habenda; quin etiam nonnulla mortiferã euaporationem obtinent, ut taxus, homines enim qui propè hanc arborem dormiunt,moriuntur,inquit Oribaſ. qui procul diſtant non item,quandoquidem,halitus procul delatus, pleriſque de fluxibus aliorum commixtus,etiam vim illam amittit.

Cœterum ſi cauſa peſtis fuerit a ſuperioribus, an aer montuoſus,& diſcoopertus ſit fugiendus, ut ẽt Auer. teſtatur, eligendus autem ſit aer cõuallium,& locorum umbratilium præſertim ex arboribus odoriferis,& ſalubrem umbram reddentibus,non conuenit inter authores. Siquidem qui habitationem laudant locorum humilium,comprobare intentum ſuum nitũtur exemplo monialium in clauſtris ſuis continue degentium, & eorum qui in continuis carceribus detinentur,uel etiam eorum,qui in ſubterraneis,& depreſſis locis habitant; nam hos omnes cœteris minus tali tempore,peſte corripi dicunt. id ꝙ de monialibus,& de carceratis aſſentiri difficile non eſſet,quia cum iſti in publicum non prodeant, cęteris minus peſte tentari,

6.epi.7.1. ri,quando cauſa eſt ab aere ex Hippocr. decreto conſtat; & id ratio,comprobat.

At de his qui in ſubterraneis locis habitant, & in concluſis conuallibus non eſt id ſimpliciter conſentiendum, cum ſupradictis repugnet.

Eoque magis,quoniam non deſunt, qui affirment aerem montium eſſe puriorem,magis euentatum,& putredini minus aptum,ac proinde eſſe eligendum,quo uis tempore peſtilenti, eoque magis quoniam habitantes in eo poſſunt, inquit Nicol. relinquere ſolaria, & habitare terrena.

Verum poſſet negari puriorem eſſe aerem montium, quando peſtis a ſuperioribus uenit, quia ueriſimile eſt eam aeris partem citius affici cum ſit vicinior cauſæ peſti[3], tenuiorq; ſit, ac propterea facilius alterari poſſit;& ſi uapores ad ſuſcipiendam peſtem aptos continuerit peſte affici. Signumque huius ueritatis adde, quoniam uolatilia, quæ ſuperiorem aeris partem incolunt,primo moriuntur hac tempeſtate;ut ſupra probatum eſt.

Forte non erit inconueniens dicere,ſi aer impurus comparetur aeri eiuſdem generis,quod qui tenuior fuerit, craſſiore facilius peſtem admittet, uerum non tantum durabit, facilius enim peſtis ſeminaria in eo conſumari poterunt, ac proinde non erit a ratione alienum,quando a ſuperioribus uenit peſtis, ſi humilia elegerimus loca, modo fugiamus ea, quæ adeo conſtricta ſunt,ut aerem putrem contineant,& quæ diximus omnibus ætatibus eſſe noxia.Si vero iam loca etiam depreſſa peſtis teneat, alta potius loca petamus,quæ cum magis euententur, & magis à Sole illuſtrentur, citius a peſte liberari poterunt,& aer eorum melius etiam arte emendari poterit.

MA-

Cap. XXXVI.

MAGISTRATVS etiam publici aeris curam habeant, procurãdo, vt plateę, & vici, & viæ publicę mundentur a ſterquilinijs, cloacę expedite, & libere fluant longiſſime a vijs pupliçis, ſi fieri poſſit, cadauera ſepeliantur alte, vel crementur, & locuſtarum multitudo & aliorum animalium ſimilium eodem modo emendentur.

Hiatus terræ, qui venenoſos halitus reddunt, & ideo putei, & ſe pulturæ tales halitus reddentes, apprime claudãtur. Herbæ, uel arbores fœtidi odoris, ſi adſuerint, extirpentur, & crementur, & poſthæc aer modo antedicto igne expurgetur, vel etiam ponendo dolia vinaria a quibus recenter vinum extractum eſt in uijs publicis, uel uini fæces, aut craſſiores eius partes minime ad potum aptas per uias publicas ſpargendo excitenturque ètiam ignes, ut ſupra diximus.

Canes, & feles, & huiuſmodi alia animalia, quæ peſtis ſeminaria ſecum ferre poſſunt, exterrentur, uel perimantur, ut antea dixi; quos tamen interemptos per uicos abijcere, ut ſic putrido uapore cęlum impleant, unde aeris naturã mutari aiunt, quæ tantum hominibus exitialis erat, non probamus, licet id aliqui laudent; quid enim nobis proderit, quando aerem infenſum reddiderimus alijs, & animalibus, quando etiam nobis infenſus remaneat, eoque magis, quoniam malus odor, & inſuauis cordi obeſt lipothymiam, & ſyncopim inducit, nauſeam mouet; & in ſumma ſicuti bono odore ſpiritus refocillantur, ſic a malo perduntur, & deſtruuntur.

Aliter Benedictus id Sarmetas feciſſe ait.

Ac propterea non minus uitupero odorem latrinarum inſpirare, nec placet, quod Auer. 6 col. ait odorem hirci, & urinæ eorum multum conferre tempore peſtilentiæ ratione antedicta, & licet a tota ſubſtantia, id aliqui fieri dicant, quoniam tamen ſola experientia poteſt iſtud probari, idque periculoſum ſit experiri, & præterea ratione careat, nulli ſuaſerim talia experiri.

Quod uero aliqui contendant a malo odore neque allici ſpiritus, neque meatus patentiores reddi, ſicuti fit a bene olentibus, id non negarim: uerum illud dixerim certum eſſe a male

olentibus noxam ad cor,& ad cerebrum non leuem fieri,a bene olentibus contrarium ; & ſi aer cum bene olentibus petit cor,tamen etiam emendatus,ut antea dixi inſpiratur.

Neque me ad contrarium mouet, quod aliqui referunt de multis locis,& maxime de Madrid in Hiſpania, ubi per uias publicas, ſtercora, urinaſque expurgant, cum tamen in his locis nunquam ſit uiſa peſtis, cum enim iſtorum locorum ſit aer ſaluberrimus, & a bonis uentis continuo ferè perflatus, noxam non contrahit a ſterquilinijs, & malis odoribus,a qua tamen alia loca non immunia eſſent.

Conuentus publici in quibus maxime peccare ſolent homines,& diuinam prouocare iram,interdicentur omnes,choreę, ſaltus,& alia libidinis irritamenta, eoque magis,quoniam corpus, & animum uehementius mouendo uſum reſpirationis adaugent,neque non poteſt in magna hominum multitudine tali tempore non aliquid contagionis timeri. Iure tamen Sancta Synodus Mediolanenſis quibuſdam cautionibus adhibitis, ut quantum fieri poteſt ſecure,conueniri poſſint homines,ſupplicationes ſanctarum proceſſionum admittit,& ad eas corde peragendas hortatur,quo ira diuina placetur,qua & re plus præſidij ſperandum,quam damni ex conuerſatione. Priuatim tamen preces facte minori forte cum periculo fierent.

Magiſtratus etiam prohibeant nequid ſemiputridum, aut mali ſucci,ac mali nutrimenti uenale fiat,maxime eorum,quę in peſtilenti cœlo orta ſunt,& cœterorum omnium,quæ tempore peſtis fugienda eſſe docebimus.

Procuret imprimis, ut cum aliqui peſte fuerint capti illico in cęnobium ad hanc rem deputatum longe a ciuitate deferantur,ubi deputentur miniſtris condecentibus,qui illorum curam habeant;quo & ſic omnibus prouideatur, & contagium deuitetur.

Cap. XXXVII.

HIs & alijs huiuſmodi procurabimus ex Hippocr.decreto,aerem nobis reddere familiarem, & corpora aduerſus tantam luem parare. Pari ratione ſi alia adfuerint, quæ aerem inficiant, uel aſſumpta corporibus noceant,illa ita emendare ſtudebimus, ut nobis familiaria reddantur, unde ſi aqua ſeminaria peſtis contineat, uel ſaltem aerem nobis infenſum reddat, conſilio magni Auenzoar.Procurabimus ſimiliter locum mutare, in uim alienam ab eo in quo peſtis eſt orta. ſi enim inquit Gal. aquarum, aut aeris malignitas appareat quam maxime fieri poteſt mutatis locis,ac hæc ipſa uariando hominem liberabimus. *8. de Cōp. m.ſ.l.4.*

Quod ſi diſcedere a loco infecto non licet, procurabimus aquam etiam corrigere, uel ut Galeni uerbis utar eam uariare,quod difficile quidem aſſequemur, ac proinde quanto fieri poterit illius uſum deuitabimus, & etiam piſcium in illis degentium Auenzoar teſtimonio,imo etiam ab omnibus alijs animalibus in aquis dictis degentibus abſtinebimus nos.

Præterea inquit Auenzoar a lacte,& a dulcibus abſtinendū, & ab omnibus calidis,& humidis, uel etiam a carnibus (ſi illi credimus) tali conſtitutione abſtinendum,licet carnes boni ſucci non uituperem maxime acidis ſi parentur. Talia nempe putredinem inquit,& corruptionem augent.

Præparanda hoc etiam in caſu ſunt corpora noſtra,ita ut ab excrementis pura ſint,ſint etiam bene perſpirabilia, ſint ab obſtructionibus libera;unde humidiora exſiccanda,ſicciora in eodem ſtatu conſeruanda,& cœtera peragenda,quæ de præſeruatione ſupra diximus,quando aer eſt peſtilens; ubi habes etiam quibus auxilijs hęc ſint peragenda:uerūtamen,ut cognoſcas eadem etiam remedia conuenire in peſte, de qua nunc loquimur, audi Auenz. qui inquit, quod a periculo malæ aquæ nos præſeruant magnæ confectiones, ſicuti mitridatum, theriaca magna, & electuarium de euforbio, quorum inquit quotidie quartam partem aurei unius bibat,nec comedat,uſque ad meridiem Gal. poſt 5. uel 6. horas iubet cibum nos ſumere; hæc pro exemplo ſufficiant. *L. de The. ad friſ.*

Aquam corrigemus ſi aliquid ambræ, inquit Auenzoar in eam poſuerimus, uel aliquid aceti, adhucque magis oxymel, maxime paratum optimo melle, ut Hiſpanico. Sin minus aceto ſo.ſ. utemur, præcipue parato, cum aqua roſ. optimo aceto, & optimo zuccharo.

Ad eundem uſum nos etiam iubet comedere granata muza, & pluries comedere de coriandro ſicco, uel uiridi, quia inquit remouent nocumenta ex epidemia malæ aquæ, multum etiam inquit, confert frequentare agreſtam, ſuccum limoncelorum, acetoſitatem citri, & ſemina eorum, & feniculi, & eius cortices, & radices, & ſtoechados multum, inquit confert.

Idem Auenzoar ab alijs, & a cœpis abſtinere nos, iubet, quia acutos, & calidos humores gignunt; ueruntamen quoniam, uel Galeno teſte allium eſt theriaca ruſticorum, neque ut ipſe ait ſine noxa ab eius uſu in frigidioribus regionibus, in quorum numero noſtra eſt, abſtinere licet, uimque habet attenuandi, ca lefaciendi, & exſiccandi: unde aquæ frigiditatem, & craſſitiem emendare poterit, ſicuti e contra aqua illius caliditatem, moderatum ideo uſum illius non damnarem, maxime cum aliis ci bis, ut ſic deuitemus malum eius ſuccum. Sic uidemus ruſticos in magnis etiam ardoribus, atque maximis laboribus, & cœpis, & alliis uti, cum aceto, & pane, aquam, uel uinum optime lymphatum bibendo; quare quod ſæpius dixi, nunc etiam replico, conſuetudinis etiam habendam eſſe rationem, ut etiam paulo poſt ex eodem conſtabit.

Quod ſi inquit Auenzoar patiens iam dicta mala aqua uſus fuerit, & ob id incurrerit febrem acutam, uel ſcabiem, uel ſpeciem aliquã malorũ apoſtematum. Stude inquiunt uelociter in faciendo euacuationem uniuerſalem totius corporis, cum phlebotomia, & cum medicamento de ſtercore columbino, & cura apoſtemata ſicut oportet. Ætatẽ præterea cõſiderando complexionem, & regionem, & alia huiuſmodi, ut ibi ipſe docet, & iam nos ex Hippocr. & Galeno didicimus.

Pari ratione ſi peſtis procederet, & cibis, & potibus mali ſuc ci, uel mutandus eſt locus in uim alienam, ut dixi, uel ſi hoc nõ licet, abſtinendum eſt ab eis, uel ea ſunt corrigenda, præterea corpora noſtra ſunt præparanda modo antedicto, & uti debemus electuar. dictis, inquit Auenzoar.

Quod ſi inquit Auenzoar,quis vſus iam eſſet dictis cibis, & potibus mali ſucci,neceſſe eſt vltra iam dicta remedia illum cibis nutrire delectabilibus , vt eſt panis bene fermentatus, & brodium gallinæ optimæ,vel caro hædi lactantis,quoniam inquit Auenzoar, iſtud regimen facit euadere a periculo prouenienre ex regimine mali,& corrupti cibi;tu alios laudabiles ſupra elige.

Si autem inquit Auenzoar virtus fuerit fortis; vt plurimum autem debilis eſt in talibus, vt a Galeno habetur lib. de Cibis boni,& mali ſucci,& corpus fuerit repletum ex humoribus corruptis, & horribilibus generatis ex aliquibus dictorum ciborum, ſtude in purgando illum a dictis humoribus, ſecundum diuerſitatem humorum. Si enim corpora iam cacochyma reddita,prius non purgaueris, ſed ea cibis etiam bonis nutrire procuraueris,ea magis lædes,corpora enim non pura, quanto magis nutries,tanto magis lædes,inquit Hippoc. *2.Aph.x.*

Hæc pro exemplo uolui referre,vt cognoſcas eadem remedia conuenire in peſte facta a cibis,& ab aqua,& ab alijs huiuſmodi cauſis,quæ retulimus in peſte ab aere facta, & ut uideas eaſdem in omnibus eſſe indicationes, quæ a longiori ſermone nos excuſabunt: quandoquidem quæ de aere peſtilenti dicentur ad alias omnes peſtis cauſas deſeruient.

Cap. XXXVIII.

QVONIAM abunde iam diximus quomodo aerem debemus nobis familiarem reddere, & aquam & cibos,& potus,nunc diligentius perquiramus, quomodo corpora noſtra ſint præparanda, ut præpotenti cauſæ reſiſtere poſſint.

Primo procurandum ita corpora præparare, ut paucus aer ea ingrediatur, innoxiusque ſit,qui ingreditur,quare eligenda ſunt ueſtimenta, quæ nos ab aeris iniuria defendant corpora noſtra ſunt exſiccanda,ab excrementis purganda,ab obſtructionibus liberanda, & reddenda tranſpirabilia, quod ſi quis iam noxam a peſte cõtraxerit,& uel febris,uel apoſtema,uel alia huiuſmodi ſuperuenerint,eorum curatio tentanda, ut ex ſupra-

dictis

dictis conſtat, nunc particulatim ea tractemus.

Sint ergo ueſtimenta talia, quæ nos ab aeris noxa tueantur, accommodata tamen anni temporibus, ſemper procurando ne nimis nos calefaciant, quo & pororum laxitas maior, quàm par ſit deuitetur, & ne uſus reſpirationis augeatur, ſemper ēt procurabimus ne ob grauitatem & pondus laſſitudinem inducant, & uires aggrauent, quas ſatis eſt a tanto morbo grauari, non tamen ſit tanta tenuitas veſtimentorum, & penuria, quę aeris frigiditatem admittat, ita ut poricutis claudantur, quòd ſit maxime frigidiori cœlo, ne tranſpiratio corporis prohibeatur, quæ quouis tempore nocet, & in corporibus bono ſanguine præditis plenitudinem, in cacochimis putredinem inducere poteſt ſi Galeno credimus.

1. de dif. f. 4 & 10 met. 4. & l. de c. morbor. 73.

Proinde ueſtiri materia laudatur ſpiſſior, textaque preſſius qua aer uenenatus prohibetur poro cutis ingredi, nec tamen debita tranſpiratio impeditur.

Quæ ergo ex corijs animalium parantur, ut ſunt pelles hircinæ, merachina uocant, & præcipue pelles, quæ bonis odoribus præparatæ ſunt, & quæ perbelle parantur in Hiſpania, & alibi etiam licet non tam bene maxime laudantur.

Commendantur, quæ ſine pillis ſunt ex ſerico ut Armeſinū uocatum, Damaſcum nec non & Zambellotum etiam & huiuſmodi, nam quæ piloſa ſunt, ſeminaria peſtis in ſe diutius continent, & in eorum pilis magis adhærent, ac quodammodo inuiſcantur.

Proinde pellicea vocata improbantur, quòd ſi quis illis uti ſit, coactus ea eligat, quæ breuioribus conſtant pilis, quales, quæ ex uaris, uel ex armellinis, uel ex cuniculis, uel ēt agninis parantur, eaque ſæpius bonis odoribus ſufferri debent, uituperantur etiam holoſerica ſeu uelutacea ob eandem cauſam & quæ ex bombace & lana parantur, quæ ſi coactus fueris illis uti, bonis ſaltem odoribus pro poſſe emendentur, ueſtimenta omnia ſi odorata reddita fuerint optimum fore crediderim, & præſertim induſia ex ſubtili linteo parata, & ſubucula, quæ corpus noſtrū attingunt, & recipiunt a corpore fuliginoſa excrementa impulſu arteriarum exterius pulſa, & ipſa etiam uiciſſim corpori uirtutem ſuam communicant, quare etiam ſæpius mutentur, lauētur, exſiccētur, & ut odorata reddantur ultimo

loco

loco lauentur aliqua aqua bene,& ſuauiter olente, & exſiccata ſic bene olentia induantur:eliges autem aquas ſecundum conſtitutionem temporum anni,vt ſupra diximus.

Quæ autem veſtimenta coctionem non ſuſtinent ſuffiantur ſuffitibus iam dictis,ea eligendo , & accommodando regionibus anni temporibus,& temperamento , ut ſupra dixi.

Huc pertinent quæ ſupra cordis regionem portanda cenſet. Inter quæ ſecundum aliquos principatum tenet Placenta ex arſenico,cum albumine oui q.ſ.incorporata in forma placentæ reducto , & in ſacculo ſericino clauſo, & ſub mamilla e regione cordis appoſito . Sua enim ſubſtantiæ ſimilitudine exterius uenenum trahere dicunt:& pro maximo ſecreto habetur, nec eſt ſine ratione, licet multi contrarium perſuadere tentarint, de qua re etiam infra.

Geſtare etiam gemmas collo ſuſpenſas,& quæ cordis regionem attingant,ut ſunt carbunculi, granati, ihacinthi, ſaphiri, multi laudant maxime Albertus magnus.

Cap. XXXIX.

CORPVS ſi ſiccum fuerit,eidem ſiccum ſeruabimus,ut ſupra diximus, tale enim corpus ſolo regimine indiget,inquit Raſ. quare in ſex rebus non natur.ea ordinabimus, quæ ipſum ſiccum conſeruent ; quod in aliis locis ſæpius diximus. *Cap.22. de Morb. communibus.*

Quod ſi inquit Gal.humidum fuerit corpus,omni uia exſiccabimus,& ſi ſuperfluitatibus redundabit, purgationibus utemur. Obſtructiones foraminum aperire,atque abſtergere ſtudebimus eiuſdem teſtimonio : quæ tanti ſunt momenti , ut magnus ille Auenzoar dixerit,quod poteſt eſſe,ut qui moriturus erat,liberetur , ſi repletionem uitabimus ; intelligens ipſe omnem cõuenientem corporis euacuationem. Prædicta refert etiam Raſ.& addit,quod utendum eſt rebus contrariis humoribus,qui indigent purgatione Sic enim inquit liberabitur, & præſeruabitur ab epidemia,per epidemiam ipsã, & multi alii intelligunt peſtilentiam. Sed male , cum vt ſupra cũ egimus de morbis communibus, ſit hoc nomen generale ad omnes morbos

bos communes: & quandoque morbos communes quidem,
Lib.3 a.7 ſed non pernitioſos ſignificet. Peſtis autem eſt epidemia pernitioſa, & quo celerius huiuſmodi tempeſtates corripiunt, ita maturius, & etiam cum quadam temeritate auxilia rapienda ſunt, inquit Celſus.

Quare, ut iam ad particularia deueniamus reliquum erit cũ de aere ſatis ſuperque dixerimus, alias res non naturales perſequi, deinde quę ad chirurgiam, & ad pharmaciam pertinent referemus, ut ſic nihil ſuperſit eorum, quæ ad corporum præparationem pertinent, ut tali morbo reſiſtere poſſint. Iam ergo a motu corporis, ſiue exercitio ordiamur: nam alia præcedere debet Hippocr. decreto.

Legat lector Hippocr. maxime 2. de Dieta, nos hic pauca ad inſtitutum noſtrum attinentia.

Cap. XL.

EXERCITIVM ergo ſit temperatum, ambulandum enim eſt, ſub diuo ante æſtum leuiter, & citra defatigationem, quę regula ſemper ualet, inquit Galenus, ſed hoc potiſſimũ
6.ep.3.28 tempore meo iudicio valebit. ab omnimoda enim ſocordia nemo vnquam eſt adiutus: defatigatio autem præterquam, quod vires debilitat, vſum etiam reſpirationis auget, quod quam noxium ſit; dictum eſt ſæpius, & licet Raſis dicat, quod tempore peſtilentiæ illius om-
17. Conti. 6. & de f. 5. nes mortui ſunt præter uenatores, qui exercitio utebantur: tamen de moderato intelligere debemus, ut ait etiam Ioannes è Saliceto, uel potius, quia inquit Raſ. de mente Galeni in quodam loco, ſunt enim hæc eius verba, exſiccanda corpora eſſe multo exercitio, quod intelligit exercitiũ tale multum, ſcilicet debere fieri, ubi non ſit peſtis, verbi gratia extra urbem in ſuburbiis, quando in ciuitate eſt peſtis, & tempeſtas humida eſt admodum, in aere autem peſtilenti exercitio nõ eſt vtendum, ex mente Rufi, niſi ut dixi moderato, nam etiam Raſ. author. 17. cõt. 6. Ruffi abſtinendũ eſſe a labore, & multo exercitio dicit, & aliis ingeniis corpus exſiccare iubet, ſi tamen aer eſſet rectificatus etiam in loco peſtilenti pluri exercitio vti poſſumus tem-

tempore humidiori,& frigidiori, maximè ſi temperamentum frigidum, & humidum eſſet, hæc enim, & alia huiuſmodi debent conſiderari,licet ſemper non replicentur; ſic Gal. 3. epid. tempeſtate illa humidiori, & calidiori, inquit, quod niſi peculiaribus vtens exercitationibus ventiles corpus,& totum luſtres concitesque,quod copiam coaceruabis craſſorum humorum, & tenuium: craſſarum propter ſocordiam, tenuium, & aquoſorum,quod euacuati nõ ſint; vt ergo hęc vitemus moderato,vtemur exercitio; ſic Hipp. cum ait exercitio ſanitatis parcitas cibi impiger ad laborem, hoc autem tempore fiat, in domo,ſiue ſub tecto,quod etiam ſupra de mente Hip. dictum eſt,ante æſtum leuiter,inquit Celſus deuitando calorem, & frigus,& ſi pro exſiccatione corporis non ſufficiens erit tale moderari exercitium,alijs ingenijs corpus exſiccabimus, infra dicendis. *3.ep.3.48* *L.2.c.10.*

Quælibet etiam pars corporis proprio exercitio, exercenda eſt, vt caput pectinando, fricando, tondendoque debitis temporibus,pari modo barba eſt pectinanda,& pręterea lauanda decoctione,vel aqua aliqua,& ſapone quæ bonum redoleat odorem; vel decoctione maioranæ, & lil. alborum, neque in aſſuetis prohibeo lotionem capitis cum lixiuio, in quo herbæ bene olentes præbullierint,& ſena,item agarico, poſtea abluatur caput prædictis,lauentur pedes etiam,vel alijs, ex ſupra dictis eligendis,vel uino albo,aqua,& ſale, vel aqua ſalſa,marina præſertim,vel lixiuio conuenienti,& odorifero; pulmo clamore, & cantu exerceatur, ita tamen, vt vſus reſpirationum non augeatur.

Crura deambulationibus, & curſu moderato: brachia motu conuenienti;dorſum ſtando, & fricando,pro quibus, & alijs ſimilium,vide Hippoc. *2.de Diet*

Hora erit,vt antea dixi matutina, vbi Sol vapores nocturnos diſcuſſerit,neque volunt ieiunum exerceri,in qua re tamẽ habere rationem conſuetudinis eſt neceſſe, ſunt enim qui in tempeſtiuius cibati immodice offenduntur,quibus aliquod antidotum loco cibi, vel ientaculi darem, differendaque in his eſt hora exercitij.

Quod ſummopere laudant pro hac intentione,eſt panis aſſatus, vino albo odorifero aſperſus, ſumatur autem cum aran-

cii acido prius aqua roſ. aſperſo, & modico cinamomi.

Quod ſi exercitationi corpus non fuerit aptũ, fricetur mode rate, quo in raritate, & denſitate mediocris habitus ſeruetur, vt nos docet Gal. quicquid in hoc alii dicant. Sunt ergo fricãdi cũ panno lineo, vel etiam cum manibus, & ol. camomel. lil. alb. anethino, & etiam ſi hiems ſit coſtino, quæ ol. efficaciora erunt, ſi in B.M. cum æquali parte vini albi præbullierint ad vini conſumpti.

L. de Opt. cor. conſtitutione.

Vnde laudandum minime cenſeo, quod Aet. dixit, frigidæ lotionem .ſ. nam poros claudendo multum offendit, licet in corpore ſaluberrimo.

L. 1. ſer. 3.

Eandem ob rationem non laudo corpus ablui aceto, tutius meo iuditio erit lauare corpus decoctione lauendulæ roriſmarini, & ſimilium modice rarefaciẽtium, & bene olentium, licet reprobem ex decreto Auicennæ, balnea aquæ ſimplicis frequentem vſum, nam humectantia, poros pluſquam deceat aperiunt, & corpus effeminant: in bilioſis tamen, & melancholicis balneo aſſuetis, moderate eo vti poſſemus, modo tamen in iſtis etiam ſeruetur ſiccitas conueniens, hoc tempore peſtilenti, pariter, & ſtuffas reprobamus, tamen quia nimis poros aperiunt, tum etiam quia uſum reſpirationis augent, ac proinde ſi quis ob longam conſuetudinem illis uti cogatur, modo ſtatim in publicum aerem proficiſcatur poſt ſtufę vſum, ſed in loco frigido cum odoriferis ſuffitibus rectificatio eouſque, & donec corpus ad priſtinum ſtatum ſit reuerſum.

Et quo aer purius inſpiretur mane cum e lecto ſurgis abluito os, aqua, & aceto, vel vino albo, & odorifero, dentes bene emũdato, & aceto ſcilitico abſtergito, vel oximeliti ſcilitico, & demum vino albo abluito: vel etiam dentifricio aliquo, ut ſequenti eos mundato.

Recipe coralorum rubrorum, criſtali uſti, an. ℥.ij. corticum citri bene exſiccatorum, yridis Florentinæ, maſticis an. ʒ. i. ciperi, cinamomi, an. dragm. i. gariophyllatæ ʒ. j. muſci gran. ij. vel iij.

Vel vtere pumice præparato, cum ſalis vſti momento, & modico yridis Florentinę, & muſci q.ſ. vt fiat odoratus, hoc modo etenim exercentur, vt ita dicam, dentes, & gingiuæ.

Eaucuationes omnes, & naturales conſuetæ ſeruentur, vnde

hoc

hoc præcipue tempore procurandum, quod etiam ſemper obſeruaſſe conuenit, ne.ſ.vel hæmorrhoides conſuetæ retineantur, vel cauteria obſerentur, vel fiſtulæ, vel ſcabies non prius bene purgato corpore curetur extrinſecis, & præcipue emplaſticis nam hoc eſt admodum periculoſum omni tempore, ſed hoc præſertim. Si prædictorum fueris memor.

Libido vitanda eſt, inquit Celſus, & Oribaſius, inquit minime venere vtendum eſſe, neque autumno, neque aliquo alio tempore, quo aliquis morbus vulgaris verſatur, nam præterquam, quod ſuperflua venus corpus admodum debilitat, & ventriculum labefactat, ſicuti veneris abſtinentia eum confirmat 3.epidem.1.4. Vſum præterea reſpirationis auget, & meatus corporis pluſquam par ſit aperit, & corpus calefacit, ſi tñ quis vxoratus, moderata venere vtitur, ꝙ minime Chriſtiano denegandum cenſemus; quo & matrimonio ſatisfaciat, & peccata deuitet, non ſubito ſe aeri peſtilenti, poſt vſum veneris exponat, multi enim ex tali occaſione ſubito uitam, cum morte mutarunt, ſed a venere in lecto quieſcat, & ſi poteſt modice ſaltem dormiat, ſic enim corpus defatigatum vires recuperabit, & reſpiratio moderabitur, & ad ęqualitatem tutum corpus reducetur: hora veneris, vt multa ad hanc rem dici ſolita, pręteream, ſit poſt peractam coctionem. In loco in quo aer modo antedicto ſit emendatus.

Somnus nocturnus largior etiam conceditur, meridianus fugiendus, inquit Celſus, ea potiſſimum ratione meo iudicio, quia corpora humectat. Verum conſuetudinis habenda ratio; Procurandum eſt autem dormire in loco aeris rectificati, vt antea dixi.

Animi autem perturbationes vehementiores deuitentur; riſus enim, & lætitia immoderata corpus relaxant, & eneruãt; ira & odium humores accendunt, mœſtitia, & timor ſæpius peſtem accerſere, quare ne de morte quidem cogitandum, nedũ metuendum, mortis enim imaginatio multum imprimit in corpus noſtrum, vnde vires debilitantur. Hinc fit, vt pulſus campanarum alioqui ſolitus ob funera defunctorum, hoc tempore interdicatur. Quantum præterea valeat fortis imaginatio ad mutandum corpus Auicen. declarat, & Ægydius voluit, quod ex forti imaginatione interficientis moueatur ſanguis *Valeſ.4. cont.ult.* *6.4. Can.*

in corpore interfecto, & ex vulnere emanat, ſi homicida illi approximetur.

Sint ergo cum bona ſpe letentur honeſte, & ut Chriſtianum decet, neque ullo pacto ſit gaudium, cum peccato ne ira Diuina irritetur: & licet non ea eſſe debeat mortis tanta imaginatio, quæ offendat; memento tamen, quod mori, & quod poſt mortem iudicem iuſtum habebis.

Cap. XLI.

2. de Nat. hum. 4.

DE cibo, & potu illud ex Hippocr. primo procurandum, ne corpus tumidum, atque imbecille ſit.

Paulatim tamen de cibis, & potibus, quibus vti conſueuerant demendum eſſe; nam ſubita victus ratio citra periculum non eſt, nequid ab ea permutatione in corpore innouetur, inquit Hip: qui paulo poſt corpora extenuanda eſſe docet. In quibus verbis Hippocratis, illud notandum, quod male faciunt, qui inconſueta cibaria, maxime ſi ingrata ſint hominibus exhibent. Nota etiam, quod licet quando aer eſt peſtis cauſa, de quo loquitur eo in loco Hippoc. uictus ratio non eſt mutanda, quia ipſa non eſt cauſa morbi, ſed aer: id intelligitur, modo ab ea uictus ratione ſolita non offendatur, inquit Hippocr. nam ſi ab ea uictus ratione ſolita offenderet mutanda ea eſſet, ſed paulatim, uerbi gratia ſit aliquis aſſuetus, uti cibis calefacientibus, & exſiccantibus; ſit nunc conſtitutio temporis calida, & ſicca, quæ corpora noſtra offendat, quæ etiam lædat a peſtis ipſa. Hoc in caſu victus calidus, quo quis aſſuetus eſt uti, mutandus eſt paulatim ad frigidum, & humidum, vt etiam ſupra dixi, cum de curatione in communi morborum communium dixi.

Sit ergo temperatus in cibo, & potu quilibet, & hoc maxime tempore exercitationem ſanitatis procurabis ex Hippocr. decreto, cibi parcitate, & labore moderato, vt antea dixi præcipue, vt cruditates fugias, ut ſupra etiam ex Hippocr. notum fuit; & id Celſo atteſtante; qui etiam nos ſemel in die comedere ſuadet: Verum in hoc conſuetudinis habenda ratio; quis enim Hiſpano quater in die comedere ſolito talem abſtinen-

nentiam imperaret? Prætérea maxima eſt habenda ratio conſuetudinis in eo, quod aliqui dicunt: nempe prandium debere eſſe copioſius cœna: noſter Galenus anteponit indicationem a conſuetudine deſumptã, Indicationi deſumptæ a tẽperamẽto. *Li. 5. Met. 6. ep. 3. 24 17. Cot. 6.*

Concludamus, quod ſicut cibi parſimonia pro ſcopo ſemper, vt ait Galenus habenda eſt ad inſtituta uitæ noſtræ, ita hoc maxime in peſtilenti ſtatu etiam obſeruandum, quod præcipit Raſ. quod tempore epidemię debes minuere cibum, & potum, quia multus cibus, & multus potus addunt in epidemiam.

Varietates propterea ciborum, maxime deuitentur, nam vt alia infinita mala, quæ inferre ſolent omittam, cruditates hoc tempore maxime deteſtandas pariunt.

Sunt qui attenuantes cibos vituperent, quoniam (inquiunt) corpora incendunt, & laxiora faciunt, & ideo magis expoſita fiunt aeris uitio. Cæterum eorum continuum uſum ex decreto Galeni reprobare poſſumus, & iuſte. Sed per interualla illis uti poſſunt præſertim, qui frigidi ſunt temperamenti, qui craſſis humoribus abundant, & obſtructiones patiuntur, qui etiam non poſſunt ſine noxa ab eis ſe abſtinere; frigidioribus etiam temporibus innoxie omnes per interualla, vti poſſunt, his quæ moderate attenuant; Vnde vides non eandem eſſe omnib. præſcribendam victus rationem, neque eandem quibuſuis temporibus, de qua re in vniuerſalibus dictum eſt a multis. *L. de Cib. boni, & mali ſucci*

Cibos vero craſſi ſucci, omnes reprobamus, obſtructiones enim pariunt, tranſpirationem impediunt, putredinem conciliant, qua nihil peius.

Dulcia bilioſis maxime noxia ſunt, quorum immodicus vſus omnibus etiam nocere ſolet, maxime peſtilenti tempore, nam ventriculum laxant, nauſeam mouent, quod in peſte deteſtandum eſt.

Humida maxime noxia, vel etiam Auer. teſtimonio, quia facile putrent, quod in externis etiam videre eſt. Præterea in peſte non humectanda, ſed exſiccanda ſunt corpora, vt iam dixi. Si tamen æſtiuo tempore calidus, & ſiccus iuuenis fructibus humectantibus, & refrigerantibus, moderate uſus fuerit non aberrabit meo iudicio. *6. col. ult.*

Piſces peſtilenti tempore reprobat Ficinus, quia frigidi, & humidi reputantur, Auer. quia ſanguis ex illis genitus eſt faci- *6. col. ult.*

lis

Li.de cib. boni, & mali ſucci & l. de atten. uictus ratione.

lis corruptionis. Ficinus tamen ſaxatiles, & petroſos conceſdit. Intellige etiam alios piſces laudabiles poſſe concedi, quos a Gal. potes cognoſcere.

Inter marinos ſunt omnes ſaxatiles, vt trilia orata mugil, & etiam ſardæ.

Inter fluuiatiles petroſi, timulus, perſicus, ſtrigilus, truta, lucius, & cauacinus, licet hi duo minus conueniant, quicquid alij dixerint.

l.3. de ali. fac. c. de piſcib. nulli carne præditis, & 5. de ſan. tu. Antiochũ ſenem illis uti ſolitum eſſe recẽſet de qua 10 trac. de curatione ſenij.

Maxime autem concedi poſſunt piſces, æſtate ſenibus, cum temperamenti ſicci ſint, & debiles, vt inquit Gal. & temperamento calidioribus, & etiam plethoricis, qui ob plenitudinem ſanguinis obſtructionibus ſunt obnoxij.

Parentur autem præcipue ſuper graticulum aſſi, cum ſucco limonum, vel aranciorum, vel agreſtæ, vel aceto, quos æſtate ſic paratos, quando peſtis ab aere peruenit, magis laudant aliqui, quam carnes, quia ſunt tuti ab aeris vitio, facilius coquuntur, quam carnes, & frigidiorem ſanguinem generant; & ſic parati meo iudicio, fugiũt corruptionis ſuſpitionem, quam timet Auer. ſic autem maxime conueniunt plethoricis, ſeu multo ſanguine abundantibus.

Vt Io. e Saliceto.

Reprobatur lac, & recocta a Ficino, quia facile corrumpuntur. Sunt qui reiectum, comedunt, quoniam conficitur ebuliente ſero, cum modico aceto, quod acetum ipſum corrigit. Lac etiam acetoſum ſunt, qui concedant, fit autem acetoſum, ut Meſue docet, cap. de phtyſi, ſi ab eo extrahatur butirum, & poſtea dimittatur in aere temperato vna nocte, & mane vehemẽter agitetur, & ſpuma eius excludatur. Lac tamen huiuſmodi frigidi, & craſſi ſucci cenſetur, & difficilis coctionis, æſtuoſis tantum uentribus conueniens, inquit Galenus lib. de Alim. f. 3. nec mirum cum caſeoſam partem contineat, ſeroſam, & pinguem depoſuerit, ut etiam Aet. refert. *Se.2.c.94*

Calida, & humida, quia facile putrent fugienda. Humida, & frigida, licet minus reprobẽtur, non tamen carent nocumento, præſertim quia corpora ſunt exſiccanda, hinc quum aquoſum generant ſanguinem, reprobantur, ut ſunt fructus oẽs inſipidi.

Frigida autem, & ſicca, ut ſunt acidi fructus omnes, putredinem prohibent, exſiccantque, & ideo optimi maxime, quia incidunt. Hinc Raſ. quiſque inquit vult a putredine præſeruari *17. Cõt. 6.*

vtatur

vtatur frigidis,& ſiccis,ſicut fit in carnibus; quæ aceto, & ſale in loco frigido ſeruantur:

Auſteri autem a cibo maxime laudātur,quia vaporum aſcenſum ad caput prohibent, & coctionē iuuant ſtomachū claudēdo. Alioqui tamen obſtructiones, cum parere poſſint inter cibos aſſumpti immodice præſertim, damnandi eſſent.

Optimum autem erit fructus omnes,quibus tempore peſtis vtimur ortos fuiſſe in cœlo non peſtilenti;vel ſaltem, ſi priuſquam edantur abluti fuerint, vel aqua, vel aqua & aceto, vel vino, qui ſi etiam decocti fuerint ab iniuriæ aeris magis uindicabuntur,& facilius coquuntur.

Ex dictis manifeſtum eſt acida ceraſæ, limonum, & arantiorum,& citri ſuccum,& alio huiuſmodi ante cibū,uel ſola ſi uentriculus frigidus non eſt,uel non zuccaro,& modico cinamom. aſperſa ſi fuerit frigidus,comedi debere. *1. de Diet.*

De fructibus etiam hoc ab Hippocr. obſeruandum; fructus inquit fortiores ſunt, quam pro humana natura,melius eſt ergo a fructibus,inquit abſtinere, quod ſi quis eis cum cibis vtatur,minime omnium deliquerit,hæc Hipp.

Ficinus inter fructus Criſomila laudat neſcio, quo ſpiritu ductus,cum facile ob humiditatem ſuperfluam, putredini ſint obnoxia;niſi forte arbicocola vocata intelligat, quæ inter perſica potius connumeranda veniunt,quam inter criſomila: hæc certe minus humida ſunt criſomilis, ac propterea tutius concedi poſſunt, licet ab illis etiam abſtinendum eſſe cenſeo.

Patet etiam ex dictis,quod pepones, ficus,vuæ maturæ,ceraſa,ēt dulcia,vel inſipida,ne dum acida,& alij fructus huiuſmodi bilioſis æſtatis tempore,ante alios cibos concedi poſſunt,frigidi,vt primo de Alim.fac.cap. de Fruct. fugacibus,aqua prius abluti,vel ſi frigidiori tempeſtate conceduntur, etiam vino albo,& odorifero,& quod ſecundum Hippocr. cum pane edendi ſunt,Ficinus iubet,poſtquam dictos fructus comederint eos ſumere,narantium cum ſale,vel aliquid fœniculi.

Ego pepones,cum zuccaro,& cinamomo,his qui frigidiori ſunt ventriculo concedo,a quib. vinum generoſum propino, quod eſt tanquam theriaca contra illorum noxam. Alij cum aceto edendos proponunt, verum meo palato non arrident.

Lactucam,endiuiam, intubumue talibus concederem æſti-

do tempore, quib. in frigidiori ventriculo miſcerem mentam dracuncellum, optimum gariophyllatum, uel fœniculum, & piperis momentu, cum aceto, ac roſ. aranciorum, & pauco oleo. His præſertim, qui acetarijs, uti ſolent, ſi illis priuentur alios cibos auerſantur.

Patet etiam ex dictis, quod fungi, & tubera terræ, & paſtillicia omnium, & panis azimus, uel etiam non ut decet fermentatus, nec leuitus, & caſeus omnis generis; & caro craſſorum animalium etiam cum ſale conſeruatorum reprobantur, quia craſſum, & limoſum generant ſanguinem, & melancholicum.

Patet etiam, quod omnes cibi, qui ex locis ſuſpectis deferuntur reprobandi ſunt, etiam ſi peſtilentia alia animalia infeſtaret, quod eorum carnes maxime eſſent cauendæ, quorum uſus per ſe peſtilentes morbos inferre poſſet.

Laudantur autem omnes, qui boni ſunt ſucci, præcipue cum acidis accenſis ue porati, carnes autem inter cętera ſic exhibeatur, nam ſic minus putreſcunt.

Panis ergo optimus eſt cibus, ex tritico optimo confectus nō in peſtilenti loco natus, præcipue ſi ex loco non ſtercorato fuerit, ſitque modice ſalitus, & decenter fermentatus, cum aqua & aceto malaxatus, inquit Auenzoar; quem parant aliqui ex una parte farinæ tritici, & altera reæ, uel ordei, ut minus calefaciat, & facilius concoquatur; qui etiam minus humectet, inquit Ficinus. Decoquatur autem in forno ex igne accenſo, cum lignis, non putredinem referentibus; refert enim Alex. Benedictus; ſe uidiſſe nonnullos in balneo periiſſe, ob ignem a putridis lignis accenſum.

A carnibus toto hoc tempore nos abſtinere iubet Auenzoar bletaſque comedere ex aceto, abſque ulla ſpecie, uerum ſi carnes parantur, cum his quæ putredinem prohibent, non ſunt ſuſpectæ præcipue aſſuetis; quare hanc ſententiam non approbo niſi forte in febre peſtilente, in præſeruatione minime.

Illud maxime obſeruandum eſt, an a ſuperioribus, an ab inferioribus peſtis oriatur. Si enim ab inferioribus cauſis fuerit eorum animalium carnes ſunt fugiendæ, quæ fere continuo humore degunt, ut inter aues ſunt pernices, coturnices, phaſiani, & aliæ huiuſmodi alioqui laudabiles, & inter quatrupedes pecudum omne genus, ita ut etiam caſtrati, alioqui optimi, quando

do præſertim in paſcuis uerſantur ſalubribus,ut fere fit in tota Hiſpania, & in alpibus etiam Italiæ.

Sin vero a ſuperioribus veniat peſtis,fugienda, quæ in aere ferè ſemper viuunt,& ſuperiora habitant , vt ſunt Hirundines tum paruæ,tum etiam maiores , quorum etiam vſus alijs temporibus non eſt ſalubris ea potiſſimum ratione , quia nutriuntur ex putredine ortis,vt muſcis, & ſimilibus.

Cœteris tamen paribus auiũ carnes ſalubriores ſunt carnibus quadrupedum,non ea tantum ratione,quia facilius coquũtur, & minus ſunt excrementitiæ , ſed etiam quia minus aeris aues inſpirant. Præcipue autem commendantur phaſiani, perdices,merulæ,turtures, palumbi turriculæ iuniores, pulli capi, gallinæ iuuenes,non in cohorte incluſæ, ſed victum ſibi in rure quęrẽtes,& oẽs aues in nemoribus, aut arboribus degentes, non in aqua , licet beccariæ vocatæ , & aliæ huiuſmodi mediæ, cum ſint inter eas,quæ in arboribus,& eas quæ in aquis degant, aſſæ præſertim cum acidis ſuccis concedi quandoque poſſint.

Inter quadrupedes carnes vitulæ lactantes,& hędi lactantes, caſtrati annui, cuniculi,& lepores,iuniores capreoli,& apri ſilueſtris,iuniores præſertim apprime cõmendantur. Quod ſi humidiorum animalium carnibus,vti coactus fueris aſſentur cum gariophyllis infixa,vel cinamomo,menta,petroſelino,ſaluia,roremarino,& ſimilibus,& condiantur aceto, vel acidis ſuccis;ita tamen,vt ventriculi rationem habeas. Sunt enim quorum ſtomachus ex carnis,& frigidior acrimoniam aceti non fert.

Oua ſorbilia, vel tremula, maxime ſi ſalis momento,licet 4. acut. videtur ſal cum ouis non probare Galen.uel cinnamomo aſpergantur laudabilis ſunt nutrimenti, memento tamen,quod iſtorum , ſicut & multarum carnium eſum in plethoricis non probantur,uel ea potiſſimum ratione, quia multus ſanguis obſtructiones parat,quod maxime eſt cauendum in peſte Sint ergo in cibo parci,& parum comedant de carnibus , & ſint paratę cum acetoſis;imo ſunt qui piſcium eſum in talibus magis laudant,quia minus ſanguis generant,de qua re ſupra.

Lebetina ex piſcibus in ſanis bilioſis , & plethoricis , ut ſupra dixi,maxime probatur æſtate a multis,quæ etiam ex carnibus bonis parari poteſt æſtate cum zuccaro , aceto , & ſandalis; hieme vero cum cinnamomo,croci momento, & uino albo me

dijs temporibus his ſimul mixtis.

Inter legumina ſolas lentes probat Ficinus, quia exſiccant. Ob hanc cauſam fabam frixam, aliqui cõmendant, & lupinos in aqua maceratos, quia uermes enecant, qui peſtilenti tempore graſſari ſolent. Cætera mali ſunt ſucci, ac craſſi, & propterea parce iſtis utendum, ex eorum tamen farina, & hordei cum cremore amig. d. uel etiam amararum, ſi amara quis guſtat, paratur ferculum ſuaue, & ſalubre uermes interficiens.

Fercula parentur, alia etiam boni ſucci, & quæ putredini reſiſtant, ac peſti, proinde ea condiri iubent aceto, uel acetoſis ſuccis, & oxalide.

1. de Ali. fac. *6. de Sim. med. fac.*

Hordeatum itaque, & auenatum aſperſum granis granatorum commendatur, licet de auena dixerit Galenus eam eſſe eduliũ iumentorum, non hominum in Aſia ſuo illo tempore, & calidam eſſe admodum, & ipſe alibi dixerit Auenam, uim digerendi habere, hodie tamen in Germania, & utuntur pro cibo in iure bono optime decocta, & ex eius farina lacte, & butyro, ſicuti ex farina zeæ, & tritici pultem faciunt, qua pueri innoxie utuntur; unde conſtat eam non eſſe damnandam, quod autem Galen. dixerit auenæ uim ſimilem hordeo habere, temperiem paulo habere ſine adſtrictione, ut refert Mathiol. falſum eſt.

Mat. cap. de Auena.

Priſanam etiam optimum eſſe edulium, maxime cum ſucco limonum, uel etiam arancij, nemo negare debet, licet aliqui eam damnent, humida cum ſit. Cuius laudes cum eas Hippo. & Gal. perſecuti ſint, non eſt, qnod nunc referam.

Cucurbita etiam, licet frigidior ſit, & humidior, tamen æſtate cum omphacio, uel aceto condita, concedi poteſt, ſicuti & lactuca, cichorea, intubus, & oxalis: bilioſis præſertim.

Far etiam æſtate, cum aceto, uel acetoſis conditum, hieme uero, cum pipere, uel cinnamomo optimũ eſt ferculum, quod etiã cum lacte amig. d. uel etiam amararum, ſi uermium ſit ſuſpitio, parari poteſt, addendo ſuccum limonum, uel alium acidum. orizam hieme nõ uitupero, ſicuti amygdalatum, cum dictis acidis, uel etiam per ſe, quando uolumus ſomnum prouocare, quod autem eum laudent aliqui, quia ueneno reſiſtit, licet hoc non negem, tamen ad rem noſtram, non uidetur multum facere. Si conſiderentur cauſæ, quibus ueneno reſiſtit, eandem ob rationem rapas, & napos aliqui concedunt, quod tamen non pro-

probo,licet eorum ius per interualla, cum carnibus laudabilibus,paratũ non contẽnerẽ ea ſaltem rõne,quia mouent urinas.

Acetaria autem, quæ prima menſa concedi poſſunt fiant ex lactuca intubo,cicorea,acetoſa,præcipue decoctis;quæ uere menta dracũculo,ozimo,pimpinella, meliſſa, miſceri poſſunt; laudantur, & flore roriſmarini,& boraginis,& bugloſſæ.Sicuti lupulis, & aſparagis acidis ſuccis, uel aceto, cum modico oleo conditis,uti poſſunt.

Cappares etiam hieme præſertim laudantur, laudat etiam cepas decoctas Ficinus:aliqui etiam cariotas,uerum ſunt mali ſucci,ac proinde parce,& per interualla illis utendum,rutam bene lotam,& ſale aſperſam cum nucibus, laudant aliqui; cæterum hoc iam antidotum eſt,de quo infra.

A menſa, citonia decocta,uel diacitonites, ſine uel cum ſpeciebus habita ratione æſtatis temperamenti,temporum,& conſtitutionum anni,& ſimilium laudantur.

Sicuti pira,& mala acida,uel etiam auſtera,ut antea dixi,az taorlas laudo, meſpilos,& meſpilatum, quia non niſi putrida edi poſſunt contra multum opinionem reprobo : perſica cum uino aſſumpta, cocta præſertim non improbo coriandrorum, & piſtachiorum,cum zuccaro, uel ſine uſus iam obſoletus eſt, amygdalæ etiam, & pineæ, cum uino lotæ, non reprobantur, paſſulæ optimæ ſunt . Caricarum uſum moderatum non uitupero, ex quibus ruta,ſale paratur antidotum, de quo infra.

Aromatum uſus, quia ſua caliditate uſum reſpirationis augent,æſtate præſertim improbatur, licet hieme frigidiori in regione, & temperamento, non abſque ratione concedi poſſunt, maxime ad corrigenda cibaria frigida,& humida,cinnamomus ergo piper,& crocus,maxime eligantur,quorum caliditas, non multum excedere creditur; Ficinus laudat ſpecies.

Recipe ſandalorum citrinorum on.s.cinamomi drag.iij.croci dr.s. quibus aliqui addunt margaritas,aliqui macerem, alij gariophyll.cardamomũ,aniſum,nucem, piperem,& coriandolos præ par.ex quibus etiam cum zuccaro parantur ſpecies. 6.ep.3.28

Potus pro ſanitate tuenda parcus ſemper eſſe debet ex Gal. & Hippocr.ut ſupra adnotaui; ſed hoc tempore potiſſimum: potens uinum aliqui prorſus reprobant,quia nimis calefaciendo uſum reſpirationis auget, & ſanguinem efferueſcere facit.

Cæterum moderate ſumptum,& aqua pręcipue roſata limphatũ,uel chalybeata tempore frigidiori, & tali temperamento .ſ. frigido,ætate præſertim declinante a me non reprobatur. Vinum autem oligophorum,vel etiam mediocre ſubrubrum,moderate auſterum ab omnibus laudatur, maxime ſi auri lamina in eo extincta ſit,& ſic donec clarificatur dimiſſum,alij laudant album maturum. Tu conſuetudinis,& etiam guſtus rationem habeto.

Ser.2.1. Nam vt optime refert Aet. ex philum. Iucunda ſit inprimis potio,& aduerſus peſtem,nam duplex robur, & admirandum ſimul auxilium exhibet, id quod etiam naturæ, ob iucunditatem gratum exiſtit. Venter enim, vbi quod blandum eſt ſuſcepit,& in ſe complexus eſt,tenet & probe concoquit pro viribus,maxime ſi fuerit quantitate moderatum. Excitatur enim natura, & actiones ſæpe ab affectionum feritate miſere afflictas ſuſcitat,& morbo repugnat iuxta duplicem modũ. Ipſum quidem malum palam contrarietatis natura caſtigans,vires autem animal gubernantes conſolans,& excitans,ac fortificans ad ſuperandum morbum.

Quare qui vinum abſintites,aut enulatum, aut cum betonica,vel roremarino paratum tantum commendant,& extollunt, bene conſiderent prædicta, & ſciant, quod in menſa illis vti, quando ingrata ſunt non conuenit, licet medicamenti ratione ante cibum illis, quibus conueniunt,modo valde illa non abhorreant, dari poſſint;non negarim etiam in prima potione illa eſſe deguſtanda,præſertim abſintites,& maxime quando uermes moleſtant,ad quam rem etiam paratur.

Recipe Dictami albi, tormentillæ, biſtortæ, angelicæ, meu, cinamomi, pimpinellæ, an.vnc.s. zedoariæ vnc.j. rutæ drag. ij. ſcordij,meliſſæ an.drag.iij.rad.valerianæ dr.v.baccarũ iuniperi ſcr.j cardui benedicti dr.iij.cinnamomi,gariophyl.an.drag.iiij. nuciſm. dr.j.macis dr.s.croci ſcr.j.s.camphoræ dr. j. s. f. p. qui in petia linea rara ligetur, & maceretur diebus tribus in pintis duabus vini optimi, deinde extrahatur puluis, & ſeruetur uinum in vaſe mundo,quo vtere,vt ſupra; ego cum ſem. citri, & ſcordio,& radic.angelicæ dicto modo pararem uinum,id quod facile,& cito quidem paratur.

Cœterum ſi quis voluerit vina iſta medicata parare diligentius

tius muſti tempore illa paret modo Dioſcor. cum herbis peſti reſiſtentibus de quibus infra uide antidotos.

A fructibus creſpini arboris maturis uinum extrahitur, quod cum iuleb. uiol. uel roſ. & aqua mixtum febribus peſtilentibus utile eſſe refert And. Mat. l: in Dioſc. 1 o. c. 105.

Fit etiam ex granatis acidiſ. d. & medijs uinum ad hoc utile modo eo utamur quando conuenit, quibus poſſumus etiam uti in bilioſis æſtiuo tempore, præcipue quando uini oligophori nobis non datur copia.

Alij ex ceraſis acidis uinum parant, uel ſolum, uel cum muſto, dum ea muſti tempore bullire cum eo faciunt.

Ex limonibus, & aranciis apud aliquos in Aſia præſertim paratur in aqua præmaceratis more ceruiſiæ.

Pomatum piratumque alii parant, de quibus nos cap. de melancholia.

Hydromel laudant alij ex pane aſſo, & cinnamomi momẽto.

Ceruiſiam zitumue reprobat Manardus, & etiam Fernelius, ſequuti Galenum, quia fit ex putredine hordei, uerbi gratia triticiue, & floribus lupulorum, dicuntque potum eſſe craſſi, & mali ſucci. *6. de Sim. med. fac.*

Ego non uideo, cum uel teſte Galeno, ſit acrior hordeo, & ſit acris, & calidus potus, & etiam parte plurima ſit aqueus, & acidus, præcipue ſi ex hordei, & lupul. floribus paretur, quomodo poſſit eſſe craſſi ſucci, eoque magis, quia potenter mouet urinas & cito permeat. Videmuſque belgicas nationes, & ſere totam Germaniam ſaluberrime hoc potu uti.

Dixerim propterea cum Ioanne e Saliceto, ſi clara fuerit ceruiſia, & ſubtilis æſtatis tempore laborioſis eſſe optimum potum. Imo quando ex hordeo, & lupulis decenter eſt parata, & iam inueterauit, quod amara eſt, inebriatque magis, quam uinum, ſi quis ea immodice utatur, & calefacit multum non frigefacit, ut aliqui dicunt, quod autem ſit praui ſucci, ut protulit Galenus, non uidetur uerum quando qui eo utuntur optimo ſanguine ſcateant, neque aliquod ſignum demonſtrat, ex eo prauum ſuccum in corporibus eorum, qui eo utuntur, fieri, & in his potius experientię, quam rationi credendum ipſe ſæpius dixit.

Aquæ potum laudant aſſuetis præſertim, æſtate præcipue ſi ſto-

ſtomachus non repugnet. Sit autem aqua, quando peſtis fuerit a ſuperioribus bonorum fontium,& profundorum,uel etiam ex profundis puteis ſituliſque altiſſime depreſſis, uel ex fluuijs laudabilibus deuitando eam partem, quam aer attingit peſtilens.

Pluuialem hoc tempore reprobamus,quando aeris peſtilentis naturam redolere poteſt.

Si autem non fuerit cauſa a ſuperioribus laudatur aqua ciſternarum optimarum, quando a terra fuerit peſtis, bonorum tamen fontium aqua non reprobatur.

Optimum autem fuerit ſi aqua uitium habuerit,eam, ut ſupradictum eſt,corrigere,& eas deſtillando,uel ſaltem decoquẽdo,uel chalybe ignito ſæpius in ea extincto,uel arte aliã facere, ut cum hordeo,& cinnamomi momento,cui modicum auri addunt. Ego fruſta citri, uel limonum addo, uel eorum acidum communi aqua ad guſtum bibentis miſceo.

Optimum autem fuerit infundere unicornum, uel monocerotis cornu,uel iacinthum, uel ſmaragdum, uel aliud ſimile, quod ueneno reſiſtere credatur potionibus ipſis.

Cap. XLII.

NON ſolum autem corpus purum præſeruabimus ab excrementis procurando debitum regimen in ſex rebus non naturalibus. Sed etiam perſpirabile ipſum reddendo, ac propterea.Si repletum fuerit,ipſum euacuãdo, Si cacochymum ipſum expurgãdo, vt etiam ſupra notauimus.

Gal.lib.de Conſt.art. med. In ſumma enim quę toto ſuigenere prætet naturã qualia venena viruſque animalium,& qualia ſunt peſtis ſeminaria, vt ſupra probauimus de mente Galeni, maxime 2.de Natur.hum. 4. tum alterari,tum euacuari debent. Alteratio fit per contraria, quæ vel tota ſubſtantia aduerſantur,vel altera,vel vtraque qualitate. Euacuatio autem fit per ea quæ vim attrahendi habent, inquit Galenus cęterum,inquit Galenus,hęc omnia quibus ſint peragenda remedijs ab ipſis affectis eſt petendam, quia inquit Galenus ſi omnes pariter humores accreuerint,maxime atque

præ-

præcipua eorum euacuatio erit per ſectam venam, deinde vero per frictiones, per exercitationes, per balneas, per inediam, nec alia, inquit erit euacuandi ratio, cum ſolus modum exceſſerit.

In quibus ergo ſanguis excedit ex Pauli, & Aet. decreto, venam ſecare oportet, quibus ſupernus uenter pituitam habet vomitibus euocare. Commoda eſt etiam per vrinas euacuatio; & quæcunque alia fit per totum corpus. Subintelligitur ergo euacuatio per ſudores, licet quando aer eſt peſtilens hæc ſuſpecta ſit, niſi forte eam natura tentauerit, vel ut infra. Euacuatio etiam facta per ſcarificationes crurum, quam bono cum ſucceſſu in ſeipſum vſus eſt Orib. tempore peſtilenti, per cucurbitulas etiam euacuatio intelligitur, per cauteria, & veſicatoria, & huiuſmodi, de omnibus ergo, quando omnes conueniunt dicendum eſt. *Lib. 2. de Cucur. 20.*

Primo ergo (quando hoc eſt generale præceptum in omni corporis purgatione, ſi in ventriculo primisue vijs excrementa continentur, per uomitum leuem, ſi illum tentat natura, & ad eum facilis eſt patiens, ſunt euacuanda, vel per pharmacum lenitiuum; de quibus mox dicam, vel per clyſteres lenientes, præcipue ſi in inteſtinis continentur; excrementa enim ſi in prædictis venis continentur, purganda ſunt his quæ aluum cieant, inquit Galenus de Conſt. art. med. 19.

Poſthæc ſi ſanguis abundauit, quod etiam ſignis ſæpius enarratis ſuo in loco cognoſcitur; ad multitudinem eius euacuandam prōptus eſto. Per venæ ſectionem ſi nihil eam prohibeat, vt ætas, & alia huiuſmodi, ſin minus ventoſis ſcarificatis vtere, vel ſcarificationibus, abſque ventoſis, quæ reſpondeant venæ, quæ ſecanda eſſet; vel ſanguiſugas locis dictis applicabis.

Vt autem venam conuenientem eligas in prædictis conſidera, an aliqua euacuatio ſolita retenta ſit, & ſtude eam venam ſecare, quę euacuationem retentam prouocet, vel ſaltem illius uicem ſuppleat.

Ergo ſuppreſſis menſibus, vel hæmorrhoidis venam tali interiorem ſecato quantitatem ſanguinis metiendo ex his, quæ noſti in tractatu de venæ ſectione, maxime ſecundum Galeni mentem; parcior tamen fiat euacuatio hoc tempore, quam alijs temporibus, cum vires facile cadant, & parcitas cibi ſit neceſſaria, & præterea ſtude ſuppreſſam iſtam euacuationem prouoca

re

re alijs ingenijs ſuis capitibus deſcriptis.

Si vero euacuatio ſanguinis per nares fieri ſolita retenta ſit, cephalicam ſecoto, & alia peragito, quæ ſuo loco dicta ſunt, & ſic de alijs ſuppreſſis euacuationibus iudica.

Quod ſi corpus quidem plethoricum ſit, & tamen nulla ſit euacuatio ſuppreſſa, communem venam ſecato.

Si caput repletum fuerit cephalicam, & ſic de alijs, vt ſuo cap. dixi.

Hic notandum, quod Ficinus, & alij multi dicunt optimum fore partiri venæ ſectionem, vt tranſacto quolibet bimeſtri, bis ſanguis detrahatur, prima vice ex dextro, ſecūda ex ſiniſtro cubito, tempore plenilunij, vel Luna in bono, & fortunato aſpectu exiſtente.

Verum repetitā totiens venæ ſectionē non probo. tum quia *Li. Meth.* Galenus, ipſe frequentem eius vſum damnat, quia in malū corporis habitum, & hydropem perducit, vt etiam ego in praxi obſeruaui, tum ēt quia tpe peſtilenti crebrius maſſam ſanguinis mouere non eſſe tutum iudico, maxime non multa plethora exiſtente. Adde quòd quando etiam corpus eſt plethoricum non eſt ſemper neceſſe uenā ſuare, ſiquidem Galen. etiam *Li. de Plenit.* teſte inedia, & cibi parſimonia ſæpiſſime totum corpus abſque uenæ ſectione euacuamus decenter, qua etiam hoc tempore uti debemus, ſicuti ſuperius dixi, quòd ſi fecerimus non eſt credendum nos in plethoricam diſpoſitionem cadere poſſe, uerū ſi iam corpus aliquod eſſet plethoricum, non temere reiteranda eſt uenæ ſectio niſi, quòd ſemel eſt euacuandum partiri volueris, id quòd non reprobo cum hoc modo euacuatio facta minus vires deiiciat.

Hora autem ſic eligenda eſt inquit Ficinus, quia in corpore in quo ſanguis purus abundat, fiat venæ ſectio in ortu ſolis.

In bilioſo, fiat in meridie. In melancholico in occaſu ſolis in pituitoſo media nocte, mutantur enim iſti humores his horis, vt antea dictum eſt.

Verum iſta indicatio non eſt tanti momenti meo Iuditio, ut alias ſuperet euacuationes nam cholericum meridiana hora æſtati præſertim euacuare non careret reprehenſione, neque phlebothomore pituitoſum media nocte, quo ſolemus ſomno vacare, eſt tutum neque occaſu ſolis, quando conſuetudo

do ut plurimum eſt cęnandi, ex aliis ergo ſæpius dictis horam eligito,nempe ſi nihil aliud obſtet poſt ſolis exortum.

Not. præterea quando dicimus bilioſum,pituitoſum,& melancholicum eſſe phlebotomandum, quòd intelligimus adeſſe prædominium ſanguinis,alioqui ſi corpus eſſet cacochymũ purgatione indigeret non venæ ſectione,hinc eſt quòd idem Ficinus nos admonet, ne fiat uenæ ſectio,quãdo ſanguis ad alios humores declinet,dicitque & Galenum,& Auicennam,quanto conſumatiores fuerant, tanto magis ſe a ſecanda vena abſtinuiſſe. *Vt lib. de Plenit. a Galen. conſtat.*

Tu etiam nota ex Galen. quod iure merito,in ea peſte,quæ vitio ciborum malorum infeſtabat, medici ſe a ſanguinis miſſione abſtinebant,ſi quidem citiſſime vires cadebant.caute ergo procede,& licet etiam vires adſint, vnde ob maximam putredinem, & ob morbi magnitudinem uenam ſecandam cenſeas, & potiſſimum ratione, quia ſi virium robur adfuerit nulla poteſt eſſe tanta crudorum humorum copia, quæ venæ ſectionem impediat,parcius tamen,ſanguinem in his detrahes, eoq; magis quando non crudi modo, ſed etiam vitiati ſunt humoris,vnde ex qualibet cauſa cadere uires ſolent: *L. de Cib. boni, & mali ſucci.* *Gal. lib. de venæ ſect. aduerſ. Eraſiſt.*

Et ſi ſolus ſanguis modum excederet, quod vix fieri poteſt in tali peſte,poſt venæ ſectionem nihil aliud agere debes,quam frictionibus vti,& inedia,(balneis enim, aut alia corporis exercitatione,vti non licet) aliæ autem euacuandi rationes non dantur hoc in caſu,vt ex Galeno conſtat. *L. de Cõſt. Art. med. 19.*

Verum ſi etiam peccant alii humores una cum ſanguine poſt eius detractionem purgandi ſunt.

Vel etiam abſque detractione ſanguinis eos purgabis,ſi ſanguis non abundarit, & ſi penitus humores iſti a natura alieni fuerint,ſicuti ferè ſunt,quam primũ eos euacuabis, nulla enim ratione fieri poteſt, inquit Galen.ut tales humores naturæ ſuæ gratiam recipiant. 4. *San. t.* 4

Si tamen id laborantis natura,vel aliud impediat,vt ibidem innuit Galenus primo humores peccantes præparabimus, & vias aperiemus.Eſt tamen locus lenientib.etiam in principio.

Pro quibus euacuationibus notanda, maxime quæ a Galeno præcipiuntur l. de Conſt. Art. med. 19. ubi inquit flauæ, vel atræ bilis ſuccus, vel ſeroſus humor accreuerit,opus eſt euacua-

tione, non tamen eodem modo. Etenim ſi ea excrementa in primis venis contineantur, purganda ſunt his, quæ aluum cieant, ſi in aliis, & tenuia, aquoſaque fuerint, per vrinam, vel alui deiectionem, ſi bilioſiora per purgatoria. Si vero dicti humores, non in venis primis, aut venis aliis contineantur, ſed totum corporis habitum occupauerint, ſi tenuiora fuerint excrementa, euacuentur, aut ſudore, aut medicamentis, quæ cuti applicita vim exſiccandi habent, ſi vero bilioſa, primum quidem euacuatione egent, mox & per cutim exſiccatione.

Pituitoſus autem humor ſalſus expurgandus eſt, ſi vero acidus fuerit, experiundum, inquit Galenus, ſi poſſumus eum alterare, naturæ ad illum concoquendum opem ferentes, & longe etiam magis id tentare debemus ſi dulcis fuerit, erit enim concoctu facilior.

Ad concoctionem autem conducit quies moderata, calefactio, cibi parcus vſus, boni tamen ſucci, potus vini parum calfacientis. Exiguum vero calorem, & moderata frictio inducere valet, & vſus aquarum moderate calidarum, & cibi, ac medicamenta temperate calefacientia obſtructiones remouent, quæcunque, vel eſculenta, vel poculenta, uel medicamenta extenuant, inquit Gal. ex his ergo elige quæ ad rem tuam erunt accommodata; mihi uero uiſum fuit ea omnia in hunc transferre locum, quoniam multum deſeruiunt in omni curatione.

Quæ autem ſint ea quæ humores præparant, ubique habere potes, quibus hoc tempore addes, quæ ſeminariis peſtis aduerſantur.

Bilem ergo præparant ſyrupus de ſucco aceroſæ; aceroſus. ſ. ſyrupus de endiuia, de cichorea, roſatus, de tribus infuſionibus, uiolatus, nenufar. ſyrupus de ribes, de limonibus, de acido citri, oxyſacchara; qui dilui poſſunt aquis aceroſæ, cichoreæ, boraginis, endiuiæ, trifolii aceroſi, tormentillę, & ſimiliũ, uel cũ decoctione earundem herbarum, de quibus ẽt infra, cum quibus ſyrupis aliqua antidota dareconuenit; & obſerua, quod qui frigefaciunt, & exſiccant maxime conueniunt, quia putredini præcipue aduerſantur; non tamen omnino frigidi, & humidi fugiendi, ut dixere aliqui, eſt enim quando de caliditate, & de ſiccitate febrili maxima eſt habenda ratio, præcipue in hectica,

uel

uel etiam in corporibus ad eam paratis. Vnde illis uti coacti ſumus, cum quibus tamen ea miſceri poſſunt, quæ putredini, & peſti aduerſentur.

Melancholicus humor præparatur; ſyrupo de fromis. d. de borag. de fumoterræ, de lupul. ſober regis, & ſimilibus, quibus adde ſyrupum de aceroſ. citri, & acetoſum s. exhibe cum aquis uel decoct. appropriatis.

Pituitam præparat oxymel. s. & mel roſ. col. præcipue cum melle Hiſpanico paratum, ſyrupus bitutinus de betonica, de ſtecado; quibus adde ſiropum de acenſ. citri, vel alium ex dictis peſti, & putredini reſiſtentibus, exhibe cum aquis, vel decoct. ap priatis.

Cum autem innumera fere ſint quæ ad dictum vſum aſſumuntur medicamenta integraque, ea de re circumferantur volumina, placuit quamuis omnia propemodum vtilitatem mini me contemnendam præſtent, quæ mihi vtiliora uiſa ſunt eligere, & illis addere, quod ſequitur apozema, quod ob multiplicem illius vſum alijs prætuli: eſt. n. tãquam polychreſton. medi camentũ, quod addendo, vel detrahendo, prout medico aſſiden ti expediens videbitur, ad omnes humores præparandos deſer uire poterit, ſi etiam vermes moleſtarint ſicuti vt plurimũ tempore peſtilenti moleſtant, eos enecabit in immenſam enim molem volumen excreſceret ſi ſingula quę ad hãc rem dicata ſunt ſcribere vellem, apozema autem ſic ſe habet.

Recipe rad. graminis ruſci, & aſparag. feniculi, angelicæ, tormentillæ, petroſ. cichoreæ an. unc. ij. liquiritiæ, recentis, deraſæ, diſtami vulgaris an. unc j. fol. cichoreæ, boraginis, bugloſſæ, endiuiæ, pimpinellę, acetoſę, lactucæ, ſummitatum lupulorũ, & fumariæ an. man. ij. betonicæ, meliſſæ, ſcabioſę, agrimonij pẽtaphylli, praſſii, hyſſopi, ſeordii an. man. j. ſcolopendriæ, cuſcutæ an. ſcr. j. abſinthij, foliorum dictami cretenſis, an. man. s. ſem. comm. s. & ſem. citri, & nigellæ an. drach. iiij.

Lauentur omnia in aqua optime, poſtea in alia aqua eligenda, vt ſuperius dixi, ſecundum quod a ſuperioribus, vel ab infe rioribus peſtis orta eſt, decoquuntur ad med. conſumpt. de col. Recipe lib. 4. ſucci acetoſ. citri, vel limonum, vel aranciorum, vel granatorum aceroſ. vel etiam medii ſaporis, vel vini berbe rorum, aut ribeſ. unc. iiij. zucchari albi q. ſ. et f. apozema, quod

poterit aromatizari ſpeciebus elec.de gemmis,vel diamarg.vel alio ſimili, de quibus cum de antidotis: cuius apozematis cap. onc.vj.vel plus,aut minus,prout oportebit.

Vel fiat decoctio ſupradicta ſola,cuius Recipe vnc.iiij.adde ſyr.de acetoſ.citri vnc.j.de endiu.acetoſi s.an.vnc.s.miſce pro ſyr.poſſunt etiam antidota dari cũ dicto apozemate, vel ſyr.ut Recipe puluer.bezoar.gr.vj.hiacinthor.or.margar.an.gr.iv.miſce, & cum modico acetoſ.citri cum cochleari detur, & ſtatim ſuperbibat dicti apozematis,vel ſyrupi iulep.dicti vnc. vj.

Cap. XLIII.

VT ergo iam ad pharmaca deueniamus a leuioribu(slenitiua vocant) incipiamus,quæ a viis tantum communibus euacuant.

Manna præcipue,quæ mana foliæ vocatur apprime conuenit præſertim bile peccante cuius vnc.iii.cum decoctione tamarindorum in ſero lactis paratæ adultis propinare ſoleo, vel in aqua cicor. Sic enim non bileſcit, & tamarindi eius purgationem iuuant. infantibus,& pueris minor quantitas detur, quod medici aſtatis eſt iudicii.

Caſia etiam,quam aliqui ob eius humiditatem timent, dari poteſt ad drag.x.prȩſertim,quia corrigi poteſt, vel cum ſpeciebus diamarg.diarhod.ab.uel cinnami,uel ſquinanti,aut aniſorũ, uel ſimil. uel etiam quo magis purget ſpeciebus Hieræ s. Gal. uel etiam drag.1.reub.uel tamarindorum,ut Recipe floris caſię vnc.i.pulpæ tamarindor. drag.ii. miſce & f. b.

Tamarindi enim laudantur ab omnibus,in bolo dari poſſunt uel cum caſia,ut dixi, uel cum diapruno .ſ. uel compo, ut cum manna,uel ad diſſoluendam caſiam,aut aliud lenitiuum.

Syrupus etiam roſatus ſolutiuus,uel mel roſ.ſol.maxime cũ melle Hiſpanico paratum,alii cũ melle,& zuccharo parant,ſyrupum zuccharinum uocant: optimũ eſt medicam.Recip.vnc. iii.uel & vnc.iiii.cum decoct. cord. aut tamar.aut ſero lactis depurato·Laudatur diaprunis.ſimpl.lenitiuum, diacatholic. illud bilem magis,iſta duo pituitam potius,& atram bilẽ purgant, licet oẽs humores expurgare ſolẽt, qui in cõibus uiis cõtinẽtur.

Si-

Syrupus etiam de fumo terræ ſolutiuus paratus ex eius herba nouies ſaltem infuſa in aqua,ut infundi ſolent roſæ, quando fit infuſ.ſol.roſ.& cũ zucchαro; humores aduſtos purgare creditur,aquoſos certe purgat,ſine moleſtia;& licet ſerum ſanguinis per urinas purgare fumariam dixerit Gal.tamen hoc modo ſyrupus ſi paretur per uentrem etiam tales humores purgat.

Poſſunt etiam prædicta medicamenta ſimul mixta exhiberi,ut Recipe mannæ vnc. ii. ſyrupi roſ. ſol. de fumo terræ ſol. an. vnc.ii.miſce,& dicto modo f.poti,uel f.poti, cum apozemate ſupradicto.

Inter leuia medicamenta connumerantur etiam pilulæ Rufi, ſiue a Rufo colore,[ſiue potius a Rufo earũ inuentore,ut creditur,ut etiam Paul.refert communes dicuntur forte, quia communibus morbis conueniunt;peſtilẽtes,quia peſtil.morbis proſunt; has omni ætati, & omni in tempore conuenire dicunt, quas habere paratas,cum aloe lota etiam nõ eſt inconueniens, ut ſic etiam commode dari poſſint,quibus, uel hemorrhoides, uel menſes plus quàm conueniat fluere ſolent;quicquid.n. Manardus dixerit certum eſt aloe aperire orificia uenarum, quod ego obſeruaui ſæpius. *Io. e Salic.*

Harum pilul. compoſitio non eadem eſt omnibus.Paulus nõ in forma pil.ſed potionis hoc medicamentum ſic parat; aloes partes ij.ammoniaci thymiamatis ij.mirrhę i.hæc trita in uino odorato fabæ magnitudine dẽtur quotidie uidelicet;haud ſcio inquit Rufus, an ſit quis,qui ex hoc potu non a peſte immunis, ac ſuperior euaſerit; hæc Paulus.

Raſ.eas conficit ex una parte aloes,& dimidia croci, & mirrhæ,& earum pulueriżatarum parum propinat cum vnc.i.uini odoriferi, & ait dixit Ruffus nunquam uidi aliquem bibentem hanc medicinam, quod non liberaretur, & præſeruaretur ab epidemia;nunquam fuit inuenta medicina, ſibi compar, nec ſic laudabilis,& experta, Recipe autem aloes vnc. i. mirrhæ croci an. vnc.s.f.p.de quo parum ſumat;cum vnc.i.uini odoriferi. *17.Cõt.6.*

Raymundus croci quantitatem diminuit forte, quia dolorem cap.concilient, ut omittam, quod inter uenena ponitur a Dioſcor. *Gal.1.de comp.m.p l.*

Ab aliquibus ergo ſic emendantur.Recipe aloes drag.ii.mirrhæ drag.i.croci drag.s. pulueriżentur, & cum ſyrupo de abſinthio,

tio,uel aceroſo,uel de acido citri,uel uino albo,uel aqua acetoſæ,uel ſcabioſę pro anni natura,uel ętate,uel alia intentione formentur,&ſi timemus earum caliditatem, ut caliditas temporibus, & complexione calida, poſt earum aſſumptionem, uel ſerum lactis bibatur, uel decoctum tamar. uel ſyrupus de acido citri,cum aqua acetoſæ, uel aliud ſimile refrigerans, & peſti reſiſtens nec earum operationem impediens.

Nicolaus Florentinus ſic earum caliditatem emendat, & eas efficaciores ad peſtem facere arbitratur.Recipe mirrhæ, croci, boliarm.or.coral.rub.charabe an.dr.j.chebul.dr. ij. aloes hepat. ad pondus omnium:confice modo ſupradicto.Ficinus aloem lotam ponit, & loco mirabal. chebul. terræ ſigil. & boliarm.an. drag. ij. ponit, format eas cum acido citri, exhibet cum vino albo,& aqua roſ.Alii ſic parant.Aloes electæ drag.ij.mirrhæ dr. j.croci gr.vj.fol. dictami cretenſis,& radicum dictami communis,& tormentillæ,& angelicæ,boliarm.veri,terræ ſigil.an.dr.s. reub.agar.troc.an.drac.1.cum ſyrupo acetoſ.citri,vel de limonibus f.maſſa.Rec. ſcr. j. ſingulo mane per horas duas ante cibum,vel ſaltem alternis diebus.Alii alia addunt, quæ peſti magis reſiſtere creduntur, vt ſemen citri,vel puluerem ſmarag.iacintorũ,vel os de corde cerui,vel aliud ſimile, eo,ſi pilulas quis deglutire non valet, puluere utetur ex aloe, mirrha, & croco,quod certe eſt remedium antiquorum,a quo nõ recederem authoritate tantorum virorum fretus, & remedium cum ſit lõgo vſu,& ratione probatum. Cuius virtuti forte detrahimus alia illi miſcendo,quibus tamen poſſumus alii diebus vti,quando mutare remedia eſt animus, nec enim is ſum, qui non credam etiam alia remedia cõtra peſtem inueniri; aduerte autem, quod ſi puluis bibetur,inſuaue eſt medicamentum, ac propterea melius eſt in pil.formare, & poſt earum aſſumptionem ſuperbibere.

Ad eandem intentionem ſunt pilul. magiſtri Io.de Santa Sophia ſol.deſcriptæ a Mõtag.in Antid.quæ ſunt Rec.aloes electæ vnc.vj.mirrhę vnc.iij.croci vnc j.s.reub.drag.ij s.gariophyl.ſcr. ij.ſpicæ gr.ii..corticum citri drag.j. ſem citri,ſcr.ij ſem.acetoſæ, tormentillæ,ſandal.rub.an.drag j.coral.rub drag.s.boliarm.dr.
Conſ.285. iij.gemmarum ſpecierum elect.de gemmis an.dr.j.s.margar.dr. j.f.pil.cum ſyrupo acetoſ.citri.non ſunt contemnende pil.Mon

tag.

tag.quæ ſic parantur.Recipe boliarm.or.unc.j. & teratur ſæpe vna die naturali cũ ſucci acetoſ. & cichoreæ,& borag.an.unc.ij. deinde infundãtur in eis ſpecies quæ Recipe aloes hepat. unc. iiii.camphoræ ſcr.ii.fragmentorum,hiacinthi,ſaphiri,ſmeragdi an.ſcr.s.margaritarum drag.i.ſem.citri drag.ii.cignial.ſem.baſiliconis,charabe coral.rub.zedoariæ an.g.viii.roſarum viol.ſem. acetoſæ, florũ borag.& bugloſſæ an.ſcr.s.Species iſtæ per ſe ſingulariter tritæ infundantur cum prædictis ſuccis, & diligenter agitentur,& ſoli exponantur ad prędictorum ſuccorum con ſumpt.& renouentur ſucci illi tribus vicibus, exſiccando ſemper ad ſolem,de materia ergo iſta f.pil. vii. pro ſingula dragma, cum aqua vitis, de quibus omni die capiat unam ante cœnam per horam,vel in aurora, ſi alia medicina aſſumpta non fuerit pil.aleoph.pil.de hiera.s.Gal.pi.imper.& pil.de tribus cũ reub. valent etiam a quibus pil.cum magis eos purgare volueris potes propinare vnc.iii.uel vnc.iiii.ſyrupi roſ.ſol.vel mel.roſ.ſol. tantundem,vel ſyrupi de fumo terræ ſol. ſupradicti, uel quod magis purg. ſequens de fumo terræ ſol. Nicol. Flor. deſcripti humores aduſtos, & aquoſos purgans.

Recipe corticum mirabol.citrin.& chebul.an.unc.ii.florum borag.bugloſſæ,uiol.abſinthii,cuſcutæ folliculorũ ſenæ; ego folia malo an.unc.s.mirabol. indorum unc.i. roſarum rubearum completarum,liquiritiæ an.drag.vi.epithim.unc.s.polyp.q.aniſi,feniculi an.dr.iii prunorum,damaſcenorum,paſſularum, enucleatarum an.unc.s.ſucci fumi terrę depurati,ſine coctura lib.2 (ego huius loco pono infuſionem fumi terræ factam nouies, ut fit infuſ.ſol.roſarũ) tamarindorũ unc.ii. s. omnia excepto dicto ſucco,& floribus,& epithimo decoquantur in lib.12.aquæ fontis claræ ad med.conſumpt.tunc adde flores,& epithimum, & ſuccum, & poſt unicum feruorem ab igne deponantur, & bene manib.fricentur, & poſtquam tepuerint,colentur, colaturæ adde ſucci fumi terræ,& mellis roſ.ſol.an.unc.vi. zucchari rub. lib.ii.duas,& ſemis,& depurentur,& poſtea decoquantur, cum puluere turbith.& reub.in petia rara ligato,quæ ſæpe manibus fricetur an.unc.i.

Sunt qui pil.maſtic.addendo illis reub. laudant, alii agaricũ magnifice extollunt.Tu modo his,modo illis utere,ne nimis aſ ſueſcat natura uni medicamento.

Scias

Scias præterea de quantitate exhibenda harum pil. non multum curaſſe authores, nam de pil. Ruf. Paul. inquit quotidie ad quantitatē fabæ eas eſſe propinandas; Raſis parum quid quotidie ſumere nos iubet ſunt qui ſcr. j. quotidie deuorandum cenſent. Auicenna circa drachmam quotidies ſumendam iubet.

Nulli dubium eſſe debet, quod ſi earum vſus fuerit quotidianus, quod parua debet eſſe doſis plus tamen, & minus ſecundū naturam hominis, regionis, ætatis, & aliorum ſimilium. Nam hieme, temperamento frigido, ætate maturiori plus dandum; minus contrariis conuenientibus, eoque magis ſi facile ſit purgationibus corpus. Sunt enim, quod ex quauis minima doſi bis & ter deiiciunt, aliis ne drag. j. quidem ſemel ventrem monet.

At ſi non quotidie, ſed ſemel in hebdomada quis eas ſumpſerit, cum quotidie poſtea ſumat, alia antidota non purgantia drag. i. ad minus, vel drag. i. s. danda eſt, a quibus pil. ſorbēda aliqua potio, vt magis purget quemadmodum ſupradixi ſi vis maiorem euacuationem, hoc modo, quod excrementis multis abundant; priori qui ſani ferè ſunt, & illis ad exſiccandum corpus, & putredini reſiſtendum, & peſtis venenoſitati tantū utuntur: & iſti alio antidoto non egent: qui vero ſemel in hebdomada purgatur; quotidie aliquod aliud antidotum ſumant, uel modicum, de dictis pil. Ruſi.

Fortiora vero medicamenta erunt ſequentia, quibus tamen caute utendum, ne paulatim præcipitata materia ad inteſtina fluxus pernitioſos pariat, qui tempore peſtil. facile incurrunt, vt cum de ſignis febris peſtilentis dixi adnotauimus, primum eſt, quod Recipit Reub. electi drag. i. s. ſpicæ gr. v. agar. tro. dr. i. fol. ſenę or. drag. vi. tamarind. vnc. s. florū cord. an. p. i. polyp. q. drag. ii. cinam. ſcr. i. uel ſpicæ tantundem.

Infundantur ſ. artem in ſ. q. ſeri lactis, uel decoct. cord. uel aqua acetoſæ, vel ſimili ſpatio horarum decem, deinde poſt unicam ebullitionem col. col. adde ſyrupi roſ. ſol. vnc. ii. mannæ electæ vnc. i. miſce & f. p. b. poſt cōuenientem præparationem.

Poſſumus dictis addere trypheram perſicam, quę admodum cordialis, & in febre peſtilente pro curatione, & etiam in peſtilentia pro præſeruatione commendatur multum, quæ per ſe ſumpta etiā iuuat, ſi ſemel in ſept. ad dtag. vi. uel et vnc. i. ſumatur in bolo, uel cum aqua acetoſæ, uel ſimili in potu.

Po-

Poteſt etiam cum elect.roſ.meſ. uel de ſucco roſ. miſceri, ſi bilem uolueris purgare, ut tryferæ unc.s.elect.dicti dra.ii.

Si pituitam. Recipe tryf.unc.s.agar.tro.dr.i.

Si humorem melanchol.tryferæ unc.s.confe.Hamech dr.i.s.

Valet etiam diaphęnic.& elect. de cartamo pro pituita purganda.

Ad purgandos omnes humores laudant diacitron hoc modo paratum.

Rec. conſeruæ uiol.& flor.borag.unc.i.rad. bugl. corticum citri,ſacchar. condit. uel etiam opt. exſiccatorũ an.dr.i.zinzib. albi dr.s.pulueris diagragãti frigidi dr.ii. diagrid.ʒ.iii.turbith unc.s.ſenæ dr.v.panis zucchari ʒ.x.f.elec.in tabul.pond.unc.s. doſ. una, uel etiam duæ nempe unc.i. pro uice, non uilipero elect.de pſil.& diaprun.ſol.& non ſol. pro bile purganda.

Sunt qui his non contenti exhibent etiam de bor. ellebor. rad.in pomo concluduntur, pomũ ſtupa aqua roſ. madefacta & expreſſa inuoluitur,& ſub cinerib. coquitur, pomum ſic coctum aliqua puluere ſalutari mixtum,ut ſpeciebus diamargariton comedendũ dant reiecto elleboro.quòd ſi quis fuerit debilior non primum pomum dant,ſed eundem elleborum in altero pomo dicto modo iterum coquunt, & hunc pomum ſecundum ad comedendum tradunt.fortius medicamentum eſt elleborus ſi ſic præparatus detur:datur autem hoc modo.

Rec.rad.eleb.dicto modo præpar.ſenæ,cinnam.an.ʒ.s. diag. ſcr.s.infundantur in dr.iiij.vini granat.& unc.i.zucch.ad multas horas cola,poſtea & exprime.detur in peſtil.feb.apparente bulla,antequam dormiat.ſunt qui ſtibii præparati gran.4. cum elect.liberantis etiam in morbi princ.exhibeant.Alii præcipitatum ad pondus ſcrup.s.cum zuch.roſ.exhibent cum margaritis,& aliis quæ tueri cor poſſunt. alii præcipititati.gr.8. tãtum exhibent cum ſpeciebus diamuſci uel diamarg.& miranda curant,quæ nec credenda ſunt,neque illorum experientiæ fidendum,maxime ſi feb.adſit, in robuſtis tamen tempore ſanitatis eorum minori cum periculo,hæc uſurpari poſſunt, de quibus nonnulla infra Cap.47.

The. l.3. tract.3.ca. 1.& 2.

Auenzoar laudat electu.de ſtercore columbino,& non credas inquit quòd ſtercus columbi poſitum ſit à caſu,uel fortuna in prædicto medicamine,ſed fuit ibi poſitum cum electione &

Hoc medicamentum deſcriptum eſt ſupra

prouiſione magna, eoquod prædictum ſtercus habet purgare, & expellere putredinem,& corruptionem aeris,& aquæ fætidæ,& corruptæ,& inquantum eſt ſtercus aſſimilatur illi putredini, & pro tanto poteſt illam putredinem magis trahere, expellere,& purgare. Sic autem paratur.

Recipe ſtercoris columbini ſicci, Aloes ſuccotrini, agarici, fęminini, polypod. recētis, rad. lilii cęleſtis an. aur. i. thymeni aur. i. minus quarta. Salis,& ellebori nigri an. ſcr. s. ſucci abſinthii, alcond. carathal. cum folijs coloquintidæ an. octauam partem aur. i. Incide coloquintidam minutim, & miſce eam cum tantundem amygdalarum, & poſtea coniunge ea cum prædictis medicamentis puluerizatis, incorporando eas cum butyro, uaccino,& ſyrupo, & ſquinzabin, & dabis ei ad bibendum pondus aur. v. cum ſero lactis, & ſi non purgatur ſufficienter adde de iſto aur. v. cum ſero caprino; & rege eum ſicut in aliis medicinis,& pro qualibet ſella meretur duobus diebus ab acceptione ipſius,& poſtea iterabis dando plus, uel minus de iſto medicamine ſecundum tenorem uirtutis, & naturam patientis, ſecundum ordinem medicinæ.

Vomitum laudat Paulus, Aetius,& Oribaſius, quando pituita eſt in uentriculo, quidquid Celſus dixerit lib. 2. cap. 10. nam uomitum ad purgandam pituitam ipſe concedit in peſtilente febre lib. 3. cap. 7.

Leuioribus tamen uomitibus utendum, ut Recipe aquæ ord. vnc. vi. aceroſi s. uel oxymel. s. vnc. ii. cap. tepidum.

Diaſan. quod a Fern. deſcribitur ad drag. vi. modo dicto, uel etiam cum aqua tepida ualet: a uomitu tamen abſtinendum, quando æger non facile uomit, alioqui materia agitata,& non euacuata ad ſpiritualia moueri poteſt cum periculo. *Io. e Salic.*

Vrinas etiam prouocabimus breuibus diuretic. ut decocto apii petroſel. aſparag. ſem. mel. & citri, & ſimilium, de quibus ſuis in locis; quibus vtiliter miſcetur acetoſ. s. vel ſyrupus de acetoſ. citri, vel aliud ſimile peſti reſiſtens, maxime iſta valent poſt purgationes, quando humida eſt tempeſtas, & humoribus ſcatent corpora; ob id 3. epidem. inquit Hippocr. quod *hi* maxime ſeruabantur, quibus ad ſtranguriam diuerteretur, dentur ergo præcipue, quando natura ſolet per eam viam purgare, vel quando imbecilliter per eam mouetur.

Ne-

Neque erit inconueniens Pauli, Aetij, & Orib. teſtimonio, vt etiam ſupra dixi per ſudores corpus exſiccare, in his præſertim, qui per ſudorem ſoliti ſunt euacuari, & quorum vniuerſum corpus humiditatibus eſt refertum; eoque magis ſi ſuſpitio aliqua Gallici morbi adfuerit, quo multi ſunt, qui nunc laborant; in quibus plus commodi expectandum eſt a tali præſidio, quam periculi ex pororum apertione; eoq; magis, quia ſudor in aere rectificato prouocari poteſt; & poſt ſudorem poſſunt corpora retineri in loco conuenienti; donec peractum ſit tempus, quo ſumi ſolet tale præſidium; quod ad 20. vel 30. dies prorogari poteſt; plus minus ſecundum abundantiam humorum.

Detur ergo pro hac intentione decoctio guaiaci, vel ſalſæ, vel rad. chinæ parata, vt ſuis locis dictum eſt.

Decoct. ſaſafras multum laudant tempor. frigid. vel ſaltem medijs in corpor. frig. & humidis, quæ ſic pararem.

Recipe ſaſafraſ. vnc. i. ſem. uel corticum citri drac. i. infundantur s. artem in lib. 10. aquæ. s. vel acetoſæ, aut alter. cord. ſpatio 24. hor. poſtea bulliant, donec tertia pars ſit abſumpta. Cuius c. vnc. vj. ſingulo mane per quatuor horas ante prandium, & ſi vis fortius medicamentum bulliat ad med. vel ad duarum tertiarum conſumpt.

Secunda decoctio pro potu fiat, ex eodem ſaſafraſ. in duodecim libr. aquæ, donec tertia pars ſit abſumpta in fine addendo paſſul. vnc. s.

Poteſt dum ſumit decoctum dictum, vti dieta conuenienti, vt cum ſumit decoctum guaiaci.

Sunt qui parant aquam cũ drac. ij. ſaſafraſ. bulliant in lib. 12. aquæ, qua pro lymphando vino vtuntur etiam ſine alia aſſumpt. cum ſudore exſiccat, & ſtomachum corroborat.

Si quis vti voluerit leuioribus ad euocandum ſudorem vtatur hordei, & rad. fenic. d. vel petroſel. & caricarum decoctione cum modico vini albi; & poſſunt ſem. citri, addi in decoct. vel cum antidoto aliqua dari pero, quæ ſudorem etiam moneat.

Antidotus ſudorifera, q̃ maxime probo, quia peſti ẽt reſiſtit eſt, quæ ſequitur. Recipe confectionis de hiacintho, theriacæ magnæ an. drac. j. pulueris ſcordij drac. s. decoct. ſcordij,

aut carlinæ q.ſ. miſce f.p. vel Recipe rad. angel.drac.s.theria. drac.j.detur, & ab ea bibatur aqua deſtil.angelicæ ualet: & ſcabioſæ ſuccus ad.vnc.iiij.potatus cum drac.j.theriacæ,de quib. infra.

Valent etiam aquæ theriacales, de quibus ſemel in ſeptima na pro ſudore prouocando,quod eſt conueniens auxilium, vt infra valet illud decepa,de quo infra. Sudores vero per ſtufas reprobati antea ſunt.

Cap. XLIIII.

EXSICCABVNTVR etiam corpora referta plurimis excrementis continuo emiſſario, quod corpus continue purget, quo potiſſimum indigent, quod aliqua membra male affecta ita habent,vt eorum affectiones nō poſſint curari, vnde continue excrementa generant,fiunt ergo cauteria, vel in brachijs, vel in cruribus, vel alio in loco ſolito,ſecundum .ſ. membrum affectum; quæ continue purgando corpus exſiccant;neque timeas ingreſſum aeris peſtilentis,vt dixere aliqui, nam præter eas rationes poſſunt tegi non hederæ tantum folijs,ſed & corio bene olenti,& lamina ex ſubtili metallo,vel argento facta.

Si membrum aliquod etiam particulare adfuerit humidius, poterit exſiccari remediis ſuis in locis dictis, quibus quæ peſti aduerſentur miſcere poſſumus.

Vnde ad exſiccandum caput non extrinſecis modo vtimur, ſed maſticatoriis c.de dolore cap.dictis,quibus ſemina vel cortices citri,rad.angelicæ, & tormentillæ miſcere poſſumus, ad hoc valere multum creditur ſaſafras maſticatum,& ore retentum,idemque prædicant de lapide Bezaar vocato;quę ſeruiant pro exemplo.

Verum quia quæ toto ſui genere ſunt præternaturam,tum alterantur,tum euacuantur,& alteratio fit per contraria, quæ vel tota ſubſtantia aduerſantur,vel altera, vel vtraque qualitate,euacuatio autem per ea, quæ vim habeant attrahendi age iam poſtquam de euacuatione,& de alteratione per qualitates contrarias facta diximus,de his etiam dicamus, quæ non manifeſtis

nifeſtis tantum qualitatib. alterant,ſed etiam a tota ſubſtantia peſti aduerſantur.

Cap. XLV.

SVNT autem hæc remedia,quæ antidota vocantur;quæ & corpus exſiccant, & tranſpirabile reddunt,& membra principalia contra peſtem,& omnia vitia muniunt, & aeri peſtilenti,& aquis vitioſis,& omnibus ſeminariis contagionum a tota ſubſtantia reſiſtunt;quæ vel hæc omnia faciunt,vel eorum partem;prius autem,quam ad vlteriora progrediamur iuxta Galeni decretum, *3.de Stric. 20.* quæ perperam a quibuſdam medicis, fiunt,& dicuntur,redarguamus,poſtea vero quæ recte ſe habent doceamus.

Sunt ergo qui negant theriacam,& mitridatum,& alia huiuſcemodi licet venena deſtruant, non tamen peſtilentibus morbis ſubuenire; quod falſum eſſe, vel ex hoc conſtat, quia cum plurimas habeant facultates huiuſmodi antidota, ſi non vna,altera ſaltem ſubuenire poſſunt.

Præterea ea nos a peſte,& præſeruare, & morbos peſtilentes curare conſtat ex ſimplicibus ingredietib. in eorum compoſitione, compoſitorum enim medicamentorum virtus ſimplicium vires comitatur, inquit Galenus primo de Antidotis exigua quadam,in ipſa componendi ratione differentia ob ueniente, præſtantiſſimaque fiunt ob eorum, quæ ingrediuntur,compoſitionem,& ob virtutis inter ſe proportionem;modo ingrediuntur in iſtis antidotis,quæ aduerſus venena,& uiperarum morbus ex omniu conſenſu conueniunt , multa quæ a Gal. contra peſtem , ſi quid aliud commendantur,puta bolu-ſarm.terra ſigillata,ita ut prognoſtica antidotus ab ipſo uocata hæc ſola,& grana iuniperi ſuſcipiat;quæ tamen contra peſtem plurimum ab eo commendantur lib.de Simpl.med.fac.ideo dicebat Galenus in principio libri de antidotis aliqua antidota, ut eſt theriaca promittere nos ſecuros reddere,ne dum a lætalium medicamentorum noxa,& ferarum uirulentarum,ſed ēt ab affectibus,a prauo uictu obortis. qui autem ſint iſti morbi a prauo uictu orti ex dictis conſtat, & ab eodem lib. de Cibis

bo-

boni,& mali ſucci,& potiſſimum ſunt peſtilentes ipſi;hinc ipſe lib.de Antidotis dicebat de Theriaca.

Peſtiferamque luem curat,quæ tempus in omne
Spiratu grauis eſt, intima conficiens,

ſunt Nicandri uerſus ab ipſo comprobati, ut uel ex hoc conſtet non theriacam modo præſeruare nos a peſte,ſed etiam peſtem ipſam curare.

Eodem lib.de antidotis quem nullus negare poteſt eſſe Galé ipſius,inquit antidota eſſe in triplici differentia, nam uel contra lætalia medicamenta, uel contra uirulentos morſus, vel contra morbos ex malo victu: ergo ſub aliquo horum dictorum, antidota, quæ aduerſantur peſti contineri eſt neceſſe: dari autem antidota contra peſtem nulli eſt dubium, ſi eorum, quæ antea diximus memores fuerimus; a tota enim ſubſtantia nos oppugnat, & quæ nos a tota ſubſtantia lædunt remediis a tota ſubſtantia auferre oportet, talia autem ſunt antidota.

7.de Com. med.5.l.5. Si ergo in dictis non continerentur antidota mancus eſſet Galenus.

Idem Galenus medicamenta deſcribit, quæ inquit non ſolum omnibus uenenis, ſed etiam cuilibet materiæ uenenoſæ, & corruptoriam uim habenti ſunt conuenientia, quæ tamen non alia recipiunt medicamenta,quam quæ etiam uenenis reſiſtere creduntur.

Author.li.præterea de ther.ad piſonem,& alterius ad Pamphyl.& Auicenna,& Raby moſes theriacam, & mithridatum laudant in præſeruatione,& curatione peſtis. Cui ſententiæ fauet Aretæus etiam uir in re medica inſignis. *I.Cur.di4*

Adde ex Actuar.6.ſuæ meth. 11.& Dioſcorides lib. .in præfatione, quod cum antidota ex aromatibus, & antidotis conſtent,ut plurimum,hæc autem natura,& facultate ægre mutationem ſentiant,in illa læthifera non uincuntur,neque immutantur,ſed ex aduerſo ipſam oppugnare ſolent.

Ex his quidem ſatis conſtare arbitror theriacam mithridatum,& alia huiuſmodi antidota, ne dum uenenis, & animalium uenenatorum morſibus,ſed peſti etiam aduerſari,non ſolum ob alias rationes iam dictas,ſed etiam,quia a tota ſubſtantia,& illam curant,& nos ab ea præſeruant. *I. de Fracturis I.*

Et quoniam quæ ab aliis captioſe fuere reprehenſa , quandoque defendere licet. a nobis pręſertim,qui antiquorum authoritatem defendere profitemur;ideo perquiramus breuiter an antidota calida(talia autem ſunt maiori ex parte) peſtilentibus morbis conueniunt , cum quibus adeſt febris,nam ſi nulla febris,intemperieſue calidior nos impediat, non eſt qui neget ea conuenire.

Profecto ſi eadem remedia, & febri, & putredini conuenirent,& ſeminariis peſtis,& poſſemus frigidis, & humidis, uel ſaltem frigidis,& ſiccis, hæc omnia curare optimum eſſet.

Si antidota inueniuntur,quę frigida,& humida ſint,uel frigida,& ſicca,& ſeminaria peſtis auferant, aliis omiſſis quæ calefaciendo iuuant,iſtis uti debemus. *11. Meth. 9. & 1. ad Glauc. 14.*

Sin minus liceat nobis, & febri, & peſtilentibus ſeminariis reſiſtere,altero non neglecto,ſed ei,quod magis urget reſiſtendo,uel etiam illi ſoli quando periculum eſt in mora,ut de mente Galeni diximus.

Ego certe inuenio probatiſſimos authores dicere,quod antidota bezaartica, in quibus caliditas prædominatur ſunt utiliora aliis:ob id ut eorum caliditatem emendarent frigida illis promiſcuerunt,neq; inconuenit ubi cor laborat medicamenta non ſpoliari calidis,ut cũ de affectibus cordis agemus cõſtabit. *Nic. Flor. c. de Carb.*

Ac ne diſcedamus a Galeno ipſe ſecundo de antidotis, zopirum antidotum,calidam ſane,ut quilibet poteſt uidere febrientibus,cum mulſa propinat,non febrientibus cum uino;idem Galenus non ueretur amara dare in uiru animalium , imo quæ uirulentis beſtiis conueniunt amara eſſe dixit, tamen & uirus, & amara,calida ſunt.

Videmus Hippocra.ut ſupra notum fuit,igne ipſo peſtis ſeminaria extinxiſſe, ex eo habemus quæ medicamento non curantur, ferro eſſe curanda , quæ ferro non curantur, igne nos curare debere,quæ igne non curantur eſſe immedicabilia ; liceat extremis morbis, extrema adhibere remedia.

Ex his ni fallor crediderim, non abſque ratione poſſe nos uti calidioribus antidotis in febre peſtilenti admiſcendo tamen refrigerantia ; ut ſic minus calori febrili noceant , non tamen ea eſſe omnino a calidis explicanda , quia ſic ea reddunt pauci iuuamenti,inquit Io.e Saliceto. *Tract. de Peſte c. 12.*

Pro-

Propterea mihi uiſum fuit antidota, & frigida, & calida, & media inter iſta deſcribere, quo ad arbitrium; quis ea eligere poſſit. Selegi aũt ea a probatiſſimis uiris, inſerens nonnulla, quę ipſe expertus ſum; multa omittens a nonnullis eleganti oratione deſcripta inuſitata prorſus, contra doctrinam Galeni, qui antiquorum remediis fuit contentus, noua aliqua minime auſus tentare, niſi prius longo experimẽto ea comprobata eſſent. Noli inquit Nicolus ire o medice poſt medicinas nouellas, quia ſolent parare nouitates. Sicuti enim uerum eſt, quod nihil eſt deſpiciendum, ita non eſt inopportune, & inconſiderate aſſentiendum, inquit Galenus, idem Galenus primo de Antidotis nos admonuit, non eaſdem uires obtinere antidotum, & poſt noxia medicamenta, & ante ea aſſumptam, nam magnitudo ipſarum, quæ ſufficit, ut hominem illæſum cuſtodiat, eadem quadruplo, aut quintuplo aucta, cum poſtea datur, adiuuat, idque non ſemel quotidie, ſed bis; augetur autem doſis, uel diminuitur pro anni tempore, regione, temperamento, & aliis dictis lib. de theriaca ad piſonem.

Tract.1. Sum.1.ſer. 2.cap.5.6. epid.2.25.

Hæc quęſo conſiderent, qui calida quidem in febribus peſtilentibus antidota concedunt, uerum in pauca doſi. Contemperanda quidem frigidis, ut dixi, ſed non diminuenda quantitas; imo danda ut Galenus docet.

Cap. XLVI.

IAM ergo ad antidota deueniamus, a ſimplicioribus exorſi. Inter quas primum locum ſibi uendicat lapis Bezaar uocatus, ſi adulteratus non fuerit hunc Raſ. & Ser. uoluerunt reſiſtere ſua uirtute, ſiue per os ſumatur, ſiue collo ſuſpẽdatur, ſiue ore contineatur, ſiue aqua in qua infuſus fuerit propinetur, omnibus uenenis tam calidis, quam frigidis, & cunctis uulneribus, & morſibus uenenatorum.

Manardus de eo periculum feciſſe dixit in peſte Germaniæ; a qua curabantur, & præſeruabantur, qui illo utebantur, cæteri minime, idem malignitatem omnium aliarum feb. eundem lapidem extinguere proteſtatur.

Doſis

Doſis eſt ſecundum opinionem omnium, a gr. vi. uſque ad 12. ego 24. grana dedi ſæpius, uel cum uino renenſi, ſimiliue diluto, cum aqua roſ. vel ſcorzoneræ, vel florum arantij, aut citri, vel acetoſæ, vel borag. vel ſimili; & ſi acutior erat febris abſque vino, cum ſolis aquis dictis, vel etiam cum momento aceti albi, vel cum aqua decocta cum citro in fruſta diſſecto; in qua ſoleo infuſum tenere cornu vnicornu, & ſic ea vti.

Valeſius non multum videtur tribuere huic lapidi, re vera ſi adulteratus non eſt, & modo antedicto datus fuerit, iuuat a tota ſubſtantia, & etiam ſudorē copioſum mouendo, vt etiam ego ipſe expertus ſum; licet ne mētiri videar, ſi tantum a mihi obſeruatis, alijs lapidem hunc commendare conor, ſatius eſſe duxi authores fide digniores, & ex omnium conſenſu diſcernendi peritiſſimos pro teſtibus adducere. *4. Met. 2.*

Hoc dictis addo, quod Monardes illum dabat cum vnicornu pulverizato; Raby Moſes, cum ſem. citri; ego cum ſmeragdo, or. margaritiſq; miſceo ipſum, & propino modo antedicto.

Bolus armena a Galeno anteponitur omnibus alijs medicamentis in curanda peſte, ita vt dixerit, eos qui ex eius vſu non ſanabantur, fuiſſe inſanabiles, perſanabantur autem, cum eo multi. propinandum eum cenſet, ex vino albo conſiſtentia tenui modice diluto, ſi inquit, aut febri plane careat æger, aut leuiter ea teneatur, ſin grauius febriat admodum aqueo. *9. de Simp. med. fac.*

Alij a drac. j. vſque ad drac. ij. eius propinant cum vnc. vj. vini albi, permixti cum vnc. ij. aquæ roſarum.

Alij in lapide porfireo ipſum lęuigant, cum aqua roſarum, & de eo ſic læuigato dant, cum omnibus medicinis, & cibis ægrotantibus conceſſis, parum quid.

Alij terunt ipſum ſubtiliſſime, tritum in uino infundunt, aqua roſarum, vel acetoſæ mixto, ita vt ab ipſis cooperiatur, & poſt aliquas horas ipſum extrahunt a dicta aqua, & poſtea ex ſiccant, & in ſubtiliſſimum puluerem redigunt, terque ſic repetunt, de quo ſic præparato; propinant modo ſupradicto a ſcrup. j. ad ſcrup. ij. Galenus hoc modo terram lemniam æſtiuo tempore, in Sole pluribus vicibus ex aceto, vel vino planè giluo ſubſtantia perlucido quale eſt falernum, vel aliud ſimile, ſic eius medicamentum parari dicebat; certe ſi verus habetur, vtile erit medicamentum, nec ſolum, quia exſiccat, ſed a tota ſub- *4. de Cōp. m. ſ. g. circa principium.*

ſtantia,ſpecificaue forma operatur, alioqui cur ab hoc ſolo me dicamento exſiccante,a peſtilentia illa Galeni ſeruati,& curati fuiſſent homines?

Sunt qui ſic parant medicamentum ex bolo arm.Recipe bo li arm.loti modo ſupradicto vnc.s.rad.tormentillæ drac.ij.rad. angelicæ drac. j. ſacchari ad pondus omniũ f. p. ex quo poteſt fieri opiata,poſſunt formari pilulæ,poſſunt formari tabellæ,po teſt etiam dari cum zuccharo roſ.vel aceroſ.citri.

Sunt qui eum deſtillant cum ſucco limonum, & aceto. Sed talē medicamentum vim adurendi habet,quare tu ab eo abſtineto,acetum enim,& ſuccus limonum, ſi deſtillentur,vim calefaciendi intenſam ſortiuntur.

Eſt etiam terra ſigillata, quæ nedum prodeſt,emplaſtica ſua ui,claudendo vias veneno, & ſua ſiccitate, & frigiditate, ſed curat etiam peſtem a tota ſubſtantia meo iuditio, de qua Gal. loco dicto; hanc credunt eam eſſe, quæ boluſarm.in officinis dicitur.Datur quemadmodum de bolo arm. dixi.

Ex ea poteſt parari antidotus prognoſtica Democratis,2.de Antidotis a Galeno tribus in locis deſcripta,vt vel ex hac terna repetitione nobis manifeſtum eſſe poſſit, quantum illi fidebant antiqui; ad venena hanc antidotum ego etiam ſcio experientia, multum prodeſſe, & apud me pro maximo ſecreto habetur.

Recipe terræ lemniæ drac.j.& ſcrup.j. ſiue ob. 2. baccarum iuniperi drac.ij.contunde,& leuiga affundens olei boni,dulcis modicum,exhibe ad magnitud.nucis auellanæ cum vnc.ij. me licrati.

Si quis inquit Galenus ante venenum ſumpſerit antidotum euomet ſtatim,vna cum cibis,quidquid venenatum aſſumpſerit;qui vero dubitat,neque certo ſit ſe aliquid comediſſe venenati,ſi hanc antidotum poſtea ſuperbibat euomet, cum cibo, quicquid erat venenati, quod ſi nihil veneni comederit, ne nauſeam quidem incurret,nedum vomitum habebit,imo retinebit optime cibos quos comederat. Vtilis eſt etiam ad dolores laterum dorſi, & veſicæ, & renum, cohibet ſanguinem fluentem,vndecumque erumpat etiam ex pulmone. Sed tunc cum oxymele bene cocto datur. De hac antidoto ſidem Galenus l.9.de Simpl.med.fac. meminit,& diaiuniperi vocat.

Ego

Ego vtor in venenis modo ſupradicto in peſtilentib. morbis; exhibeo puluerem cum aqua roſarum, & aceto, vel aliqua cord. ex ſupradictis, vel uino diluto, ut ſupra.

Ex terra ſigill. & boloarm. paratur antidotus, hoc modo. Recipe terræ ſigill. boliarm. ueri lotorum, modo dicto an. dr. ij. vel boli dr. ij. terræ ſ. drac. j. rad. tormentillæ, angelicæ, ſem. citri fol. ſcordii an. drac. s. carlinæ, dictami albi, ſem. acetoſæ cũ ſcr. ij. ſem. coriand. præpar. drac. ij. margarit. uel ſpecierũ diamarg. drac. s. zucchari ad pondus omnium, poteſt admiſceri Bezar, & unicornu, datur modo antedicto.

Laudatur maxime vnicornu, monocerũta, cuius alias uidi in Hiſpania, & cornu ceruinum; eorum limatura datur a ſcrup. j. ad drac. i. modo ſupradicto, uel infunduntur in uino, uel aqua aliqua cord & poſtea detur aqua, uel uinum, & credunt etiam lumbricos interficere, uel cremantur, puluerizantur, & exhibentur.

Hiacinthus adeo laudatur, vt dixerint lætitiam conciliare etiam ore detentum; ſicuti & granatus, ob id cordiales eſſe creduntur.

Smeragdus cerebro, Saphyrus hepati, coralus uentriculo, amica ſunt topatius aduerſus venena etiã theriacæ præfertur.

Agates, & margaritas peſti præcipue aduerſari aiunt, & rubinum, & carbunculum; quæ uel in annulis gerantur, uel ore tenentur, aut ſuguntur, aut e regione cordis appenduntur, aut medicamentis cibisue in puluerem reductæ miſcentur, uel ex eorum puluere fit antidotus, & datur cum aquis dictis, uel cũ aliqua conſerua, & dicto puluere ſ. opiata, uel parantur morſuli ex puluere dicto, & zuccharo cum aqua roſarum, vel aliqua ex dictis diſſol.

Confectio de hiacintho ſic paratur. Recipe hiacinthorum elect. vnc. s. boliarm. terræ ſigillatæ, lotarum, ut ſupra, tormentillæ, carlinæ, been albi, & rub. ſquinanti an. drac. ii. nucleorum nucis iuglandis non rancidorum, troc. de camphora an. dr. i. s. granorum tinctorum, croci, gentianæ, mirrhæ, roſarum rub. omnium ſandal. ſem. iuniperi, raſuræ, eboris, cornu cerui uſti an. dr. i. oſſis de corde cerui num. 2. ſem. citri, mundatorum, & acetoſæ, ſe. bombacis, portulacæ an. dr. s. ſaphyrorum, ſmerag. ſerici crudi an. ſcr. ii. ſem. rutæ ſantonici an. ſcr. i. ambræ griſæ

ſcr.ii.muſci or. ſcr.iiii. panniculorum auri, & argenti an. num. 12. cum ſyrupo aceroſ. citri f. confectio liquida, ſeu ad modum opiatæ, eſt enim efficacior, quam ſi in tabulis paretur.

Ego huiuſmodi gemmis cum Bezaar boloarm. & terra ſigillata exhibeo, ut antea dixi.

Laudatur acetoſa a Græcis oxalis dicta. Cuius 9. folia ieiunis dantur, uel puluis eorum exſiccatorum, uel ſeminis eius, uel datur eius decoctio, uel ſuccus, uel aqua deſtill. maxime ad b.m. uel ex his fit ſyrupus de more, putredini arcendæ maxime idoneus, Montag. inquit, quod ſi ſucci huius acetoſæ unc. iii. cum drac. i. aquæ roſ. detur quolibet mane, quod & pro præſeruatione, & pro curatione ualet. Antidotũ aliqui ſic ex ea parant. Recipe puluer. acetoſæ, & ſem. citri an. ſcr. i. rad. tormentillæ, & angelicæ an. drac. s. cum uino, & aqua roſ. propinatur modo antedicto.

Ruta domeſtica etiam laudatur, unde Gal. memoriæ, inquit proditum eſt, ſi nuces regias cum caricis, & ruta, & momento ſalis, ante alios cibos, quis ſumpſerit a pharmacis læthalibus nihil magnopere læſum iri, & lib. de Antid. hanc antidotum ſic deſcribit fol. rutæ numero 20. nuces iuglandes 2. glebulæ ſal. 1. caricæ duæ, hæc comedenda ieiuno exhibe. prohibent enim nocumenta uenenorum. Sunt qui affirmant ſe hac cõpoſitione, & mithridato felici cũ ſucceſſu in peſte uſos.

2. de Alim. fac. cap. de Nucibus. Razes li. 3 cap. 10.

Arabum autem compoſitio eſt ſequens. Rutæ ſiccæ partes 20. nucum partes 2. ſalis partes 5. ficuum ſiccarum partes 5.

Ego doſim ingredientium huius antid. non multum curo, ſiquidem id etiam neglexit ferè Gal. 2 de Alim. ego crediderim guſtui ægrotantis eſſe accomodandam.

Alii nucis dimidium, Rutæ fol. 5. ſalis gr. i. ſiue exiguum exhibent.

Alii nucleos nucis indunt in caricas diſſectas per medium, cum fol. 5. rutæ, & ſalis gr. i. poſtea leuiter omnia ad ignem torrent, & uino aſperſa deuoranda tradunt: ſunt qui temporibus calidis bolũ arm. addunt, & cum acetoſæ. s. parant antidotum.

Sem. citri mundi ab omnibus laudatur, Motang. ex eius puluere, cum ſucco acetoſæ orbiculos cõponit pro curatione, & præſeruatione; laudantur, & flores eius, & cortex, & totum citri; quo decoct. pro potu cum zuccaro laudabilem ſoleo

para-

paratre;pariter & limonum,& aranc.ſem.cortex, & flores, ex quibus paratur aqua admodum cord.& peſti reſiſtens.

Radix angelicæ,quæ exhibetur eo modo,quo acetoſæ exhibetur, vel etiam cum zucharo conſeruatur optima eſt, & ea vtuntur loco rad.turri,quæ iam a memoria hominum excidit.

Recipe rad.angelicæ drac.s.theriacæ drac.j. miſce, & exhibeatur,& ſtatim angelicæ aqua deſtill. bibatur ad euocandum ſudorem.

Meliſſa,borag.bugloſa, & eius flores ab omnibus laudãtur, & dari poſſunt cum acetoſa.

Scordium ſummopere extollitur;ita ut dixerit Galenus,cadauera ſuper eo inuenta incorrupta permanſiſſe, ex quo notum eſt,quod ut ſupra dixi, quæ veneno reluctantur a corruptione,& a peſte defendunt;exhibetur,ut acetoſa,vel ex eo paratur antidotus,quæ ſic ſe habet Diaſcordion dicitur.Recipe cinam.caſiæl.an.vnc.s.ſcordij vnc.j.dictami cretenſis, tormentillarum, biſtorte an. vnc. s. galbani, gumi an. vnc. s. apij dr. i.s.ſtoracis drac.iiij.s.acetoſæ drac.j.s.gentianæ vnc. s. boliarm. cr.vnc.i.s.terræ ſigillatæ vnc.s.piperis l.zinzib.an. drac.ii.mellis albi,deſpu. lib. 2 vini arom.lib.s.zucchari roſ.li.i.miſce,vel ſcrup.ii.pulueris ſcordii cum drac.ii.zucchari roſ. miſce,exhibe,& ſuperbibendum exhibeto ſi lubet aquam roſ. cum vino albo. *L.de Ant. 1.*

Ex boloarme. terra ſigillata, lapid.Bezaar,vnicornu, hiacintho,tormentilla,angelica,ſem.citri,& rutæ,& acetoſæ,carlina, & carduo ſancto, cum ſcordio pararem antidotum nulli ſecundum.

Scabioſæ ſuccus an.vnc.iiii.cum drac.i. theriacæ ad euocandum ſudorem laudatur in peſte.

Laudatur cruciata utraque, quouis modo ſumpta, & carduus benedictus,& galega,ſiue ruta ſyueſtris, uel eius ſuccus, veronicæ drac.ii. cum drac.i. theriacæ, & vino meraco epota laudatur vinetoxicæ radix ad drac.ii.pondus, cũ uino epota, & rad.tuſillaginis maioris,eodem modo. Succuſſæ ſeu morſus diaboli radicis dilutum ex uino epotum; & ipſa recens ſuper carbunculos poſita laudatur, nam eos enecat.

Laudatur ariſtol.rot.dictami albi,rad.& imperatoriæ,Abrotonum laudatur:& hæc omnia,vel epota, uel alio modo ſumpta

pta iuuare creduntur,& zedoaria præcipue commanſa,& chamedrio in acetariis ſumptus a ieiuno, & pimpinella, & ſanguiſorba,pimpinellæ etiam ſpecies,vel earum ſuccus;plurimũ decoctum, & odoratum peſti reſiſtere creditur, & calaminta intus,& foris admota.

Laudatur conſerua gariophyllorum,vulgarium,nempe florum eorum, vel eorum ſuccus, expreſſus, & epotus, vel aceto ex floribus in eo inſolatis paratum.

Laudatur conſerua roriſmarini.

Taxo, barbaſſo, ſiue verbaſco magna uis ineſſe creditur, quia cum muſtella pugnat cum ſerpente, illico, vt uirus eius ſentit verbaſcum querit, & eo ueſcitur, unde ſtatim pugnam reſtaurat;& certo,ut aiunt experimento ſuccus a fol. eius expreſſus, & cum vino odorifero, ſumptus præſeruat a peſtil.& etiam curat.

Aqua expapauere Ræhade deſtillata ſumme commedatur a fraxini cortice interiore,aqua deſtillata cuius vnc.iii. cũ vnc. iii. albi vini bibuntur contra peſtem; qui potus iterum poſt tres horas repetitur, quo remedio termino 24. horarum peſte affectum liberari aiunt aqua per deſtillationem,ex nucibus iugland. circa feſtum Sancti Iouannis parata, ad pondus ii.uel trium vnciarum bibita refrigerat,& peſti reſiſtit,& foris impoſita vulneribus, & ulceribus calidis, & antraci peſtilenti prodeſt.

Cap.

Cap. XLVII.

HORVM ſiluam hic tranſcribere uolui, quia inter cætera a multis prædicta laudãtur; leigat, quæ quilibet uoluerit; licet enim ex multis pauca ſeligere, ut etiam dixi, cum de morborum ſporadum generali curatione tractaui, nunc ad compoſita accedo, licet enim aliqua iam dicta ſint iſtius modi tamen pauca ſunt, & prout cõſequentia quadam ſermonis ſimplicium ſemo ad eas nos produxit.

Inter omnes compoſitas antidotos, primum locum tenet theriaca, & mithridatum, quæ non cedit theriacæ niſi in venenis a uipera illius, quibus magis theriaca confert, inquit Gal. quod etiam confirmat Aret. vt ſupra dixi quantitas, quæ datur harum antid. diuerſa eſt pro anni tempore regione, temperam. & aliis a Gal. dictis l. de Ther. ad Pyſ. *In princ. li. de Antid. Aret. 1. curat. diut. 4. De Ther. ad Pyſ.*

Vſus fere eſt hoc tempore pro præſeruatione a ſcrup. i. ad drac. i. ſolam dare, uel cum dictis aquis cord. frigid. & ſi calida eſt regio, anni tempus, complexio, & alia huiuſmodi; nec deſunt, quod quando volunt eius caliditatem reprimere; quam tamen non excedere ſecundum gradum eſt certum, exhibent ipſam, cum conſerua, vel aquis roſarum, uel uiolarum, uel nimpheæ, uel borag. aut bugloſſæ prout plus, uel minus eã emẽdare uolunt, & prout hanc, uel illam magis expetit patiens, frig. complex. & temp. & reg. cum uino odorifero propinandam cenſent.

Datur ieiunis ſex horis ante cibum ex mente Galeni, uel ſaltem ſpatio 4. horarum, ueriſimile eſt enim hoc tempores uires ſuas per corpus diſtribuiſſe.

Sunt tamen qui ſuadent tempore peſtilenti, quo minima mora etiam ſuſpecta uidetur, etiam pleno ſtomacho, dare ad curandam peſtem maiorem utilitatem conſequuturos nos affirmando, reſiſtendo peſti, quam damnum, quod ex mixtione eius, cum cibo fieri poteſt, quod tamen non laudo: aliam ſecuriorem mithridatum potius tali caſu daturus, ut Bezaar cum conſerua citri.

Not.

Not.quod ſi quo die theriaca, aut mithridatum ſumitur, quod minor quantitas ſufficit,ut ſcr. i.

Sunt qui ex illis ſimul mixtis antidotum parant, ut Recipe mitrid.drac.ii.theriacæ drac.viii. ſem.citri,boliarm.an. drac.s. incorporantur,cum aqua roſ. muſcata Recipe drac.i.omni die inquiunt.

Auicenna uidetur eſſe contentus theriaca, uel mithridato, uel medicina Rufi.

Sunt & aquæ theriacales deſtillatæ,quæ uirtutem theriacæ, & aliarum antidot.a quibus eliciuntur obtinent, & facillime ab ægrotantibus ſumuntur prompteque, ac facile permeant per corpus,citoque ſuccurrunt; quarum deſcriptionem prætermittere nolui;præſertim, quia a fide dignis habui ſe in peſtil.etiam feb.nedum in præſeruatione per ſudorem uidiſſe ab eis multos fuiſſe liberatos,& qui illis non utebantur,quod omnes moriebantur,& quod multi cum his curabantur, & infiniti præſeruabantur,in Bizantinorum urbe Turcarum principales illis plurimum coluntur.

In curatione poſſunt miſceri, cum aquis frigidis deſtill. ut antea adnotaui, in præſeruatione ſolæ poſſunt ſumi, ſemel cum ſyrupo, ſi in quantitate ſumantur, ſin minus pauca quantitas quotidie ſumi poteſt.

Inquiunt autem poſt aſſumptionem iſtarum aquarum per ſeptem, & etiam octo horas ſudorem eſſe expectandum, & perferendum fortiter plus temporis.Lemnius, ut infra dicam a quatuor ad ſex horas tantum ſudorem expectare, uult ęgrotantes fol.152 .interim pro ſe danda ſiti, quæ ſolet uehementer infeſtare ægrotis dat aliquod iuleb.refrig. uel acidum citri conditum,uel acetoſ.s.uel ſyrupum de acetoſ.citri,aut de limonibus,uel de ſucco acetoſ.cum aquis refr.cord. uel manuſchriſti perlatũ,aut confectione,aliam cord.dant a quib.propinant dictas aquas:ſunt qui aquam carnis deſtillatam,cum refrig. dictis mixtam propinant,de qua iam dictum eſt, uel aliqua alia iura reſtaurantia propinant.

Interim etiam cordi poſt ſudoris abſterſionem aliqua refr. epithemata.Caue tamen ne ſudorem reprimas: deſcriptio autem ther. aquæ ſic ſe habet.

Recipe radicum herbæ tumici,uel angelicæ,dictami albi,& tor-

tormentillæ recentium,& pimpinellæ,ſcordei,cardui benedicti an.lib.s.rad.enulæ,camphoræ vnc.iiij.ſcabioſæ, & acetoſæ an.lib.j.ſem citri,& acetoſæ an.vnc.ii.borag.bugloſſę,cum rad. & floribus roſ.rub.campeſtrium an.lib.j.ſucci acetoſ. citri, vel limonum,vel aranciorum,aut granatorum, vel in horum defectu agreſtæ,vel aceti,a quo tamen ego abſtinerē,nam vt dixi exurens redditur per deſtillationem, aquæ vitæ ex optimo vino, pluries deſtillatæ vnc. ij. theriacæ electæ vnc. vj. boliarm.terræ ſigillatæ præparatæ vt ſupra an. vnc.ij. margaritarum bonarum,been albi, & rub. ſandal. alb. & rub. ſpodii an. vnc.s.raſuræ eboris,oſſis,e corde cerui an.vnc.s.croci drac.iij. camphoræ drac.ii.auri fol.puri vnc.s.

Primo folia auri minutim incide, cum forfice, vel ea cum melle ſuper lapidem pulitum ducito donec in puluerē ſubtiliſſimam reducantur,quæ ſic comminuta,pone in ampulla, infundendo ſuper eam aquam vitæ,dimittendo ſic per 15.dies, & bene ſit clauſum & obturatum orificium ampullæ.

Secundo, pone perlas ſubtiliſſime tritas in alia ampulla ſimul cum ſucco citri, vel limonum, vel granatorum, vel aceto, dimittendo 15.dies cum orificio, vt ſupra clauſo.

Tertio lauato radices omnes,cum vino aromatico, ita vt a terra bene mundentur,quas ſiccatas in umbra conquaſſabis in mortario.

Quarto,herbas ſemina,& flores,ſimul in mortario contunde, iſtis paratis mitte omnia in vas terreum vitreatum mundum,& adde reliqua.

Primo .ſ. theriacam deinde aquam vitæ cum fol. auri, & conſequenter perlas, cum ſuccis dictis, & ſugilla poſtea uas ita vt nihil inde ſpirare poſſit; quod ſepelias in terra in loco humido ad profunditatem, trium vel quatuor pedum, & de calce viua in fundo foueæ, fac ſolarium dimidii pedis in cuius medio pone vas cum vinatiis,vel fimo equino, circumdando, & cooperiendo ipſum, deinde ſuperinfunde vnam, aut duas ſitulas aquæ,& ſic ſepulta dimitte per 12.aut 13. dies ſuper fimum,vel vinatias,renouando.ſ.de tribus in tribus,vel de quatuor in quatuor dies.Expleto hoc tempore,extrahe uas,& medicinas omnes repoſitas, pone ad deſtillandum in alembico uitreo,optime ſigillato,ad ignem lentum,ſine fumo; & aquam

quam deſtillando extrahes, iterum proiice ſuper feces, & ſecundo deſtilla, ut prius, & tunc tertio pone dictam aquam ſine fecibus, & denuo deſtilla in balneo mariæ, q̃. deſtillatam in ampulla uitrea, ſerua pro uſu, tãquam rem precioſam, & nobilem ualde, cuius doſis eſt cochlear primum per ſe, uel cum aliis pulueribus confect. aut aquis ſupradictis, ſpiritus multiplicat claroſque facit, & principalia membra corroborat, & diſponit ad reſiſtendum omni cauſæ peſtilenti, atque uenenis mirabiliter, nec mirum, quia dum res ſimul remanent ſepultæ fit in eis quædam fermentatio, per quam & per deſtillationẽ eſt introducta noua forma ſpecifica, per quam ultra impreſſionem primarũ qualitatum opponitur fortiter omni ueneno, & cauſæ peſtilenti eam corrumpendo; & deſtruendo, ut aiunt; Galenus uero medicamenta ſic ſepulta; uoluit fieri magis tenuuium partium, & minus adſtringentia.

1. de Cõp. m.ſ.li.2. p. 463.

Aqua uitæ contra peſtem uſurpata de anno 1547. ita ut ex his, qui eam ſumpſerunt uix decimus perierint, ut referunt.

Recipe margaritas optimas hiacinthum or. matrem perlarum, coral. albos, & rub. an. unc. ii. cornu unicornu unc. i. s. croci, mirrhæ, boli arm. or. terræ ſigillatæ, zedoariæ, ligni al. eboris, mithridati, theriacæ, cinnam. been albi, & rub. cretici, & ſem: citri, an. unc. ii. ſandal. omnium unc. i. s. oſſis, e corde cerui num. 12. granorum, pæoniæ, & granorum iuniperi ana num. 60. conſeruæ bugloſſæ unc. ii. rad. tormentillæ, dictami uulg. rad: inulæ, aſtrãtiæ, chelidonii, libiſtici uulgar. morſ. diaboli, ari, ualerianæ, pimpinellę, an. unc. ii. ſaluiæ, ſcabioſæ, rutæ, mentaſtri pulegii, centaur. min. abſinthii, roſ. alb. & rub. an. m. i. lignorum deſtillatorum, roriſm. gentianæ, meliſſę, betonicæ, roſarum ſilueſtrium, iunci, ſiue citerbitę, cardui bened. hyſſopi, florum borag. plantag. maioris yridis an. unc. v.

Liquores deſtillãdos, ut deus in balneo mariæ miſce cũ optimo uino ueteri, aut quod eſt melius, cum aqua uitæ ſepties deſtillatæ quantit. lib. 4. idque in ualida cucurbita uitrea capace menſurarum, quatuor, quam bene lutatam per quatriduum in balneo mariæ relinques.

Deinde hiacinthos, cardos, margaritas, matrem perlarum in calcem rediges igne urẽdo, & ſuper marmore conteres diligentiſſime, ita ut nulla aſperitas tactui ſe offerat, hunc puluerem

rem in uaſe aliquo impones, & cum aqua roſarum dilutum infundes,& quidquid aſperiuſculum remanet,qui nõ miſcetur, cum aqua iterum teres,& denuo diluas. Cardos quidem tritos liceret per dies 14. in ſuccum elleberorum impoſitos in aquã reſoluere,qui modus melior eſt. Poſt hæc radices mediocriter contundes,& ſimul iuniperi,& pæoniæ grana,herbas uero diſcindes, deinde in ualidam cucurbitam uitream ſex mẽſurarũ capacem immittes,herbas,radices,gẽmas,cum roſacea dilutas & ſuperinfundes aquã uitæ,quæ cum liquoribus ſtillaticiis in 6.m.digeſta eſt, & luto ſapientiæ munitæ cucurbitam immittes in foueam. quã in loco humido excitaris, ut in olla aliqua ſubterrata altitudine duorum cubitorum,longitudine fere, & latitudine cubitorum quatuor,quam fimo equino, & calce replebis,alternæ ſtatorum ſita,ut uocant; ita ut per pedes duos, ſupra foueam emineant,in huius medio cucurbitam relinques per menſem, deinde paulatim remoto fimo, eam auferes, & materiam quam continet deſtillandam in ſex minores cucurbitas deſtribuas,& in balneo mariæ deſtillabis,igne lẽto,ita ut a delapſu unius guttæ ad delapsũ alterius decem unitates ordine numeres; omnino enim cauendum eſt ne iuſto calidius ſit balneum. Peracta deſtillatione feces in ſingulis cucurbitulis relictas rude, ſiue baculo,aliquo mediocriter agitabis, & aquã a ſingulis deſtillatam denuo ſuperinfundes, & iterum deſtillabis igne lento, vt prius.

Hac etiam deſtillatione facta,feces omnes effunde,& liquores in ſex cucurbitulas collectos diſtribue in duas cucurbitas, quarum utraque tres menſuras contineat, & in balneo mariæ leuiter deſtillabis.

Sic habes theſaurum,& mirabile remedium,ut aiunt aduerſus peſtem unc.i.s. ſiue ſemuncia huius liquoris epota, correptos a peſte ſanat modo non ſit captus poſt 24. horas (nam huic nullum eſt remedium) ſtet in lecto mediocriter coopertus in cubiculo, ubi aeri ſit recluſus aditus uentis,ſudorem expectet,qui poſt horam,& mediam ſuperueniet, & ſic per tres horas ſudetur, præſtaret tamen quatuor horas ſudare nullo interim potu admiſſo,& facie ſubinde linteo abſterſa, poſtea paulatim remotis ſtragulis,& abſterſo corpore,& bene quieto hordeaceam ſumat,cum aceto roſ.uel ſimplici, bibat aquam coctã

cum hordeo, liquiritia,& paſſulis; quod ſi a ſudore iterum calorem ſentiet, bibat liquorem deſtillatum ex refrigerantibus, ut acetoſa,& intubo, & epithemo refrigerãs cordi applicetur, & ſi anthrax,uel bubo inter ſudandum, ut ferme fit oboriatur infraſcripto utere. Cæpam in parte aliqua reſcinde, excaua,& in cauum infunde theriacam, tormentillam, & dictamũ, trita ana partes æquales, & credo, quod ſuper cineres calidos, prius ebullire debet, uide infra, per linteum aceto roſ. affuſo exprimito, inde madidum linteolum loco impones, & quoties inaruerit, rurſus madefacies,& impones. Præſeruabitur aũt ſi ſemel in mẽſe huius liquoris unc.s.epota ſudarit; ꝓderit etiam,ſi quotidie unam, aut alteram guttam in ore contineat.

Iſtius aquas laudo,& maxime primam,ſed multo labore, & multo pretio parantur, ideo ſequens paretur minoris laboris, & diſpendii.Recipe boliarm,terræ ſigillatæ præpar. an. unc.ii. rad.angelicæ,dictami,tormentillæ,pimpinellę,gẽtianæ, & rad. herbæ imperialis .ſ.magiſtrantiæ omniũ contuſarum an.unc.i. cardui benedicti, ſcabioſæ an. man. i. Infunde omnia contuſa, & madefacta (credo) cũ uino aromatico in aceto,& aqua uitę an.lib.3.ſtet ſimul per 15.dies in loco calido agitando, quotidie aut bis, ter, & poſtea deſtilla per alembicũ ſemel, aut bis, uel ter,ſi fortiorem uelis.Sin uero debiliore,ea utere poſt primam deſtillationem. Recipe in adultis cum theriaca,aut ſine cochlear j. in nõ adultis ſufficit medietas; deinde prohibe patientem a ſomno per dimidiam noctem, tum dormiat, inquit Io.e Saliceto, ueruntamen tu quid de ſomno, & ſudore ſupra dixerim ſcis.

Io.e Sal.c. 12. tract. de Peſte.

Has aquas,uel alteram earum ſi dederis antequam morbus confirmetur, & uenenum magnam faciat in corde impreſſionem,facere criſim ſalutarem aſſerunt per ſudorem, maxime ſi patiens poterit per multas horas perferre ſudorem ad ſpatiũ, ſcilicet, ſeptem, uel octo, uel plurium horarum reſiſtendo ſit, ac debilitati,ut ſupradictum eſt.

Notandũ etiam, quod ſi ex huiuſmodi potu euacuarentur aquæ,quod ſecundo,& tertio etiam reiterandus earum potus, quia quando euomuntur ſignum eſt, quod uenenoſa materia, multum impreſſit in cor. ſed antequam ſecundo dentur,debet prius os ablui,cum bono uino,uel aceto;& tunc ſtudendum eſt

dare

dare eius continuationem prædictis quatuor diebus ſtomacho ieiuno bis,aut ter, uerum ſi prima uice non euonuerit eas patiēs,confide patientem euaſarum ſi non deliquerit, inquit Sal. *Io. e Sali.*

Si quis timuerit dictarum aquarum caliditatem, quam tamen non eſſe timendam diximus, poterit ſequentibus uti maxime in diſpoſitione calida.Recipe rad. farfaræ, vel eius loco nenuf. & chedidonię an.lib.s·aceti lib.ii:aut iii.bulliant in vaſe dupl.ad med conſumpt.in fine adde boliarm.or. terræ ſigillatæ an.vnc.s.& iterum parum bulliant,poſtea cola,cum expreſſione,& ſi vis magis fortem eſſe, deſtilla,& in vaſe vitreo poſtea repone. Doſis huius eſt deſtill.vnc.s.cum drach.i.theriacæ,alternis,vnc.ii.cum dicta theriaca,meo iudicio.

Aliam ſic parant coquatur chelid.maior,fol.& radices,& rutæ an.dr.iiii.in l. ß. aceti optimi in olla uitreata ſuper prunas, cum operculo,cuius ora luto fuit munita, per ſpatium unius horæ cum dimidia ad tertiæ partis conſumpt. Colatum acetum in phiala uitrea pone, dentur guttæ paucæ ad præſeruandum. Peſte autem correpto cochleate cum theriaca, & iube ægrum ſudare.

Sunt aliqui qui ex aloe,& mitrha,& croco elixi. ſic parant; ponunt ea in pelicano, & in arenam ipſum ponunt per dues menſes,ut leuiſſime aſcēdat, tandem ſeparant per alembicum oleum a fecibus cauendo aduſtionem,oleum hoc una cum circulato per menſem digeri permittunt, pondere quidem æquali,poſt ſeruant, huic uires balſami tribuunt, & ad couſeruandam ſanitatem,vitam prorogandā,& ad reſiſtendum omnibus morbis contagioſis miranda canunt.

Aurum potabile multi præparari docent contra peſtilen.& ſyncopales febres,& continuas, & alias omnes contra hecticā phtiſim,peripneumoniam,pleureſim,marcere conſumptos,& ad eos,qui ſine cauſa triſtantur,contra melancholicos, epilepticos,maniacos apoplecticos,& contra omnes cerebri,& cordis ægritudines,quod ſi quis paululum deguſtari,quando propinquus eſt morti, vitam eius prorogabit, donec ſaltem peccata ſua confiteri, & alia facere ſpatio aliquot horarum poterit; & alia præſtare,de quibus inter modernos uide Falop.Cæterum, quia non inuentus eſt hactenus modus ſoluendi aurum, ſine corroſiuis,& hoc non diſſolutum ab aliquibus creditur eſſe ſu

ſpe-

ſpectum;modum deſcribere volui,'quo ſine noxa diſſolui poſ ſe,licet corroſiuis creditur,& eſt ſequens.

Recipe auri puri limati ad libitum ſoluatur in aqua forti, deinde de illa aqua extrahatur per alēbicum in balneo mariæ non in balneo ſicco,& aurum remanebit in fundo, humidū bene,& calcinatum,tunc cū ſicut eſt accipe,& pone illam in boccia uitrea,& deſuper pone aquam mellis deſtillatam modo infraſcripto quouſque ſupernatet ad digitum unum,uel plus, & pone a deſtillandam in ſex minores, & deſtilla per diem balneo temperato,& aquam mellis extrahe; poſtea aliam aquam mellis ſuperinfunde,vt ſupra,& ſic facies ſuperponendo aquā dictam,& deſtillando,donec extraxeris omnem ſalſedinem ex auro,quæ ex aqua forti remanſerat.

Et tunc ſuppone de aqua vitis optime, & ſepties deſtillata, qua ſoluatur ipſa calx auri dulcorata,ut ſupra dixi, qua ſoluta,abſtrahe dictam aquam uitæ cū alēbico, uſquequo aurū remaneat in fundo,ſicut cera,aut oleum, craſſum aut butyrum, & iſtud eſt aurum potabile;quod ſoluitur cum pauco uino nobiliſſimo ex eo modicum.

Aqua autem mellis ſic paratur.Recipe mellis puri quantum videtur,& pone in boccia,quæ non ſit cum eo plena,niſi ad tertiam partem, & immitte lapillos duos paruos ad magnitudinem nucis,qui in aquis reperiri ſolent,& lento igne deſtillentur in fornace, vel in balneo mariæ,& dēt ingenioſe deſtillari.

Et aduerte ne unquam deſtilles mel, vel terebinthinā,vel maſticem niſi mediantibus lapillis dictis,uel arena,uel puluere aliquo conuenienti,ut maſticis macis m.uel ſimilium ſecundum intentionem tuam; iſti enim pulueres prohibent aſcenſum mellis,vel terebinthinæ, ut ego etiam ſum expertus.

Ficinus tractatu de peſte ex Gentili deſcribit aurum potabile hoc modo.Recip.auri unc.i.(limati.ſ.uel ſi folia auri fuerint, contriti,ut ſupra,quando aquas theriac.deſcripſi,argentum uiuum debet etiam meo iuditio,prius diſſolui cum ſaliua, ut in primo,ut fit) argenti uiui unc.ii.miſce,donec aurum ſit diſſolutum,& ſic in alēbico deſtillatur lento igne donec argentum uiuum per alēbicum ſiue deſtillationem extrahatur;poſthæc aurum,quod in fundo alembici reſidet accipe.Cui adde aquę bugloſſæ unc.vii.& in alēbico uitreo ponatur, bene obturato, & tenea-

teneatur ſub eo ignis proportionatus cõtinue per tres dies,& tres noctes ad alembicandum, & in fine ſi artem noueris inuenies aquam conſumptam,& aurum liquatum.

Alii ſic faciunt Recipe mel. & fauos de examine apum nouellarũ,cui miſce ambram griſeam, ſperma cęte. agalochũ piper longũ,garioph.nucem ſandalos,& auri parum.ſ.limatum, vel tritũ,ut ſupra. Hęc in fimo equino per dies 30.relinques. poſtea deſtilla per alẽbicum in balneo mariæ, deinde materiã in fundo relictam conteres lęuigando ſuper marmore,& aquã deſtillatam denuo ſuperinfundes,& iterum deſtillabis in cineribus.Hæc aqua aurum ſoluit, nam ſic ſuperinfuſa dereliquit, cum in fundo diſſolutum,vt de alio modo ſupradicto conſtat, & ſic meo iudicio intellige,quod ſi aurum potabile induretur aurum.ſ.in fundo alembici derelictum, accipies de eo magnitudinem piſi,& impones in ouum coctum durum, a quo vitel lum demeris,& ita ſoluetur, & hoc ſolutum ægro propinabis.

Lulus laudat quintam eſſentiam, cum quinta eſſentia gentianę,& ſimilium.

Non deſunt qui duas,vel tres guttas ol.e uitriolo,uel ſulfure cũ vino alterato,vel cum decoct.vel aquis deſtill.refrig. & exſiccantibus propinant,quoniam cum ſit exſiccandum,ita vt ſumma curationis ſit exſiccatio,vel Auicẽna teſte ex omniũq; ſententia, hæc autem multum exſiccent,& citiſſime, maxime conuenire aſſerunt,& in præſeruando,& in curando etiam febrem peſtilentem,vt experientia ſe nouiſſe aſſerunt.

Mathiolus etiam caparoſam in aqua roſ.diſſoluit,& iterum cogit,reiteratis tribus, aut quatuor uicibus,datque obolum in peſte,& vomitũ concitat.Cœterũ præterquam, quod adeo calefaciunt, vt vrant,vnde minus in febre conueniunt, admodũ huiuſmodi eſſe inſuauia, quę ex calcãtho paratur videre eſt a Galeno de Atramento ſutorio,quando tamen neceſſitas vrget, & alia non conferant, de iſtis etiam facere periculum licet,hac de cauſa ipſe,ſi iuxta ſtomachum,aut aluum vlceroſa fuerit affectio,licet multoties iſthæc aſſumpta ex calcãtho ipſe vitupe ret illis vtitur, nec mirum quando quæ concoqui non poſſunt exſiccanda ſunt 6. epid. 2. 31. licet pro poſſe ab iſtis abſtinendum,& tutioribus vtendum meo iuditio. cœterum de purgan tibus uehementibus,vide ſupra. *6.de Com. mod.5.l.1. pag. 730. & 743.*

Cap.

Cap. XLVIII.

IAM vero deueniamus ad antidota alia compoſita, nam prædicta antiquorum pręcipue; alchemiſtarũ ſunt potius; licet certe magni vſus. Primum aũt ſit antidot. ex ſanguine, q̃ vt alias deſcriptiones, a multis deſcriptas maxime a Falopio omittam, ſic Gal.l.de Antid.deſcribit. Diahæmaton.i.ex ſanguinibus antidotus ad lethalia medicamenta, & ad æſtus cuiuſuis uirulenti, piperis.l. & albi, cocti, acori, croci, phu, meu, dictami cretici, ammoniaci an. dracm. ii. amomi, opobalſami, ſeminis rutæ, ſilueſtris, cumini Æthiopici, aniſi, ſanguinis anaris maſculi, & fęminæ, ſicci, hedini ſanguinis, anſerini ſanguinis, napi, ſilueſtris ſeminis an. vnc.iii. gentianæ, trifolij, iunci rotundi floris, lachrymę thuris, roſarum ſiccarum an. drac iiii. petroſelini drac. v. polii cretici tantundem, cinnamomi drac.vi. florum ſcordii drac viii mirrhæ nardi an. drac.x. croci drac.xii. caſiæ drac.viii. contuſa, cribrataque diligenter melle attico decocto ſubigito, exceptis in pyxide argentea utitor, vt maximo medicamento.

Antidotus ex centum rebus conſtans, vnde hecatonmigmaton dicitur, qua utor inquit Galenus eam præparaui Cæſari ad omnia, peculiare autem ad lethalia; ergo etiam ad peſtem meo iuditio. Recipe autem.

Abrotoni drac.i.s. ariſtol. drac.xx. acaciæ drac.iiii. baccarum iuniperi, carnis tantundem, croci drac. ii. aſſari drac.iiii. aniſi drac.iii. amomi drac.vi. agarici drac.iiii. fructus balſami, bdellii an. drac.iii & obol.ii balauſtii drach.ii. gentianæ drachm. iiii. ſucci dulcis radiculæ tantundem, rapi ſeminis drac. iiii. uel ut alii drach.viii. terræ ſamiæ drac.iiii. alii drac.i. dauci ſemin. dr. iiii. rad. dracunculi drac.iii. obol.iii. ſemin criſimi drac.xx. yris illiricæ drac.ii. mirrhæ drac.vii. obol.iii. zinziberis tantundem, rad. eringii drach.iiii. obol.ii. thlaſpis drach.xx. conizæ tenuis, ſiue pulicaris minoris drac.vi. obol.iij. ciperi drach.vi. cicutæ ſem cocti drac.i. obol.tres, ameos drac.iiii. ſem. cnici. drac.vii. ob.ii. cinnam. drac.vii. coſti drac.vii. ob.ii. caſſiæ drac. v. ob. ii. ſucci centaurii drac.iiii. ob.v. caſtorei drach.vi. calami odorati drac.ii. ſecundum alios dr.iiii. gummi dr.ii. cardamomi dra.iiii.

Ca-

Cachryos,ideſt,ſem.roriſm.drach.iij.obol.iij cypſis de quo lib.primo 21.Dioſc.drac.vj.galbani drac. vj.obol.ij. fol. roriſm. drach. iiii.ſaluiæ tantundem, ſem.herbæ lonchitidis drach. ii. obol.iii.libani ſeminis,alij bugloſſi,alij lithons permi. drac iii. thuris dr.vj.obol.iij.ſem.fęnic.dr.vj. lachrymæ papauer.dr.vj. minij lemnij drac.iiii.licet alii drac.i.ponant,malobatri drac.x. meu,den.x.ſanguinis anatis drac. vi. nardi ſyriacæ drac.vi.ob. iii.nardi gallicæ dra.viii.xylobalſami drac.iii.opoponacis drac. iii. ormini ſem.drac.viii.neruorum alborum drach.viii. panaceæ drac.vi.opobalſami drac.iii.pelecini drac.vi.polii drach.v. obol.ii.foliorum polygoni drac.ix rad.helenii drach.v.obol.iii. petroſel.drac.vi.obol.ii.quinque folii drac.viii.liquoris peucedani drac.viii.piperis nigri drac.v.obol.iii.& albi drac. iiii.ob. iii.longi drach.iiii.alii drac.i.ſtinci drach.iii.reſinæ terebinthinæ drac.ii.roſarum ſiccarum drac.vi.ſagapeni drac.viii.ſtęchados drac.iiii.nucleorum pini frictorum drach.vi. iunci rotundi drac.iiii.ob.ii.vuæ paſſæ carnis drac.iiii.ſeſelis drac. v. obol.ii. ſem.paſtinacæ drac.iiii.fellis tauri drac.v.fellis vrſi drac.v.chamæpityos drac.iii. ſem pſylii drac.iiii.chamædryos dr.iiii. ſeſami fricti drac.vi.rad.conſol.drac.ii.ſummitatum ſcordii drac.i. obol.iiii. herbæ pediculariæ drac.v.ſtiracis drac.v.obol.ii. ſem. trifol.drac. x. tordili ſeminis drac.ii.(quod ſeſamũ,ſcilicet, creticum, non inueniatur, alterum ſeſeli ponendum eſt, cum ut 8. de Simpl. medic. fac. a Galeno habetur eandem vim omnes ſortiantur) foliorum teucrii,quod nonnulli dicunt eſſe chamędryn drac.i. hypocyſtidos ſucci drac.i.s. ſem. alterci dr. ii.rheupontici drac.ii. cotylidonis rad.drac.i.ob.iii.uini,& mellis q.ſ. ego uinum non adiicio.hæc Galenus.

De Conchitide, vide Dioſc.l. 3. cap. 145.

Et quia medicamentum ex ſanguine miſcent multi, cum aliis antid.maxime cum medicamento de cępis, licet in pauca quantitate,ne aliorum operationem impediat, ideo medicamentum de cœpis deſcribere volui.

Recipe cępas duas albas,quas excauabis, & in unaquaque pones antidoti prædicti de ſanguine drac.ii. vel alterius antidoti a Galeno deſcriptę, ut mithridat. poſtea coque cępas in furno.& coctas tere, & ſuccum extrahe, cum linteolo calido, cui,ſi ſolutiuum uis facere,adde confect.hamech, vel diaprunis,uel aliud,quod expedire indicabis.

Mathiolus cap.de Cępa, inquit. Cępa alba ex parte qua ſunt radices excauetur, & theriaca citri mali ſucco ſubacta imponatur, qua deinde incluſo foramine ſub cineribus coope riatur, donec probe fuerit macerata, deinde premitur, excipiturque cremor perutilis iis, qui peſtilentia laborant, uetum affectos illico ſudare oportet, & fex cæpe buboni emplaſtri loco poni.

Alii dictum cremorem cæpæ, miſcent cũ uino granatorum, aut berberorum, & poſtea exprimunt, aut idem faciunt cum ſucco tormentillæ, uel citri, & addita quarta parte ſyrupum de limonibus propinant.

Et quia quidã ait ſe præſeruaſſe in peſtilentia, cum electuarii Arnaldi de Villanoua, ideo hic eum uolui deſcribere. Recipe ſem. iuniperi drac.ii.s. gariophyll. nuciſm. zinzib. zedoariæ ana drach.ii. ariſtol. utriuſque, rad. gentianæ, tormentillæ, rad. herbæ cimicis, dictami, rad. enulæ campanæ an. drac.ii.s. ſaluiæ, rutæ, balſamitæ, mentæ, pulegii an. drac.i. baccarum, lauri doronici, ſem. acetoſæ, citri azimi, gariophyll. maſticis, thuris, boliarm. terræ ſigillatæ, ſcordii, oſſis e corde cerui, raſuræ eboris, margaritarum, fragmentorum zaphyri, ſmeragdi, coral. rubeorum, corniolorum, & idra ſalſo, ſandalorum rubeorum, & moſcatellorum an. dr.s. conſeruæ roſarum, bugloſſæ, nenuf. theriacæ an. vnc.i. zucchari lib.iii. f. elect. arte, cum aqua ſcabioſæ, & roſarum, & muſcum adde, neque uolui omittere elect. de ouo, quod a multis extollitur. Recipe ergo ouum, & reiecto eius albumine per foramen anguſtum impleatur croco, & igne lentiſſime terreatur, donec cortex, croceum calorem habeat; poſtea ouum in pila contundatur minutiſſime, ut corticis reliquiæ non appareant, huic pulueri adde medietatem oui, ſem. erucæ, rad. tormentillæ, dictami albi an. drac.ii. ſem. cardui benedicti, & acetoſæ an. drac.i.s. nucis uomitæ drac.i. cornu monocer uini, uel ceruini ſi primo caremus drac. s. theriacæ magnæ ad pondus omnium, & in mortario formentur troc. doſis drach.i. curat, & præſeruat.

Non reprobandum crediderim antidotum illam eſſe, quam Nicander libro primo in fine deſcribit, & eam aduerſus omnia mala parat, quam quilibet poteſt videre, ſat ſit notaſſe locum, & cum Dioſcor. dixiſſe; oportere priſcorum ſententiis ſubſcribere,

In præfatione ſui operis.

bere, iunioribus minus aſſentiendum.

Ex compoſ.antid.officin.eſt confectio de gemmis, diamarg. f.& calidum, alchermes, diamuſcum d.& amarum.arom.roſat. diarhod.abb.& alia huiuſmodi quarum deſcrip.apud quoſuis inuenies, licet etiam a multis aliquæ earum, ut alcherm. & de gemm.fuerint correctæ, & etiam confectio de hiacinthis, maxi me celebris, inquit Valeſ. *4.Meth.2 col.1215.*

Antidotum ſequens, ualet ad hydrop.ſplenetic.tuſſientes, cœliacos, phthiſicos, nephriticos, & ad reptilium plagas, ad læthalia uenena, & ad omnem materiam uim corruptoriam habentem, & uenenoſam. Antonii Muſæ, inquit Galenus, *7.de Cōp. med.ſ.l.5.* quando ergo ſupradictos a peſte tentamus præſeruare, eo utemur. Rec.piperis albi, uel nigri drac.viii.ſem. hyoſquiami albi, cardamomi, myrrhæ, thuris an.drach.xii. opii, croci an.drac.x. ſulphuris uiui drac.vi.corticum, rad.ariſt. l. corticũ mandrag. aut malorum ipſius, euforbii an.drac.iii. mellis cocti q.ſ. datur his qui per circuitus infeſtantur magnitudine nucis, ponticæ, reliquis pro uiribus. Poſſet meo iuditio tempore peſtis, addi bolus arm.& terra ſigill.

Iam ad pulueres bozeardicos deueniamus. Montagnana in ſuo Antid.pilulas non ſol.ponit, quem alius antidotus præualere ait, & ſic paratur lignial.drac.s.tormentillæ ſcrup.ii.dictami ſcrup.i. zedoariæ, xylobalſami an.drac.s.croci ſcrup.i.gario phyll.berbene drac.s.cornucerui ſcrup.ii. ſandal. rub. ſcrup.i. coral.rub.ſem.acetoſæ, an.drach.s.boliarm.vnc.iij.gemmarum ſpecierum, elect.de gemmis an.drac.i.s. camphoræ gr.iiii. cum ſyrupo de citro, vel de ribes f. pil.

Puluis Saracenicus Diuinus vocatus. Recipe boliarm. præpar. vnc.i.s.cinnam.vnc.j.rad.dictami, & tormentillę an.vnc.s. rad.tunici auris, loco angelicæ rad. ponimus, coriand. præpar. an.drac.iii.reub.electi drac.ii.terræ ſigillatæ, zinzib. corticum, citri, been albi, & rub.coral.rub.ſandal.citrin. limaturæ eboris, margaritarum an.drac.ii.charabæ, macis an.dr.i. ſem.acetoſæ, endiuiæ, portulacæ, ſpodii, lignialoes, oſſis, e corde cerui ana ſcrup.ii. ſetæ combuſtæ drac.s.limaturæ auri, & argenti an.ſcr. i.quorum loco, fol. auri, & argenti in portulacæ redacta modo antedicto pone, ambræ gr.vi.ſpicæ nardi gr.iiii.muſci gr.i. vel huius loco camphoræ gr.vi.vnicornu ſcrup.i.f.p.

Alius pro pueris etiam vermiculoſis. Recip. ſem. ſantonici in aceto fortiſſimo per diem infuſi, boliarm. in aqua abſinthii infuſi an. vnc. i. rad. dictami, raſuræ cornucerui vſti, ſem. caulium an. dr. ii. ſem. citri, corticum eiuſdem, fol. ſcordij, radicum tormentillæ, rad. tunici, vel angelicæ, terræ ſigillatæ, margaritar. ſplendid. coriand. præpar. an. drach. ii. s. fragmentorum zafiri, ſmeragdi, hiacinthi, granati an. drac. i. coral. rub. drachm. s. ſetæ combuſtæ, ſem. plantag. an. ſcrup. ii. oſſis e corde cerui, raſuræ eboris an. drac. s. unicornu ſcrup. i. ambræ drac. i. f. p. detur ſtomacho vacuo, cum aqua portulacæ, vel acetoſę, vel graminis, vel abſinthii, uel cicer, aut ſimilium, cum modico vino, lactantibus detur, cum modico lactis. Iſti pulueres poſſunt in pilulis formari cum dictis aquis, vel ſyrupo de acido citri, vel ſimilium, & non ſunt ingrati guſtui, vt pulueres.

Cap. XLIX.

1. de Fac. natur. 24.

ET quoniam non deſunt remedia, quæ a proprietate venena trahunt, inquit Galen. non erit inconueniens, etiam hic, ea deſcribere, quæ cordis regioni admota peſtilentiam extrahere, & etiam cor ab ea tueri creduntur, quibus præcipue vtamur in his, quia a morbo capti ſunt, licet etiam non inutilia ſunt ad præſeruandum.

Ego ſoleo vti theriaca, vel mithridato, vel alio ex dictis antidotis, maxime antid. ex ſang. cum aceto, ſi feb. adeſt diſſoluta, & admota; poſſunt etiam diſſolui, cum ſucco citri, vel limonum, vel aranciorum, vel aqua roſ. admouentur autem regioni cordis, & pulſibus manum, pedum, & temporum tepida.

Balſamum id ēt præſtare creditur, quod verum nunc de Indiis exportatur, ſi vera ſunt quæ Alpinus aſſerit cap. de Balſamo; oleum de ſem. citri, quod fit per expreſſionem, eſt etiam optimum.

Simile eſt oleum de ſcorpionibus ſimplex, vel compoſitum, ſimplex paratur ex ſcorpionibus num. v. & oleum amyg. a. uel communi vnc. iii. bulitis, vel inſolatis.

Compoſitum diuerſimode parari ſolet. ſimplicior modus ſic fit. Recipe ariſtol. gentianæ, ciperi, corticũ, rad. capparorum

an.

an drac.i amygdalarum a.lib.i. conquaſſata omnia in ol.dulci co quuntur adiecta aqua.ſ. vel deſtillata ex his,quæ diximus peſti reſiſtere,vel adiecto vino odorif.tenui,vel etiam aceto acerrimo ; bulliant ad liquorum conſumpt. ita vt ſolum remaneat oleum In colatura immergantur ſcorpiones num.18.atque ita ſuffocentur Contineatur vas in furno piſtrinali, vnde ſubtractus panis eſt,idemque bene clauſus ſit,deinde loco ſalubri ſubiecto acere,ſiue palea milii, aut purgamento frumenti fundo vaſis,reponatur.

Etiam oleum de Scorpionib. deſcriptum ab Andrea Math. ſummopere laudatur.Fallopius ſequenti libentius utitur,& dicit ſe illius compoſitionem habuiſſe a Reuerendiſſimo Cardinali Rauẽnate,qui teſtabatur ſe habuiſſe illam deſcript.a Pontifice maximo Leone, a quo poſtea emanauit ol. Mathioli,puto ego tale eſſe oleo Magni Ducis Hetruriæ,quod prædicatur, tãquam res diuina, & certe præſtantiſſimum eſt oleũ,vt etiam ego obſeruaui Fallopius inquit,ego dum maximam fidem habeo, & vtinam ita verbis poſſem illum extollere ſicuti experientia comprobatum eſt; & ſubdit,uidi præterea deſtillatum hoc oleum a deſtillatore Iulij tertij,& aquam fuiſſe deſtillatam guſtui iucundiſſimam,& eſt citiſſimę operationis;& habeo inquit domi ampullã illius , quam ſeruo in maximis occaſionib.

Vſus eius eſt in veneno aſſumpto per os,in viperarum morſu,inquit uermibus,& in bubone peſtilenti.Vnguimus pulſantes arterias apparentes manuum, & pedum, & temporum, & cordis regionem , & dorſum, ter, & quater intercedente ſpatio ſex horarum,ab una uice ad aliam,& ſic paratur.Recip.olei antiqui ſi poſſumus centum annorum.Sin minus. Recipe oleũ oliuatum maturum, & coquatur diu in ſartagine ænea,vel ferrea,huius ergo olei Recipe lib.v.terebinthinæ optime, vnc.vi. euforbii,caſtorei an.drac.i lumbricorum terreſtrium præparatorũ uino maluatico man.s.miſce,& colloca omnia in vaſe vitreo,& buliant in balneo mariæ, ſpatio octo, vel decem horarum;poſtea cola medicamentum per linteum purum,neque tenue , neque craſſum , ſine expreſſione addimus colaturæ in diebus canicularibus ſcorpiones numero 180. & duas uiperas fęminas diſſectas in fruſta cum capitibus, & caudis, & ſanguine;hæc itaque bulliant iterum,poſtea expone uas ſoli ap-

pen-

penſum,uel collocatum,in uaſe pleno arena per dies decem in diebus canicularibus; hoc facto addimus pulueres huiuſmodi.Recip. pulueris zedoariæ flauæ,rad.tormentillæ,rad.gentianæ,rad.dictami albi,rad.ariſtol.l. reubarb. electi an.vnc.i. florum altheæ,perforatę,ebuli,roriſm.ſiccatorum omnium an.m.s.theriacæ,mithridati an.vnc.i.miſce,& in vaſe uitreo, uel uitreato optime clauſo,ſepeliatur ſub fimo equino per 40. dies, uel 60.vel 90.ſecūdū,ꝙ requirit neceſſitas,& ſecundū ꝙ quærimus medicamentum plus,vel minus coctum; hoc facto coletur medicamentum,& ſeruetur in uaſe ſtanneo,uel argenteo.

Ex arſenico chriſtallino in ſacculo poſito fit ſacculus applicandus cordi, vel ex eiuſdem arſenici chriſtallini partibus duabus, & una parte riſagali rubri cum albumine oui formatur placenta miſcendo omnia ſimul ſuper materia metallica,Craſſitudinis unius digiti,uel formatur placenta,ex dictis arſenico, & riſagalo cum mucillagine draganti, quam collo, ſuſpenſam, e cordis regione,uel ſub axilla ſiniſtra geſtant. Cuius inuentor fuit Iacobus Carpenſis; & iurat Fallopius nullum præſtantius medicamentum hoc inueniri, & eſſe maximum ſecretum ad præſeruandam,& curandam peſtem,nam a ſimilitudine ſubſtātiæ ad ſe trahit uenenum in corde abſconditum,vel aerem peſtilentem,præterquam,quod exſiccando reſiſtit putredini, & aeri putri, ut dicit Fallopius (Credo) qui non ſolet mentiri:

Parari poſſunt ſacculi ex ſupradictis herbis,& antidotis,uel ex earum ſpeciebus applicandi regioni cordis;ut Recipe roſarum rub.ſandal.rub.coral.rub.ſpodii an.drac.i.zedoariæ, ligni aloes,cinnam.gariophyll.corticum citri an.drach.s. addo ergo ſpecies diamargar.f. in feb. uel diarhod. ſi non eſt feb. ſpecies elec.diam.d.vel de gemmis,uel ſimilium quæ omnia parantur in ſacculo tincto in grana,qui regioni cordis applicentur.

Idem ſacculus in aqua roſ. & aceto cum ſpeciebus temper. madefieri poteſt, & expreſſus cordi applicatum in cauſa calida;epithemata,& alia,ut unctionis pete c.de Cauſone.

Non defuere qui dixerunt radicem ellebori nigri,ſi in calcanei cutem prius perforatam inferatur a peſtilentia præſeruare,remedium fortaſſe a Columella deſumptum,cum a peſtilentia greges curat, radicem enim ellebori nigri in aurem prius

6. de Rer. cap.6.

cute

cute diſciſa, ut ipſe docet inſerit, quo remedio inquit omnis
nis morbi, omne virus peſtilens in eam partem elicitur; ut uel
ex hoc conſtet, quantum reuulſio ualeat. Simile eſt quod a fide
dignis habui, canem a nocumento nucis vomicæ emorientem,
ſectione extremę partis auris ſanari, ob dolorem ad eam partem
ſanguine attracto, & cum eo ueneno ipſo.

Cap. L.

HÆc quidem pro præſeruatione abunde dicta ſunt. Veruntamen quoniam omnes præſeruari eſt impoſſibile, imo quod multi licet optimis uſi remediis noxam minime peſtilentem effugare poſſunt, ut de ſe ipſo refert Guido; ideo medici, & maxime Chriſtiani munus eſt, officium ſuum non denegare ægrotantibus; licet. n. libentius ſubueniamus illis, quorum naturam morbos ipſos victum iri cognoſcimus, quam illis quorum morbi natura ipſa fortiores eſſe videmus, non propterea iſtis, & miſeris denegandum eſt auxilium, quos certo ſcimus perituros, ſi eos uel præ metu, uel aliam ob cauſam deſeramus.

Non tamen indiſcriminatim, neque temere illis ſubueniendum eſt, ſic enim prompte, quando adeſt contagium, & medici, & aſtantes omnes inficerentur, quod etiam eſſet cauſa, ut in dies magis, ac magis ſerperet malum, quod uel ex Hiſtoria a Thucidide relata manifeſtiſſimum eſt, cum iniuria Athenienſium cauſa potiſſima fuerit morbi, tam immaniter ſæuientis, ut ex ipſo manifeſtum eſt; ergo caute iſtis ſeruiendo, & cum minimo ſi fieri poteſt periculo, id quod facere procurabimus modo infraſcripto. *2. Pelop. belli.*

Imprimis antequam curationem tentent, prouideant corpus præparando, vt antea dixi. Agens enim non agit, niſi in patiente diſpoſito. Sint præterea ægrotantes in camera aperta, & euentata, in qua nullus ex peſte ſit mortuus, multo minus, in qua cadauera putrida inſepulta iaceant, ob quam cauſam ſolam ſæpe orta eſt peſtis, ut ſupra diximus. Nec enim credendum eſt his qui dicunt, cum corpore mortuo extingui etiam uenenum, eoque magis, quia, ut ex Thucidide iam relatum eſt,

quæ

quæ animalia paſcebantur corporibus a peſte peremptis, & ipſa peſte capiebantur, manifeſtiſſimum ſignum in ipſis ſeruari ſeminaria peſtis.

Non ſint autem plures ægrotantes in una camera, nam quo plures eo impurior aer, & ob id, & medico, & aſtantibus periculoſior, quod ſi forte impurior fuerit aer cameræ, ob cadauera in ea exiſtentia primo prouideat, ut efferantur; deinde purgetur aer ſuſcitando aerem in ipſa camera, & ſuffitus excitando, de quibus ſupra, & interim claudatur camera, ut ſic uapor iſtorum, & ignis ipſe uires ſuas in aerem melius imprimat, & poſt horam aperiantur feneſtrę, & ianuę, ex parte quę Septentrionem ſpectet, modo ab ea peſtis non proueniat.

Paulo poſt medicus ipſe, cum face in manibus accenſa, uel cum magna candela, & cera, & terebinthina, ut fit parata, accenſaque, ingrediatur ad ęgrotantem. Ablutis primo manibus & facie aqua, & aceto, uel quod melius eſt aqua roſ. & aceto, roſato.

Et ſpongiam in his infuſam, & poſtea expreſſam naribus ſuis admoneat, uel aliud ſimile, de quibus ſupra. Interim ore contineat, & maſticet, cinnamomum, zedoariam, corticem citri, gariophyllos, alia ve ſimilia.

Ingreſſus ad ægrotantem, auerſa facie ipſum audiat, ita vt nullo modo halitum eius recipiat. Propterea in altiori loco ponatur æger, & ſi aliquis ſpirat ventus, aduerſus ipſum ſpiret ægrotantem.

Si pulſum tetigerit, caueat ne manus ſuas ſudore, aut halitu putrido coinquinet, ac proinde promptam aquam, & acetum habeat, quibus ſtatim manus abluat; multoque magis caueat, ne aut ſanguine, aut pure ſe coinquinet, ſin minus ſtatim, ut dixi prouideat.

Si vrinas conſpicit, caueat, ne odor illarum ſuas nares feriat, quod ſi vel inuito id cōtingerit, odoret protinus aquam, & acetum, & per nares etiam trahat.

Cum ſe ab ægrotante expedierit, egreſſo thalamo, rurſus, & faciem, & manus, vt ſupra abluat, & ſi poteſt veſtimenta alia induat, ſaltem quando domum ſuam ingreditur non amplius egreſſurus, ſi prius id facere non poterit.

Et poſtea alia peragat, quæ de præſeruatione antea dicta ſunt.

ſunt. Sub quibus,& iſta continebantur,quæ tamen clarioris doctrinæ gratia uolui ſic dicere.

Cap. LI.

CVRATIONEM vero morborum peſtilentium præſuppoſitis,quæ ad hanc rem pertinere diximus Tractatu ſuperiori de Communibus morbis,ad pauca reducemus. Sunt enim indicationes curandi, quas diximus de alijs morbis,illis tantum addēda eſt indicatio, quę deſumitur ab ipſis peſtis ſeminarijs.

Cum ergo de febris peſtilentis curatione dicturi ſimus, quę tempore peſtilentiæ potiſſimum inter alios morbos mortales infeſtat,& quæ tanquam pro exemplo ad curationem aliorum morborum peſtilentium nobis deſeruiet. Optimum fore duxi indicationes aliarum feb.putridarū curatiuas breuiter hic recenſere, quæ Diuino adiuti auxilio ex mente Galeni referemus Tractatu noſtro de feb. putrid.

Quibus indicationibus addemus eam quæ a ſem. peſtilentibus deſumi debet; ea autem eſt proprie alteratio per contraria facta, & non ſolum per contraria, cum altera, uel utraque qualitate,ſed etiam cum his,quę a tota ſubſtantia aduerſantur, Sic enim quæ toto ſui genere ſunt pręter natura alteranda, ſunt Galeno teſte. *L. de Cōſt. art. med. c. 19.*

Dicebamus itaq; antequam curationem aggrederemur nos debere bene cognouiſſe febrem, & eius ſymptomata, ſi quę aderant; & an diuturna,an acuta eſſet,& eius tempora,& cauſam,& utrum eſſet continua, an intermittens, & differentias partium,in quibus accenſa erat,& temperamentum totius,& partis ipſius, & pręcipue eſſe conſiderandum, an putrefactio eſſet in toto,an in aliqua parte, & ſi in toto, an in uenis, an in omnibus partibus carnoſis,& ſi in venis, an in maioribus inter alas,& inguina,an in alijs exilioribus; & ſi in parte, an in venis ventriculi,an iecinoris,an pulmonis,an aliarū partium; & ſi in parte extra uenas exiſtente,an in meſeræo,aliaue parte, circa hypochōdria,vel etiam circa partes carnoſas aliquas. Conſiderandumque eſſe, an in parte aliquis eſſet, alius egregius affe-

ctus,adhæc habendo rationem ætatis conſuetudinis, ante actæ vitæ,vna cum aeris temperie,& vltimo conferendam eſſe virtutem cum morbo, & tunc quando febris non eſſet deſperata aggrediendam eſſe curationem.

Curantes eas autem indicationes deſumebamus ab his, quæ ſunt præter naturam,& ab his quæ ſunt ſecundum naturam;& dicebamus,quod quæ ſunt præternaturam ſui ablationem indicant,quæ vero ſecundum naturam ſui cuſtodiam.

Ex his quæ præternaturam ſunt prima indicatio deſumebatur a febre,quæ frigidis,& humidis curanda erat.

Altera a putredine,a qua duæ ſumebantur indicationes,vna ab eo,quod putrefactum eſt, quod ſui euacuationem indicat, per vrinam,deiectiones,ſudores, & alijs ſimilibus, quod vero reliquum erat demoſtrabat ad iuſtam ſymmetriam reduci debere.

Secunda indicatio a putredine deſumpta ſumebatur ab eo, quod ſemiputridum tantum erat, quod ipſum nulla euacuatione indiget, ſed ſolũ ad iuſtã ſymmetriã reduci debere demonſtrat,id quod dicebat Galenus fieri moderatis motibus, ſuper quibus,& geſtationes,& frictiones intelligebamus,& refrigerante perſpiratu,ſiue id fiebat,quod idem eſt, adhibendo mediocres dimotiones, vna cum aeris bona temperie, & etiam adhibendo alia,quæ,& calorem præternaturam auferrent, vt ſic calor naturalis officio ſuo fungi poſſet,& frigida,& ſicca exhibendo,quæ humores ad putredinem per calidum,& humidum tendentes corrigant.

Deſumebatur etiam alia indicatio a cauſa putredinis,quarum vna erat prohibita tranſpiratio facta, vel a multitudine, vel a craſſitie,vel a colore humorum,quæ ſuo contrario erant auferenda multitudo euacuatione, craſſities attenuatione, & inciſione,lentor abſterſione. Prohibeatur etiam tranſpiratio a conſtipantibus cauſis,quas ſundere oportebat,& a denſantibus quas relaxare erat opus.

Alteram putredinis cauſam dicebamus eſſe externam nempe ſeminaria iſta peſtis,quæ & putredinem inferunt, & calori noſtro a tota ſubſtantia ſunt aduerſa,ac propterea his quidem quæ putredini, & eius cauſæ reſiſtunt explodi poſtulant, ſed multo magis, his quæ a tota ſubſtantia illis inimica ſunt, antidota,

dota, & Alexipharmaca vocant, quæ ſi toto ſui genere ſunt præternaturam qualia venena, viruſque animalium, alterentur & euacuentur, inquit Galenus de Conſt. art. med. 19. alteratio, inquit fit per contraria, quæ vel tota ſubſtantia aduerſantur, vel altera, vel vtraque qualitate, euacuatio autem fit per ea, quæ uim attrahendi habeant.

Ex quibus omnibus conſtat ueriſſimum eſſe, quod ſupra diximus in febre .ſ. peſtilenti nos habere eaſdem omnes indicationes, quas habebamus in alijs putridis, & præterea aliam deſumptam a ſeminarijs peſtilentibus.

Quare concludamus, ut ibidem ex mente Galeni dicebamus, quod cum plures in hac febre concurrant indicationes non uni tantum, ſed omnibus eſſe attendendum, id quod per ordinem ibidem, ſecundum Galenum traditum.

Niſi forte interim aliquod ſymptoma ſuperueniens ordinem perturbet, de qua re ibidem.

Dicebamusque ordinem eſſe, ut primo a uenæ ſectio fieret, quando euacuanda erat multitudo; poſtea quæ obſtructionem auferunt adhibenda, & putredinem emendabant, adhęc, quod putridum erat per euacuationes, tam per deiectiones, quam per urinam effundere, & alias uias conuenientes; habita ſemper ratione partis affectæ, & aliorum ſupradictorum.

Quare hæc omnia, & nos faciemus, & quoniam præcipue cor, quod eſt fons caloris innati in peſte afficitur a dictis ſeminariis, indicatio, quæ ab iſtis deſumpta, alias omnes ſuperat; ideo ſemper hoc procurabimus, ut dictis antidotis ipſis ſeminariis aduerſemur, & ea a corde euocemus, & cor ipſum corroboremus, ut illis pro poſſe reſiſtat.

Hæc quidem ab his quæ ſunt præternaturam deſumptæ indicationes exiſtunt.

Ab his uero quæ ſunt ſecundum naturam, duæ erant potiſſimum, una a temperamento, altera a uirtute, quæ per ſimilia cuſtodiri poſtulant.

Quare cum in omnibus morbis maxima ſit ſemper habenda ratio uirium, quæ indicatio ſemper omnibus aliis dignitate præſtat, inquit Galenus quandoquidem illis deficientibus cætera corruunt, hæ in peſte potiſſimum cuſtodiendæ ſunt, quæ primis etiam diebus citiſſime cadere ſolent.

Dicebamus autem uires conſtare ex triplici ſubſtantia ſpiritu, ſolida ſubſtantia, & carnoſa, & quod unaquęque ſibi ſimilibus erat conſeruanda. Spiritus reſpiratione, tranſpirationeque, & uapore, qui ex ſanguine oritur. Et prӕterea prohibendo, quӕ ſubſtantiam illius alterare, euacuareue, & corrumpere poſſunt, quod maxime alexipharmaca dicta prӕſtare poſſunt.

Solidas partes, ſolido nutrimento.

Carnoſas uero nutrimento, quod mediam naturam habeat inter humida, & ſolida corpora.

Et quoniam, ut bene dicebat Galenus non ſemper inter ſe conſentiunt hӕc omnia, ſed inter ſe aduerſantur, ita ut uel uirtuti morbus non conſentiat, uel e contra, uel cauſa febris, ipſi febri aduerſetur, uel aliud eſt, quod contraindicet, curationis ipſius febris, uel cuſtodię ipſarum uirium, ideo dicebat Galenꝰ quod tunc maximum omnium aggrediendum erat, atque ei, uel ſoli, uel magis, quam cœteris ſubueniendum. Soli. ſ. quando niſi ſtatim occurramus perniciem pręſentem afferet. Non ſoli, ſed illi, quod magis urget, altero non neglecto, quando non tãtum urget, ut pręſentem pernitiem timeamus.

Quę maxime ſunt in peſte obſeruanda, in qua horrẽda ſunt omnia, ſed nihil magis horrendum, quam ſeminaria dicta; illis ergo multoties ſolis coacti ſumus attendere, quando ferè ſemper, niſi occurramus, pręſentem pernitiem afferre ſolent. Sin minus tantum ſemper urgent, ut illis pręcipue, licet alia negligenda non ſint, occurrere debeamus.

Hӕ ſunt intentiones quas ſemper prӕ oculis habebimus in curatione feb. peſtilentis, & potiſſimum eligendo, quӕ plures ſimul adimplent, ut ſunt frigida, & ſicca, acida medicamenta, & alexipharmaca, quę & febri, & putredini, & etiam peſtilentibus ſeminariis reſiſtere creduntur; & ex dictis intentionibus ea exequemur, quę poterimus; eſt enim quando ſolis alexipharmacis, & uirtutem corroborantibus, tũ cibis, tum medicamentis, uti poſſumus, ut in diaria, & hectica; in putrida autem fere omnia tentare poſſumus.

Vtemur autem ad exequendas dictas intentiones inſtrumentis ſolitis, ut ibidem ex Galeni decreto dicebamus. Dieta nimirum, pharmacia, & Chirurgia.

Neque propterea minus ſoliciti eſſe debemus in curando mor-

morbos peſtilentes;quia eorum curatio dubia eſt, & ut plurimum cum morte terminare ſolet;neceſſe eſt enim cum periculo aliquid facere,vbi non alia via, aut ratio ſe ſe offert melior, potius quam intentatum morbum penitus relinquere,vt Thucididis exemplo probat Galenus, & vel agentes aliquid periclitari. Imò,quod vel Aetij teſtimonio in peſte temerarie periclitari conuenit.

Hoc vnum animaduertant omnes,periculum eſſe in mora, ſerpit enim, & cito penetrat lues iſta, ac proinde quam primum,vbi tempore iſto homines corpus grauari ſenſerint, ac laſſitudine quadam apprehendi,& caput dolore affici,cũ quadam inquietudine, qua nocte præcipue infeſtentur, cum virium,tam vitalium, quam motiuarum læſione non leui, licet febris,vel nulla,vel leuis eos infeſtet,ſibi velociter, vt Auen.fatetur,prouideant,neque maiora expectent ſigna, eaque fallacia adeo,vt medicos etiam non vulgares ſępe decipiant.

In primiſque debitum regimen in ſex rebus obſeruent, de quo nos primo dicere aggredimur.

PESTILENTIS FEBRIS REGIMEN. Cap. LII.

CVM iam dixerimus peſtilenti febre laborantes,ita cibũ abhorrere,vt mori potius, quam aliquid deguſtare velint; dixerimuſque ob morbi,vehementiam vires primis diebus,niſi præſto illis ſimus cadere,operępretium erit ægrotantes hortari,ut ſibiipſis vim inferant, tantumq; nutrimenti capiant, quanto ad vitam ſuſtentandam ſit opiu. Demonſtrando illis uires in omni febres integras eſſe ſeruandas, vt verbis Aetii vtar. *Lib. 2.ſer. 1.ca.128.* Eoque magis quoniam eodem teſte fames in peſtilentibus morbis peiorem materiam facit;viriliter enim, vt ægrotantes comedant hortandi ſunt, non cruciandi fame inquit Celſus,quod ſic refert Raſ.peſte in- *18. Cõtin.* quit laborantes aliquid comedere ſunt cogendi, plures enim ex eis nihil ſumere volunt.

Ob quæ illud dixerim liberalius quidem eſſe nutriendum febricitantes peſtilenti febre,quam alia,vt ſpiritus,qui conti-

nuo

nuo reſoluuntur, & corrumpuntur regenerentur, & ne,venæ inanitæ repleantur ſeminarijs peſtilentibus, non tamen replendos eſſe ægrotantes, vt multi ſuadent nam vſus reſpirationis augeretur, vt ſupra probauimus ex Hippocrat.cum de præſeru. egimus;& præterea cruditates fierent, quo nihil peius in febribus omnibus, vt docuimus, cum de mente Galeni docebamus ciborum coctionem,ſiue ea in iecinori, ſiue in ventriculo ſit improſpera febres intendere, ac ſucci vitio exacerbare.

Tract.de putr. 11.*l.* 11. *Met.* 15.

Præcipue autem deuitandum eſt pluri cibo; vna vice, ſumpto tales febres aggrauare. Sic enim vires quas reficere eſt animus ſuffocantur.

In plures ergo vices diſtribuatur cibus,ita vt,& ter,& quater ſi opus fuerit in die nutriantur cibis facilis coctionis, boni ſucci,qui ſecum ferant, quæ & peſtilentis ſeminarijs reſiſtant, & cor corroborent, habita tamen ratione conſuetudinis, & aliorum ſupradictorum quorum memores nos ſemper eſſe oportet.

Ex quibus infertur quæ nutrimenta liquida vocantur;quoniam ſubito viribus cito cadentibus ſubueniunt frigidis acidis mixta, & cum margaritis, & ſimilibus cordis ſpiritus refocillantibus maxime eſſe ad rem.

Ius ergo pulli, & aliarum bonarum carnium, cum oxalide decoctum,vel cum acido citri, limonum,aut aranciorum mixtum apprime conuenit;uel etiam cum aceto,vel omphacio,& citoniorum uino,uel etiam granatorum, licet hæc conueniant minus maxime, cum obſtructio adeſt, auſtera cum facultate multum participent,ut ſupra diximus,quibus ideo aliquid aceti miſcere eſt decens, ut eorum adſtrictio ſuperflua emendetur. Cui iuri ſi plus nutrire volueris vitellum, oui potes miſcere.

Vel potes ex dicta pulli carne conſummatum,vt vocant parare,nempe decoquendo carnes, donec bene ab oſſibus ſeparentur, & colo poſtea exprimantnr cum dicto iure,vt ſic plus nutriat ius ipſum.

Magis nutrient iura ex carne gallinæ iuuenis, adhuc magis capi,& adhuc plus uitulæ lactantis, & annualis caſtrati dicto modo parata.

Soleo

Soleo ipſe dictas carnes decoquere, cum toto citro in multas partes diſſecto, vel etiam cum citonio, ſi fluxus ventris ægrum moleſtet ad ſeparationem carnium a carne; & ius forti expreſſione collatum, vel ſolum exhibere.

Vel cum mica panis mixtum in alembico vitreo deſtillare ad balneum mariæ, & eo ſolo inter prandium, & cęnam vti, pro ut neceſſitas poſtulat.

Contunde in mortario lapideo acetoſam, boraginem, angelicam, tormentillam, endiuiam, & ſemina melonum mundata, & berberos, & alia huiuſmodi, & ex his expreſſum ſuccum colligito, & miſce cum dicto conſumato.

Cui adde micam panis, & diarhod.abb. & tria ſand. & zuccharum roſ, & borag. & alia huiuſmodi, & exſtilla. Caue tamen ne aliquid ſit, quod guſtum lædat, ac proinde ego non addo ſcordium, zedoariam, & alia huiuſmodi, & minus mithr. neque theriacam.

Sunt qui carnem capi crudam excorticatam, deſectam ponunt in alembico, & poſtea fruſta citri ſuperponunt, & poſtea ſi fluxus adeſt fruſta citoniorum, & rurſus fruſta carnis, & poſtea citri, & deinde citoniorum, & ſi lubet in quolibet ſolio aliquo, pulueres cordiales, & bezaarticos contra peſtem aſperge ut margar. terrę ſigillatę, vel etiam herbas ſupradictas peſti reſiſtentes, vel ſimilia alia tandem cum alembicum, uel orinale ſemi plenum fuerit in balneo mariæ deſtillant.

Deſtillatum datur ſolum, vel cum aqua cord. vel acetoſ. citri, vel limonum.

Alij pulpam capi, vel perdicis, vel aliam ſimilem ſemiaſſatam contundunt, & poſtea addendo modicum brodij boni per colant, & rurſus carnes contundunt, & poſtea contuſas, addendo modicum iuris percolant, & rurſus contundunt, & percolant, donec totus ſuccus carnis extrahatur, qui exhibetur, cum aqua carnis, vel cum aqua roſ.

Alij aſſant carnes, donec ſint ſemicoctæ, poſtea ſub torculari exprimunt, & eodem modo ægrotantibus exhibent.

Alij conciſas carnes, & a pelliculis mundas in phiala vitrea, cum cordialibus, & aqua roſ. & modico uini odorif. & his quę peſti aduerſantur ad balneū marię bullire faciunt, & quum coctæ fuerint exprimendo ſuccū extrahūt, quo modo d. vtūtur.

Alij

Alii ſuſpendunt carnes aſperſas aqua roſ. vel vino odorifero in vaſe vitreo, vel vitreato, ita vt fundum non attingant, & infundo vaſis ſpecies cordiales ponunt, deinde uas obturatum ad balneũ mariæ bullire faciunt, ſpatio quinque, vel ſex horarum, & extracta carne, quæ tunc exſicca inuenietur, in fundo ſuccum carnis inuenies, doſis duo cochlearia per ſe, vel modo ſupradicto.

Alij decoquunt carnes dictas cum cordial. & peſti contrarijs herbis ad oſſium ſeparationem, poſtea colant, cum expreſſione, & hoc expreſſum propinant, vel ad balneũ mariæ, cum pane deſtillant, & deſtillato vtuntur modo ſupradicto, nec deſunt, qui vel in decoctione, vel in deſtillatione ſemper aliquos florenos auri ad bulliendum, vel deſtillandum ponunt: ego folia auri ponerem.

Cum dictis iuribus decoctis tantum, vel etiam deſtillatis ſolent dare pulueres marga. vel alios cord. & bezaarticos, de quibus ſupra ante cibum tamen ſaltem ſpatio trium, vel quatuor horarum, non ut aliqui faciunt, in principio menſæ. Sic enim meo iuditio antequam diſtribuantur cum fecibus deſcendunt dicti pulueres.

Licet videantur aliqui magis laudare dictos pulueres, cum cibis exhibitos, quia inquiunt diutius in ventre morantur, & cum cibis mixti melius poſtea per corpus diſtribuuntur.

Alij uero reprobant etiam vſum lapidum precioſarum cũ liquoribus exhibitorum, quia inquiunt lapideſcunt, & ſic magis obſtruunt. exemplo calcis id probant, uel alterius rei ſimilis, quæ cum liquoribus poſita lapideſcit. Ego cum iuribus, uel deſtillatis credo per corpus dictos pulueres tranſire melius.

Laudatur pvluis infraſcriptus pro uſu dicto. Recipe cornu cerui, & unicornu, margaritarum ſplendidarum, ſcobis eboris an. gr. vj. f. p. tenuiſſimus exhibendus modo ſupradicto. uel Recipe dictæ pulueris, uel etiam ſolius puluer. margaritarum dra. ii. zucc. cũ aqua roſ. diſſol. unc. iii. & fiant tabellæ manuchriſtũ perlatum uocant: quibus tabellis utuntur ad dulcorandos, & reddendos magis cordiales cibos, ut eſt ptiſana, cuius etiam humiditas, quam dicunt multi in his morbis eſſe abhorrendã, emendabitur a dicto puluere; licet poſſit etiam emendari, cum ſucco limonum, uel citri, uel aranciorum. Pari modo poteſt

emen-

emendari contuſum carnium dictarum; & exhiberi, licet & contuſum, & ptiſana cum lacte ſem. melonum, ſi maxime mouere per vrinam eſt animus, uel etiam cum lacte amygdal. vel ſi aliquid e pectore euacuare uolumus, uel etiam leuem ſomnum conciliare.

Conueniunt iura alterata cum acidis dictis, & mixta, cum uitello oui, qui cibi liquidi ui ſint, ac propterea prompte deſtribuuntur, ſunt facilis, & præſti nutrimenti: & ideo ter, uel etiam quater in die dando paucam quantitatem pro uice exhiberi poſſunt. Laudatur etiam panis lotus, cum dictis ſuccis acidis, & zuccharo paratus, uel etiam cum modico aceti, uel etiam uini albi, oligophori, & zuccharo paratus.

Vtiliter etiam dãtur iura congelata, gelatinam uocant; dando duo, uel tria cochlearia gelatinæ, & poſtea ſuperbibendo, uel dicta iura alterata, uel deſtillatos brodios, uel aquas dictas deſtillatas cordiales. Nempe hoc, uel illud prout plus magis ue nutrire intendis; uel refrigare magis.

Poteſt gelatina aromatizari, cum ſandalis citrinis, & aceto, uel ſucco acido citri, uel citoniorum ſi fluxum alui emendare uolueris.

Et eo magis gelatina commendatur a multis, quia inquit in peſte cibos actu frigidos eſſe exhibendos. Gelatina autem ſemper frigida exhibetur.

De potu autem exhibendo in febribus peſtilentibus, illud ẽt repetendum, quod ſupra dixi, ex ſententia Aetij ſtudendum eſſe dare ſuauem potum ratione dicta loco ſupradicto, quod etiam pro poſſe in cibis obſeruandum, ac proinde habenda maxime ratio conſuetudinis, temperamenti, & ſimilium; habenda eſt etiam ratio accidentium. Si enim fluxus eſt reſtringendus, aqua deſtillanda ad balneum mariæ, cum citonijs propinata cum vino berberorum, aut granatorum, vel aqua ferrea, aut in qua aurum ſit extinctum, cum dictis ſuccis, aut vinis propinanda.

Soleo vt ſupra, cum de præſeruatione egi, adnotaui; propinare aquam, in qua citrum diſſectum ſit decoctum, vel limonẽ eodem modo decoque in fine modicum zucchari addendo ſi dulci magis delectatur potu.

Vel detur aqua hordei decocta cum momento cinnam. vel

aniſ.& ſem.citri,in modica tamen quantitate,ne ſua amaritudine guſtum deprauet.

Valet ſecundum Ficinum, & alios, nec ſine ratione aqua in qua multotiens aurum ignitum fuerit extinctum. Cuius loco aqua chalybeata vtimur.

Cum ſuccis acidis ſæpius dictis, quibus poſſumus vti cum quolibet potu,modo illos non abhorreat ægrotans. Aquam ſcorzonerę Hiſpani maxime laudant,vel eius decoct.cum hordeo. Alij aquas dictas propinant cum iuleb. roſ. qui etiam vtiliter cum uino granatorum,aut berberorum datur. Alii ſyrupum de acetoſ.citri,vel limonum,vel de granatis,vel oxyſaccharum cum multa quantitate dictarum aquarum propinant, vel etiam cum aqua ſola decocta, vel cruda bonorũ fontium, maxime ſi peſtis a ſuperioribus,non ab inferioribus oriatur.

Soleo ego in dictis aquis continue infuſum tenere cornu vnicornu,vel ceruinum,uel bezaar,hiacinthum,vel aliud ſimile,vel ſeruare dictas aquas in vaſis,qui creduntur reſiſtere veneno,& peſti,vt etiam aurum, ut eſt coch vocatum, ut eſt porcellana dicta.

Sunt qui aurum in aqua decoquunt,& eam propinant.

Alij,præcipue ſi fluxus adeſt,zuccharum roſatum in dictis aquis diſſoluunt,& illam aquam propinant.

Alii oligophorum vinum dilutum propinant, quod non uitupero,quando adeſt ſyncopis, & virium proſtratio, maxime ſi febris lenta fuerit.

Debet autem potus quantitas eſſe moderata non copioſa, vt aliqui contendunt. Nec obſtat,quod ſi paucus detur ſitim magis excitat ex Pauli,Aetii,Oribaſij,Celſi, & Rufi ſententia. Iſti enim loquuntur de potu aquæ frigidæ dato,ad relinquendam febrem,de quo infra,non de potu,ut ſic dicam cibali, ſiue potu,quo utimur pro prandio,& cęna. Verum de potu aquæ frigidæ,cum de accidentibus dicam,quid ſentiam uidebis;ſufficiat de cibo,& potu.

Qualis autem debeat eſſe aer in peſte affectis, patet ſupra, cum de præſeruatione egi; maxime autem erit corrigendus his,quæ ad corrigendum aerem æſtiuum conuenire diximus; debet autem eſſe frigidus,& ſiccus,uel moderate humidus, ut talis reſpiretur. modo extrinſecus corpus non refrigeret; in

qua

quã re tamen non committendus eſt multorum error, qui dũ uolunt ægrotantes ab iniuria aeris frigidi defendere, eos adeo cooperiunt pannis rubeo colore coloratis, uel aliis tegumentis, ut ipſos æſtuent, ac nimio calore exęſtuent.

Maxime procurandum ægrum non manere in camera, in qua alii ex peſte fuerint mortui, ſed in aliam, ut antea dixi mutandus, ſin minus aer optime emendetur frigidis, & ſiccis, ut Auicenna docet, & nos ſupra diximus.

Dentur propterea ægrotantibus odoranda frigida, & ſicca, ut eſt acetu roſ. ſolum, uel cum aqua roſ. quæ etiam ſola per ſe odorata, maxime conducit, uel odoret troc. de camphora, uel citonia, uel citrum, uel alia huiuſmodi; qui autem fætidos probant odores male dicunt, ut ſupra dixi.

Somno, & quiete ad partes internas moueri uenenum aiũt aliqui, ac proinde ab his abſtinendum. Cœterum ex motu, & uigiliis etiam caliditas augetur, & uires deiiciuntur: uires aũt conſeruare hoc tempore, maxime conuenit. Caliditatem uero emendare ob multas rationes, ſed maxime, quia uires deiicit, & uſum reſpirationis auget, quod peſtiferum eſſe in peſtilenti tempore diximus.

Moderatus ſit ergo ſomnus, & motus.

Neque eorum probamus ſententiam, qui ea potiſſimum ratione ſomnum longiorem laudant, quia crudos ſuccos concoquit, qui abundant maxime peſtilenti tempore. Nam uel Galeno teſte longior ſomnus crudos ſuccos digeri non permittit, & uiſcera reddit grauiora; adde quod corpora etiam humidiora reddit, & caput uaporibus replet, cauenda prorſus in febre peſtilenti, moderatus eſt ergo ſomnus, qui crudos ſuccos coquit.

Frictiones leues conueniunt, præcipue ſi per cutim natura mouere tentat, nam quo natura uergit, eo per loca conuenientia ducere oportet, inquit Hippocr. ergo in peticulis uocatis frictionibus potiſſimum utemur; & cucurbitulis, ut infra patebit.

Repletio omnis cauenda, ut antea dixi, & omnes conſuetæ euacuationes procurandæ, ac proinde aluus ſit leuis, ſi non ſpõte ſaltem clyſteribus emollientibus, cum quibus miſcenda, quæ uermes enecant, & ſeminariis peſtilentibus contraria ſint.

Vt Recipe decoct.maluæ,uiol. ſcordii , agrimoniæ, graminis,& ſebeſten,abſinthii,& cardui benedicti lib.i. olei amygd. a.uel olei oliuarum immaturarum , omphacinum uocant ana unc.ii. hierę p.drac.vi.uel elect. de ſtercore columb. Auenzoar unc.s.ſalis drac.i.alii loco ſalis communis, ſalnitrum, ponunt, quia,ut aiunt materias prauas,& aduſtas deducit, ego ſi dicta medicamenta,uel alia ſimilia in clyſteribus pono,non addo ſalem , neque ſalnitrum , neque timenda eſt hieræp.caliditas, quia feb.tepidior eſſe ſolet. Si tamen eſſet alcutior lenitiuum ponendum,uel ſimile.

De balneis,& uenere non eſt quòd loquamur , nam neque unquam conueniunt in feb.peſt.ex dictis ſupra.

Animi accidentia eſſe fugienda iam ſupradictum eſt maxime timores,& deſperationes,quę ſi quid aliud ad peſtem contrahendam apta reddunt corpora.

CVRATIO FEBRIS PESTILENTIS PER medicamentum. Cap. LIII.

INSTITVTO debito regimine in ſex rebus non naturalibus reliquum eſt ad medicinalia tranſire. Si ergo qui peſte correptus eſt , uentriculum repletum habuerit , cibo , & potu , uel etiam cruditatibus refertur,uel pituita,ut Celſus,Paulus, & Aetius, pręcipiunt præuncta prius regione cordis oleo de ſem.citri, uel alia unctione,quę peſtilenti ueneno aduerſetur,uel epithemate aliquo cordiali facto,de quibus ſupra:de quibus , & infra erit ſermo,ſtatim uomitus prouocandus, uel digito in ore immiſſo,uel acetoſo ſyr.cum aqua tepida epoto,uel oxymel,& aqua hordei,uel alio ſimili,tuto enim leuib.iſtis uomitiuis,roborato prius dictis extrinſecis corde,ne humores agitatos,uel uapores ex ipſis excitatos admittat,euomunt quæ in uentriculo continentur.

Poſthæc ſi aluus lubrica non eſt,clyſteri lenitiuo ſupradicto lenienda,uel alio ſimili,& ſtatim antidotus aliqua propinetur, quæ etiam ſtatim,ac ęger ſe ſentit capi morbo,eſt danda,neque ad craſtinũ differre debemus huius antidoti potionem,& ante

non

non per os dare medicamentum leniens; quandoquidem, vt ſupra diximus indicatio ea veneno præualet, & periculum eſt in mora. Sat ergo fuerit clyſteribus eſſe inteſtina a fecibus mundа,& ventriculum a cruditatibus, vel cibis uomitu leui.

Poſtea antidotum dare modo ſupradicto, & procurare ſudorem ab eius aſſumptione, cooperiendo moderate, ita vt non æſtuet pannis æger ſpatio trium horarum, licet ſi ſudet, optimum ſit ad ſeptem horas ſeruare ſudorem, vt antea adnotaui, interim ad tuendas uites dare aquam carnis deſtillatam, vel aliud ſimile, de quibus ſupra; quæ autem ſint antidota ſuperius patet, & nonnulla eorum etiam infra dicentur; & hæc quidem intentio eſt quæ ſola ferè poteſt exequi in diaria peſtilenti, & hectica peſtilenti, nam alijs intentionibus non eſt locus.

Poſthæc in putrida peſtilenti, quandoquidem, quod a natura, ita alienum eſt, ut ad benignum reduci non poſſit, euacuandum eſt teſtimonio Galeni, humor autem peſtilens, minime reduci poteſt ad benignum; & quoniam, quod putrefactum eſt ſui ablationem indicat; quod vero eſt in putrefieri a corruptione vindicandum eſt, hæc autem omnia euacuatio præſtare maxime ſolet, quam primum euacuandum eſt, eoque magis, quoniam citiſſime morbus iſte vires ſuas exercet. Sic videmus Galenum excuſare Hipp. qui licet ſecunda die vocatus fuiſſet ad quendam ægrotum, non tamen venam ſecuit, quia inquit non a principio vocatus fuit: videtur ergo ex hoc poſſe argui, niſi fiat prima, vel ſecunda die venæ ſectio, non eſſe illi amplius locum ob virium lapſum, qui conſequi in his morbis, maxime ſolet.

Et Valeſ. 4. Met. 2. 4. de San. tuenda. 11. Met.

1. ep. 3. 26

Si ergo vires ſinunt, ſanguinem mittere optimum eſt, præcipue ſi cum dolore febris eſt, inquit Celſus lib. 3. cap. 7.

Fiat ergo venæ ſectio ſi cætera conſentiunt, quæ ſæpius dicta ſunt, maxime tract. de febris putridis in principio, dum vires conſtant, alioqui cito cadent, uerum illi poſtea erit locus.

Et quia cito reſoluuntur in peſtilenti febre, modice ſanguis detrahatur, eoque magis, quoniam Galenus parcius ſemper ſanguinem euacuat in corruptela humorum; in hac autem febre maior eſt putredo, quam in alijs putridis, imo quod vehementia putredinis ab alijs differt, vt ſupra adnotauimus;

9. Met. 4.

eoque

eoque magis, quoniam non ob putredinem illam ſimplicem ſolum, ſed ob veneficam illam luem, & ſpiritus, & humores, & cordis etiam ſubſtantia corrumpitur.

Corrumpuntur autem humores potiſſimum, ſi febris hæc a prauis cibis orta fuerit, in qua maxime vires cadunt, vnde Galenus laudauit medicos, qui parcius mittebant ſanguinem in peſte a prauis cibis orta, non tamen hic dico in tali peſte minus vires conſtare, quam in ea, quæ a peſtilenti aere ortum habet, imo contrarium cenſeo, quando in aere peſtilenti, aer peſtilens petit cor, quod ſi forte paratum ad peſtem inueniat, ſtatim uires cadere eſt neceſſe, ipſo affecto protinus, niſi forte parũper in morbi initio reſiſtant. Sed quod auſim dicere illud eſt. In peſte a cibis prauis orta, corruptionem, humoreſq; adeſſe, & in hac humores putridos, & malos abundare, qui potius purgãti medicamento ſunt euacuandi, quam venæ ſectione, niſi forte præualeat dominium ſanguinis, quod eſt de raro contingentibus, in hac febre.

Li de Cib. bon. et mali ſucci.

At in facta ab aere peſtilenti non eſt ſic, quia poſſunt corpora etiam plethorica, & bono ſanguine abundantia capi peſte, cuius abundantia venæ ſectione commode euacuari poteſt antequam vires cadant, quæ quoniam cito cadunt, ideo quam primum vena ſecanda.

Sed duo nunc ſunt diſcutienda, quæ multos torquent,
an ſcilicet venæ ſectio in febre peſtilenti conueniat, & ſi conuenit, an conueniat
poſt purgationem, an
uero antea.

AN

AN VENÆ SECTIO CONVENIAT IN peſtilenti febre. Cap. LIIII.

QVOD venæ ſectio non conueniat aliquibus videtur probabile, quia vires cito cadunt, modo non eſt, qui neſciat, quod quando non adeſt virũ robur, vena non eſt ſecanda.

Præterea venæ ſectio non conuenit, quando venenum partes corporis exteriores poſſidet, ne ad partes interiores venenũ trahatur, ſic in morſu virulentorum animalium prohibẽt omnes venæ ſectionem. Par autem uidetur ratio in peſte orta ab aere, ſiquidem aer peſtilens inficit humores in ambitu corporis exiſtentes; qui a venæ ſectione attracti ad venas interiores ſanguinem, & membra interiora magis afficient.

Adde, quod in bubonib. carbunculis, exanthematibus æſtimatib. ue, ac papulis, non enim nunc de nominibus curo) in quibus materia peſtilens uidetur in vno loco collecta, ſi fit venæ ſectio periculum imminet, ne a materia eadem uenenoſa, & peſtilens a loco affectos ad partes interiores trahatur, vnde dicta ſuperuenient incommoda; qua ratione ductus Fallopius venam in bubone peſtilenti minime ſecandam eſſe aſſeruit; & experientia fuiſſe doctum ab ea exitium ęgris comparari.

Morbus præterea exitialis eſt, & qui ad malum, ut plurimũ terminatur, quare ne medico mortis cauſa imputetur, auxilia magna fugienda uidentur, quin potius ſolis prognoſticis, & ſacerdotibus ægrotos eſſe relinquendos.

In contrarium arguitur febrem peſtilentem eſſe ex genere *Galen.* 11.
putridarum, in quibus venam ſecandam eſſe ex mente Gal. *Met. Aet.*
docuimus authoritate, & ratione Actuarij comprobata, cũ de 3. *Meth.*
putridis egimus, eoque magis in hac, in qua maxima eſt putre 19.
do, quæ nullo auxilio magis uidetur poſſe emendari, quam ſanguinis miſſione.

Morbum præterea magnum eſſe, quod unum, & præcipuũ eſt ex indicantibus venæ ſectionem, ut lib. de ratione victus in acutis notum eſt.

Vt plurimum ſanguineos talem febrem occupare, cum calida, & humida corpora ſint ad peſtem, maxime omnium apta

In venis prçterea putredo,& malignitas humorum exiſtunt quæ ſui ablationem per venæ ſectionem indicãt;vnde non eſt timenda reuocatio humorum, a cuti, uel a bubonibus, & carbunculis,quoniam in uenis eſt plenitudo,& cauſa antecedens, quæ hoc auxilium maxime,expoſcit, ut cũ de papulis inferius agam,demonſtrabo Galeni etiam teſtimonio.

Multis itaque omiſſis, quæ dici poſſent de hac materia breuiter concludendum cenſemus, ſi reliqua conſentiant, modoque uires conſtent, uenam in febrem peſtilenti eſſe ſecandam, & quoniam cito vires cadere ſolent, morbuſq; eſt maximus, q̃ cito ſuas operationes exercet,ideo ad hoc auxiliũ, & ad alia eſt feſtinandum,ſin minus ſero ſapient Phryges; hancq; fuiſſe mentem Hippocratis,& Galeni patet 6.epid.7. primo,qui in curatione anginæ illius peſtilentis uenam ſecari iubet, ſi totum corpus plenum ad affectum locũ materiã tranſmittit; & uniuerſali euacuatione per ſãguinis miſſionẽ,& particulari ẽt utebatur;ut ibidem conſtat.Purgabat præterea, ſi ad affectum locum, corpus humores tranſmitteret ſua qualitate infeſtantes, ac peracta uniuerſali purgatione, ad localia ueniebat, quod & a Galeno probatur.

Lib.2.ſer. 1.ca.125. Aetius præterea in peſtilentibus,& carbunculis uenæ ſectionem,inquit adhibemus,ſtatim in principio non autem cibi cõtractionem,fames enim peiorem materiam facit,& uires in his conſcindit, quas integras ſeruare uolumus in omnibus febribus,maxime peſtilentibus.

Lib.3.c.7. Celſus inquit ſi uires ſinunt, ſanguinem mittere eſſe optimum,præcipue ſi cum dolore febris exiſtit, ut iam dictum eſt.

L.4.c.15. Paulus li. 2.cap. 36. Aet.2.1. conſ. Oribaſ. 7. ſynopſ.25. Paulus cum dixiſſet carbunculos etiam fieri ex quibuſdam popularibus cauſis,unde peſtilentes denotat,eos curat, niſi par ui fuerint,uenæ ſectione,uſque ad animi deliquium facta,eandem imperat in bubonibus; licet quis dicere poſſit eum non intelligere de peſtilentibus,ueruntamen idem Paulus, & Aet. & Oribaſius in febre peſtilenti ex ſententia Rufi uenæ ſectionem imperant.

Neque eſt,ut quis cum Fallopio dicat eos de præſeruatione non de curatione peſtis intelligere, cum poſtquam uenæ ſectionem imperarunt,dicant. Quod ſi ardore exæſtuat æger,& flamma uſque ad pectus aſcendat, & cœtera quę ſequuntur in febri-

febribus ardentibus, tantummodo contingentia, & malignis ſicuti ſunt peſtilentes, de quibus ex profeſſo illis in locis tractant; iidem authores iubent, nedum venæ ſectionem, ſed, & alias omnes euacuationes in febre peſtilente fieri debere, & etiam in bubonibus, carbunculis, eoque magis, quoniam in peſtilenti febre, vt plurimum adeſt partium internarum inflammatio, vt ſupra dictum eſt.

Quod ſi Raſis viſus eſt eam denegaſſe, tunc ſcias, inquit Nicolus Florentinus, quod eam prohibet, quando accidentia ſuperueniunt, malignaque materia vincit, quod in principio non ſit, quando venæ ſectionem conuenire diximus; quod ſi ſuperueniret, vnde vires certum eſt non conuenire, ſicuti neque in alijs febribus.

In papulis etiam diximus venæ ſectionem non eſſe denegandam, vt cum de Variol. dicemus, nam eſt author Galeni 6. epidem. 2. 30. qui docet humores ad cutim vergentes, quando eſt maxime humorum abundantia in corpore, prius vel purgatione, vel venæ ſectione uacuandos.

Oribaſius præterea Galenum ſequutus in exanthematibus euacuatio imperat. *Oribaſ. de morb. cur. col. 626.*

Aetius etiam, quando puſtulæ culicum morſibus ſimiles, vibiceſue apparēt in corpore, in principio, ſi nihil impediat venæ ſectionem imperat. *Aet. lib. 2. ſer. 1. c. 129.*

Vnde Hippocr. inquit, vbi fauces ægrotant, & tubercula naſcuntur in corpore, & ex vrinis cognoſcit medicus, vna corpus ægrotare non eſſe tutum nutrire nos docet; vnde prius purgandum etiam corpus docet Galenus. *2. Ap. 15.*

Neque obſtat malignitas in peticulis exiſtens, vt aliqui arbitrati ſunt; nam eſt authoritas Galeni, qui cum papulæ nigræ, cum macula humorum in pede apparerent venam ſecandam iubet. *1. ep. 3. 26*

Noſtram ſententiam tenet etiam Valeſ. 7. epid. 78. & locis ibi a me notatis, & Mercatus poſt euacuatione copioſiorem a baſilica factam, ſaluatellam ſecat in malignis febris, vbi papulæ apparent, maximo cum vſu, vt ipſe demonſtrat lib. de Iud. med. fol. 256.

Non obſtant rationes in cōtrarium adductæ, nam quod de viribus dicunt, dicimus nos venam ſecari, antequam cadant,

quod ſi ſubito ceciderint,ſicuti vſu euenire in diaria,& hecti-ca peſtilenti ſupra diximus,iam deplorati ſunt tales ægroti,ac propterea nec vena ſecanda,nec aliud ſtrenuum auxilium , ſed ſolis antidotis vtendum, & cibis optimi nutrimenti , ut antea diximus.

Quod vero in alijs venenis non detrahatur ſanguis , niſi quando totam maſſam ſanguinis infecerint,id fatemur, & pro bamus . Verum non eſt par ratio, quia in febre peſtilenti aer peſtilens ad cor per inſpirationem,& per arterias ad cutim ter minantes tractus cor primo afficit , & non tantum humo-res in cute exiſtentes,vel in partibus exterioribus,vt contin-git in morſibus animalium uirulentorum , Sed putredo eſt in venis,vt ſupra probauimus,quare ob hæc vena eſt ſecanda.

At vero ſi papulæ,aut carbunculi,aut bubones critice appa-reant,tum alleuiatione morbi concludunt rationes dictæ,non venam eſſe ſecandam . Verum quando ſymptomatice appa-rent, ſicuti vt plurimum fit , non impediunt venæ ſectionem ; quam alia ſigna indicant , in principio ergo , vt nos diximus , quando aliquid utiliter excerni non ſolet,quamprimum ſecan da eſt vena authoritate maxime tantorum uirorum , ut omit-tam,quæ ab Arab.dicuntur.

Ex quarum author. pariter conſtat purgationem etiam con uenire,quam nemo negabit , ſi cum putredine alij humores a ſanguine abundauerint , ut ferè fit hoc tempore peſtilenti ; a qua uis cauſa contingāt, ut ex ſupradictis , vnicui-que notum eſſe poteſt . Præterea veri-ſimile eſt cum lues iſta totam ſanguinis maſſam occu-pare ſoleat , alios etiam humores præter ſanguinem in-ficere.

Cap.

Cap. LV.

CÆTERVM an quando, & purgatione, & venæ ſectione opus eſt, præferenda ſit purgationi euacuatio per uenæ ſectionem, an e contra, in dubium reuocatur.

Ego vero ſic de hac re ſtatuendum cenſeo. Si cognouerimus in ventriculis, vel communibus vijs abundare excrementa, vt ferè fit, quando peſtis ortum habuit a cibis mali ſucci euacuanda prius ſunt, vel vomitu, & clyſteri, vt pauloante dixi, quod meo iuditio melius eſt, ne differatur venæ ſectio, quam nunc ſupponimus eſſe neceſſariam, uel ſi times hoc modo non poſſe fieri conuenientem purgationem, aliquo leui medicamẽto tempeſtiuius exhibito, quo etiam eadem die poſt octo, uel decem horas, ab aſſumpto medicamento, uel poſtquam iudicaueris peractam fuiſſe eius purgationem, fieri poſſit uenæ ſectio, conſulendo tamen interim uires.

Et ſemper memoria tenendo, quod ſi a prauis cibis ortum peſtis habuerit, quoniam corpora cacochyma ſunt, potius ea egent purgatione, quam uenæ ſectione, ut etiam Raſ. notauit, & ſemper memoria tenendum eſt, quod Galenus laudat medicos, qui parcius mittebant ſanguinem, ut ſupra dixi. *L. de Cib. bon. et mali ſucci.*

Vnde ſoleo ego talia corpora antequam in febrem cadant paulatim, & leuioribus pharmacis ſæpius repetitis ea purgare, & interim cibis boni chymi, & facilis nutrimenti nutrire, ut ſic ad probiorem redacta ſanguinem, uenæ ſectio tutius fiat, non tamen facile ducere aluum debemus .i. eſſe multum audaces ad purgandum, ut Celſus iubet.

Verum ſi febris iam eos detinet, poſt unicam purgationem leuem (nam fortiora medicamenta non ferunt, et ex eorum uſu prompte cadunt in fluxum, qui eos perimit) modo uires conſtent, uenam ſecandam cenſeo, parce tamen, quia cito uires cadunt, potius poſtea eã reiterando, ſi expediens fuerit, ut per epicraſim eos cures, eoq; libẽtius detraho ſanguinem, quia ſæpiſſime interiora urunt, & inflammata ſunt in febre peſtilenti, ut antea dixi, quo in caſu quantum timere pharmaca debemus præcipue fortia, & quantum ualeat uenæ ſectio conſtat

omnibus,ſed præcipue ab Hippoc.ipſo 4.acut.in textu obſceſſa inflammatione hypochondria,de qua re, cum de putridis febribus.

Scio multa alia poſſe in medium adduci, de hac quæſtione. Sed hæc ne longior ſim omitto,hoc unum dixerim, licet multa Valeſ.dixerit, eum tamen non legiſſe omnia Galeni loca,& maxime 6.epidem.6.5.ubi habet hæc uerba,dolentibus oculis corpus uniuerſum,antea expurgamus,deinde ſi ſanguinis adfuerit multitudo ad uenam cubiti exteriorem incidendam properamus, &c. ubi conſtat Galenum præmittere purgationem uenæ ſectioni,uerum de hac re in noſtris contradict.

Sed iam ueniamus ad magis particularia;ut quomodo fieri poſſit uenæ ſectio melius cognoſcant omnes.

Ficinus ab anno 14.uſque ad ſexageſimum nos ſanguinē detrahere iubet,ſi putredo fuerit in ſanguine, uel in humoribus ſanguini permixtis,ſatius eſſe ratus, uenenum per uenæ ſectionem expirare,quam ſanguine non euacuato,ægrum magnopere cruciari. Tu non ætatem tantum ſpectabis, ſed alia, quæ in ſecandauena ſpectari ſolent.

Vult autem Ficinus nos partiri uenæ ſectionem, ſaltem in duas uices,interponendo ſex horas, ab una ſectione ad aliam.

Detrahit unc.x.in ſanguineis,& robuſtis.In mediocriter robuſtis unc. viij. in debilibus firmo tamen pulſu exiſtente unc. iiij.uel unc.ij.uel ad minus unc.j.& inquit,quod ſi bilis prædominarit unc.ij ad plus debemus extrahere. Sunt multa obſeruanda in quantitate ſanguinis detrahendi,quæ a Galeno,& ab alijs nota ſunt.

Secandam autem eſſe uenam ante tertiam diem ratione uirium;quæ tamen ſi poſt tertium,& poſt ſeptimum etiam ualerent cæteris conſentientibus, quolibet tempore ſecari poteſt, ut optime in methodo docebat Galenus,uerum tempore peſtilenti rariſſimum eſt,tamdiu uires firmas permanere, & præterea in quarta ſolet fieri aliqua criſis, ob quas rationes raro ſecamus uenam, niſi primis diebus.

Poſt uenæ ſectionem in ſanguineis(modo ſcilicet,nec papulæ, nec bubones, nec carbunculi appareant, cum alleuiatione morbi) aperit hæmorrhoidas fricando eas, cum folijs ficus, uel alia re aſpera,uel ſucco cępæ, uel uentoſis, uel lanceola,uel

ſan-

ſanguiſugis applicatis; quod laudo potiſſimum in his quibus retentæ ſunt conſuetæ hæmorrhoides.

Et ſi aliquid venæ ſectionem prohibeat, vt ætas, nec enim in totum, inquit Celſus, curandi ſunt pueri, vt ſeniores, tunc in pueris ducenda eſt aluus, & nutriendi ſunt leuibus cibis, in his enim parcius agendum, inquit Celſus; & præterea in pueris, & in imbecillioribus Ficinus loco ſectionis venæ, aperit hæmorrhoidas, etiam bulla apparente, modo ſcilicet, cum morbi alleuiatione non appareat.

Sunt etiam ſanguiſugæ locis conuenientibus applicandæ, quibus vti ſoleo, vel ventoſas, cum ſcarificatione adhibere poſſumus, vel etiam ſcarificationes ſolas, quæ quantum in peſtilente febre conferant expertus eſt in ſe ipſo Oribaſius. Scarificentur autem primo ſuræ, ideſt, partes carnoſæ crurium à malleo ſupra, parte inferiori incipiendo; & ſurſum aſcendendo, vſque ad mediam partem carnoſam, vt ſic ſanguis defluẽs non impediat ſectionem, liganda autem prius eſſe crura, & aqua calida abluenda, nemo eſt qui neſciat.

Scarificationes autem ſine ventoſis, & cum ventoſis fieri poſſunt, ac proinde, male dixere nonnulli ventoſas ſcarificatas nihil eſſe aliud, quam ſcarificationes antiquorum.

Alij ſi virium robur adeſt, eodem tempore vtramque baſilicam ſecant, ne ſi ab vna tantum trahatur, ſanguis venenoſæ qualitatis particeps a parte dextra ad ſiniſtram fluat. Verum recentius meo iuditio Nicolus Florentinus, qui admonet procurandum eſſe nedum vena ſecatur, materia ſuper membra, principalia tranſeat, ac propterea in bubone, & carbunculis nõ debet fieri, inquit venæ ſectio ad oppoſita reuellens, ſed debet trahi ad extrema, illi membro ſuppoſita, & ſuper ipſum membrum, licet ſint qui dicant, ſecta ſaphena oppoſiti pedis quando bubo eſt in inguinibus; minime trahi materiam venenoſam ad hepar. Tu vero ſic procede.

Si bubo nihil ue ſimile apparuerit cum adfuerint ſigna, quæ demonſtrant ſanguinem detrahendum eſſe, intrepide baſilicam dextram ſecato, ut ſic plenitudo totius corporis euacuetur, metiendo quantitatem, ut fit in alijs morbis, modo tamen parcus ſemper hoc tempore detrahatur ſanguis, vel etiam Celſi teſtimonio.

Al-

Altera die ſecetur baſilica ſiniſtri brachij partiendo. ſ. quantitatem ſanguinis, cum præſertim vena hac ſecta vapores a corde euacuentur Auicennæ, & multorum aliorum teſtimonio.

11. Tertii de canon. uniuerſal. & ad cur. cordis, & confirmat 10. 3. de Aſthmate

Interim dum vena ſecatur cordi, vel ſub axillis ea remedia applicabis, quæ ſupra, cum de præſeruatione egi adnotaui, vt interim cor defendatur, vt ibi dixi.

Et licet Raſ. cũ omnia ſigna prædominãtis ſanguinis videt cum virium robore ad animi deliquium vſque detrahit ſanguinem tutamen dicto modo te geres, maxime quia quando adeſt humorum corruptela a tali euacuatione abſtinet etiam ſeipſum Galenus alioqui in ſecanda vena audaciſſimus, quanto autem magis abſtinere nos debemus in peſtilenti febre a tali ſectione in quo non corruptela modo, ſed venenum prorſus adeſt?

Recte Celſus inquit non facile ſanguinem mittere in pueris ſcilicet, non facile ducere aluum, non cruciare vigilia, non fame ue, aut nimia ſiti; in ſumma ab his extremis cauendum.

Quod ſi non plethoricæ diſpoſitiones ſigna adſint, idem Raſis minus detrahit plus minus, prout plura, aut mitiora ſigna ſanguinis prędominãtis adfuerint crudorum vero humorum, ſi ſigna adfuerint, nullo modo ſecat venam, ſed purgat corpus.

Non deſunt, qui die eadem, clyſtere euacuant, & venæ ſectione, & per ſudorem; verum hoc tantum alexipharmacis fiat; idque caueto ne nimis defatigatam iam naturam fatiges. Et hæc quidem ſi non adeſti bubo, aut aliud ſimile.

Cap.

Cap. LVI.

AT vero ſi ſine alleuiatione bubo, aut carbunculus apparuerit in inguinibus anteqnam venam ſeces cucurbitulas natibus, & coxis applicabis magnas, quas alii etiam applicant ſuper ipſum bubonem, aut carbunculum; quod forte fieri poteſt ſi non adeſt intenſiſſimus dolor; alij ſuper ipſos ſtupas, uel ſpongias, licet ſtupas magis laudat madefactas in decoctione maluæ, & chamomilæ, vel alia ſimili attrahente, tepidas applicant, ut ſic materia venenoſa ad iam affectas partes, & ad inferiores attracta reuocetur a corde.

Secari autem debet eiuſdem pedis ſaphena, licet in plethorica diſpoſitione oppoſiti pedis venam ſecandam aliqui ſuadét, quorum ſententiam non reprobat Nicolus modo ſtricta fiat ſectio, vt ſanguis ſubtilis qui eſt cauſa antecedens primo euacuetur, poſtea eiuſdem pedis ſaphena eſt ſecanda ad euacuandam materiam coniunctam; verum raro datur tanta plethorica affectio, præſertim tempore peſtis, quo unuſquiſque ſtudet corpus mundum tenere, hac venæ ſectione facta ſub ſigno ipſo ponantur uentoſæ, cum ſcarificatione, uel fiant ſcarificationes, uel etiam ueſicatoria fiant ſub mãmas, uel in coxis, vel cruribus, inquit Nic. uel ſanguiſugæ ibi applicentur, & interim liniantur loca inter ſignum, & cor theriaca ipſa, quia pellit ante ſe uenenum, & prohibet raptum eius ad cror, ut multi dicunt, ego eam cum aceto diſſoluerem, poſſumus etiam uti alijs ſimilibus antidotis.

Aduertendum autem, quod ſi eſſet prægnans, quæ peſte laboraret, quod nec ſaphena ſecari, nec dicta inferiora remedia, ſine periculo aborſus fieri poſſent; ac propterea ab iſtis abſtinẽdum: & brachia ſunt ſcarificanda, uel eiſdem ſanguiſugæ applicandæ, uel etiam natibus, & hoc quando ſignum, uel bulla non apparet in partibus inferioribus, nam in tali caſu forte melius eſſet nihil horum tentare meo iudicio.

Verum ſi bubo in collo, uel poſt aures, uel a collo ſupra oriatur, ſiue carbunculus, ſine morbi alleuiatione, ſiue ſymptomatice, cephalica eiuſdem lateris ſecetur, uel uena prope digitum

ma-

magnum,quæ eſt cęphalicæ uicaria, deinde quæ in fronte eſt, aut etiam quæ ſub lingua.

Præſertim ſi angina adeſſet,uel tonſillarum maligna inflammatio,& dum ſecatur uena, ſeruentur quæ ſupra dixi.

Et quando,uel ob ætatem, uel uirtutis imbecillitatem, aut aliam ob cauſam prohiberetur uenæ ſectio, eius loco hæmorrhoides prouocẽtur,uel fiãt ſcarificationes,& uentoſentur loca,qęu ſunt a collo infra,& ibidem applicẽtur ſanguiſugæ;non circa emunctoria ipſa cerebri,inquit Nicolus,ubi adeſt ſignũ, ſed ad collum, ad ſpatulas,ad brachia,ubi etiam ueſicatoria applicari poſſunt, & interim loca inter ſignum, & cor liniantur theriaca,ut ſupra.

Si uero ſignum appareat circa cordis emunctoria, ut ſub axillis, brachijsue,aut partibus circũſtantibus, ut a fontanella colli uſque ad umbilicum,Secetur baſilica eiuſdem lateris,niſi forte in maxima plethora, de qua re ſupra, & ſeruentur quæ dicta ſunt,dum ſecatur; a ſectione autem ad brachia, uel manus,uentoſæ applicantur, aut ſanguiſugæ, aut ſcarificationes fiant, & ueſicatoria etiam excitentur; & interim loca inter ſignum,& cor liniantur theriaca, ut ſupra.

At uero ſi papulæ per corpus appareant,ſine morbi alleuiatione,ſiue in principio morbi,& ſymptomatice ob rationes dictas,& alias multas dictas,& a Valleſio,& a Mercato præcipue ne materia maligna diutius in uenis contenta ſanguinem inficiat,ſecetur baſilica,uel etiam communis,ſi & a Mercato loco ſupradicto,caput affectum uidetur,& die etiam ſequenti ſecetur ſaluatella quam ſciſſionem,maxime etiam momenti experientia ſe inueniſſe,dicit Mercatus in malignis febribus,& his, quibus maculæ illæ uulgares apparent, uel ab utroque latere detrahatur ſanguis, ut ſupra dixi,maxime ſi cor defatigari percipiat,ut fumoſitates,ſiue uapores a corde euacues,& reuellas.

Eadem die, uel quam citius poteris, applicentur uentoſæ, cum ſcarificatione,ubi præcipue papulæ apparent, ut in natibus,coxis,lumbis,hypochondrijs,brachijs; & etiã in ſpatulis, licet circa regionem cordis, quod factis alijs dictis euacuationibus tuto fit,ad reuellẽdum a partibus interioribus, ad exteriora,fuliginoſa illa excrementa:unde poſtea etiam melius cor euẽtatur,interim ſeruãdo quę diximus ſupra,dũ uena ſecetur.

Et

Et a venæ ſectione, & poſt dictas alias reuulſiones ſi morbus diutius perſeueret,non erit inconueniens, ſi nihil obſtiterit veſicatoria in cruribus excitare, vt ſic continuo reuellamus a corde,de qua re infra Cap. 58. Quod ſi aliquid uenæ ſectionem impediat, utere cucurbitulis dictis in regionib. applicatis,de quorum vſu,uide Hippocr.lib. de Vſu cucurb. Celſus præterea inquit quod quibus uires non patiuntur ex uena ſanguinem mitti, cucurbitulas applicamus, auxilium minus ſane vehemens,ſed magis tutum, & quod neque cum periculo eſt, etiam ſi in medio febris impetu, etiam ſi in cruditate adhibeatur.Præcipue autem meo iuditio conueniunt,quando ſolet natura per cutim noxios humores expellere, ut in peticulis, de qua etiam nonnulla,infra cap.dicto 58. *L.2.c.11.*

Facta uenæ ſectione, uel cucurbitulis applicatis, detur denuo aliqua antidotus,cum aliquo ſyrupo conuenienti, vel ſaltem cum aqua ſtillatitia,uel cum iure alterato, nec enim matutino tempore,tantum huiuſmodi auxilia, ſed & ante cœnam, & media nocte vtiliter dantur,vt & continue peſti reſiſtamus, & humores præparentur,& viæ aperiantur.

Poſt dicta non expectata coctione modo vires conſtent, & criſis ſigna non adſint, & Ficinus, & alij probatiſſimi uiri aliquo medicamento leui ſaltem purgationem tentant. Nam Celſus inquit,quando celerius huiuſmodi tempeſtates corripiũt, eo maturius auxilia etiam cum quadam temeritate rapienda ſunt,neque expectanda eſt bona criſis in peſte, neque coctio, quam neque moliri natura poteſt, vel quam ſaltem uirtus expectare non poteſt prius a veneno uicta, niſi prius aliquod ueneni cum humoribus extrahatur,inquit Ficinus. *Lib.3.7.*

Adde quod quando humores concoqui non poſſunt exſiccandi ſunt, atq; euacuandi Hippocratis,& Galeni decreto. *6.ep.2.31*

Attamen licet nulla adeſſet,vel parua concoctio, & appareret aliqua excretio a natura,cũ alleuiatione facta,ut bubo, carbunculus,papulæ,caueto a purgatione,à qua etiam cauendum ſi obſeſſa fuerint inflammatione hypocondria,& alia ſigna adfuerint,quæ illam prohibeant ab Hippocr. dicta, & a Celſo loco ſupradicto. *4.Acut.*

Si vero excretio dicta fiat ſine vlla alleuiatione, purgabis, ut dixi leuibus medicamentis obſeruando, quæ dum ſecatur

uena obſeruanda eſſe diximus. Sic Aetius in doloribus iun-ćturarum procedit, ne materia agitata a medicamento, vel a venæ ſectione mota maſſa ſanguinea, concurrat ad loca affecta.

Non tamen eos probo, qui ſæpiſſime dant purgantia medicamenta, licet etiam leuia ſint, tamen quia coctionem impediunt, quæ quiete fit, tum quia criſim aliquam impedire poſſunt, tum quia aliqui ſæpe humores mouentur, qui cum non perfecte educantur irruunt in partem aliquam nobilem, tum etiam, quia non eſt tutum ſæpius malignos iſtos humores per inteſtina deducere, ne tandem dyſenteriam pariant incurabilem. Vnde Hippocr. purgationes inquit multos offendebant, & multos ſuſtulit uenter, a fluxu illo colliquatiuo ſcilicet. Et ſi caput afficeretur in papulis, vt fere fit, clyſteribus mollibus potius, quam continuis pharmacis prouidendum, & procurandum, ne uenter aſtringatur.

3. epid. 56. & ſeq.

Completa euacuatione, & ſedata agitatione pharmaci, aliquam antidotum dabis, ut antea admonui, non tamen dabis eam, et maxime ſi theriacam habeat, antequam peracta ſit purgatio, quia theriaca, ſi bene parata fuerit pharmaci operationem impedit, inquit author. l. de Ther. ad Piſ.

Interim tamen ad reſtaurandas uires acidum citri dare, uel aquam carnis ſupradicto modo paratam. Maxime autem poſt dictas euacuationes ſudorifici antidoti continuari debent, in papulis enim tutior eſt euacuatio, quæ fit per cutim. ſint tamen leuia ſudorifica, neque ſuffocet tegumentis patientes, ſed mediocriter tecti expectent, ſudorem non violenter prouocent.

Abſtinendum profecto a medicamentis fortibus, & ab his præcipue, quæ uomitum mouent, quale eſt antimonium a multis commendatum, licet enim leuia vomitiua non damnem, quæ materiam in ventriculo contentam euacuare, ſine noxa poſſunt, præcipue quando nauſeabundus eſt æger; tamen non tuto materia per totum corpus ſparſa mouetur uerſus ſpiritualia, nec tuto euocatur ad uentriculum a reliquo corpore.

Gentilis, & Iacobus Carpenſis, & Fallopius, licet talia medicamenta non commendarent, tamen copioſe aluum deiiciendã eſſe ſuadent; ego ſcãmoneata omnia interdico, pręcipue ne cauſetur fluxus ille, qui omnes tollebat Hipp. tempore.

Leuiora commendo, inter quæ etiam locum habere poſſe

cre-

crediderim,& reubarbarum,& agaricum modo ſit optimus.

In principijs laudo,hoc. Recipe ſyrupi roſ. ſol.unc.iij.man næ electæ unc.i.ſyrupi de cicor.cum reub.compl.unc.ij.decoct. florum,& f. cord.q. ſ. cui libenter etiam admiſce unc. i. ſyrupi de acetoſ.citri,uel Recipe ſyrupi roſ.ſol.unc.iiii.reubar. electi drac.i.decoctionis tamar.& florum cord. q. ſ. miſce. Si loco reub.uis ponere drac.i.elect.de ſucco roſ.vel roſ.meſ. vel dia-mannæ, vel alterius ſimilis id facias, ego libentius alijs utor, eoque magis quia quæ dixi,uermes etiam enecant, qui ut plu-rimum,cum peſte moleſtant.

Si bolum maluerit æger. Recipe diaprunis ſimpl. uel lenit. uel diachatol.drac.vi.reub.elect.ſcrup.iiii.uel ſi pituita peccat agar.troc.ſcrup.iiii. pulpæ tamar.drach.ii. miſce, & f. b. elige, quod uis ſecundum materiam peccantem.

Vel ſi humores aduſti fuerint,& etiam maxime ſeroſi. Reci pe ſyrupi de fumo terræ ſol.de quo ſupra cum de præſeruatio ne, unc. iii. ſyrupi roſ.ſol.unc.ii. mannæ electæ unc. i. decoct. ſupradictæ q.ſ.

Si leuiora cupis.Recipe floris caſię nouiter extractę drac.i. s.pulpæ tamarind.drach. ii. miſce, & f. b. uel Recipe diapru-nis s. aut diaſebeſten lenit.vel elect. lenit. uel diacathol. drac. x. & f. b. uel Recipe floris caſię nouiter extractæ drac.x. pul-ueris diamarg. f.vel diarhod. abb. uel ſem. citri drach. s. uel alterius ſimilis,miſce,& f.b.uel Recipe mannæ, ex fol. fraxini collectæ ſi habetur, optima eſt enim,& uenenis omnibus reſi-ſtit unc.iii.detur cum decoct.tamar.tamarindi enim, & ſyru-pus roſ.ſol.& omnia quæ ex roſis parantur mihi, maxime ari-dent,refrig. enim,& ſiccant, putredinem emendant,humores in primis uiis peccãtes nulla perturbatione purgant,aliud Re-cipe tryferæ perſicæ drac.vi.reubarb.electi drac.i.miſce,& f.b. aliud Recipe reubarb.ellecti drac.ii.ſquinanti gr.v. uel eius lo co ſpicæ nardi tantundem infundatur in unc.ii. infuſ.ſolutiuæ roſ.per decem horas, deinde facta forti expreſſione coletur, cui adde mannæ electæ unc.ii.ſyrupi roſ. ſol. unc.i.s. miſce,& f.p.his uel illis utere,& in principio, & etiam progreſſu tem-poris poſt aliquam præparationem,maxime poſt ſeptimam, ſi interim nihil decretorii aduenerit.Confectio hamec,tunc tem poris poteſt dari materia aduſta,uel etiam pituitoſa peccante;

ualet elect. de citro ſol. humoribus omnibus peccantibus, de quo ſupra; quod ſi quis pilul. maluerit, licet in febre non ſunt, adeo tutæ, eo quia impenſius calefaciunt tum potes, uel eas de tribus, cum reubarb. uel communes dare, quas ſi minus purgare credideris, cum media parte pilul. aggreg. uigorabis, ut Recipe pil. de tribus, cum reubarb. aggreg. an. ſcrup. ii. uerum poſt pilulas propina ſeri lactis depurati, & cum tamarindorum pulpa præbulliti ad minus unc. vi. ſyrupus ſequens diuinus dicitur in curando, & præſeruando a peſte. Recipe corticum citri, rad. capparorum, berberorum, ſand. ſpodii an. drac. ii. gariophyllatæ, meliſſæ, bugloſſæ, borag. cichoreæ an. man. i. acetoſæ, praſſii, hepaticę an. man. i. s. ſcariolæ ſylueſtris drac. ii. ſeminum cucurbitæ, citruli, cucum. peponum, uiolarum an. man. i. thimi epithimi, agarici, reubarb. ſenæ polipod. q. an. drac. ii. ſucci abſinthii, fumiterræ, ebuli, plantag. an. drach. vi. mirabol. chebul. drac. i. citrinorum drac. s. diagrid. drac. ii. ſacchari albi lib. 2. fiat ſyrupus arte, qui acetoſetur, aceto, citoniorum. Attribuitur hic ſyrupus magiſtro Petro de Tuſſignana; ego addo alia, quæ magis peſti reſiſtunt, quæ ſupra potes habere, in robuſtis non habentibus uentrem lubricum ab unc. i. s. ad unc. ii. cum aqua bugloſſæ, ſemel in ſeptimana licet bis, & ter eum dat Montag. tam in ægris, quam in ſanis, & ſi detur, cum antidoto de ſanguine, uel alia ex dictis; ualet magis. Eundem ſyrupum, & Montagn. & Ficinus deſcribunt, uerum uariant in doſi. factus eſt ad ſimilitudinem tryſeræ perſicæ, licet magis ſoluat.

Cap.

Cap. LVII.

POST dictas euacuationes, tam per venæ ſectionem, quam per purgationem factas, quo tempore etiam diximus eſſe procurandum dare aliqua, quæ peſti aduerſantur; danda ſunt ſyrupi, aut decoctiones, aut apozemata, aut antidota, quæ humores quidem contemperent, & præparent, & vias aperiant, ſed multo magis veneno huius peſtilentiæ aduerſentur. Siquidem, vt iam ſupra diximus, hæc indicatio a peſtilentib. ſeminariis deſumpta alias indicationes vincit; & præterea non eſt, quod ægrotantibus negotium faciat humorum cruditas illa communis, cuius coctionem poſtulamus, ſed malignitas illa quæ coctione emendari non poteſt, ac quæ exſiccari poſtulat, & euacuari, vt ſupra dixi; dentur ergo ſyrupi appropriati humoribus peccantibus, de quibus, cum de febribus putridis, quibus ea miſcebis quæ peſti aduerſantur.

Recipe ſyrupi acetoſ. citri vnc.j. de ſucco acetoſæ, acetoſi s.an.vnc.s.decoc.infraſcriptæ vnc.iiij. miſce pro ſyrupo. deco. ſic paratur.

Recip.acetoſæ man.j.cichoreæ,cicerbitæ,endiuiæ,borag.an. manip.i. meliſſę,capil ven.an.manip.s.ſcordei,ſcabioſæ,florum cord.ana p.j.rad.tormentillæ vnc.j.rad.angelicæ drac. ij. ſeminum,& corticum citri,an.drac.j.ſem.acetoſæ drac. ij. ſem. cor. f.an.drac s.hordei manip.j.f.decoctio ſecũdum artem ad med. conſumpt.deinde coletur, in colatura per noctem infunde terræ ſigillatæ,vel boliarm.or.puluerizatæ,& præparatæ modo ſupradicto in petia linea rara ligata,& mane leui facta expreſſione in dicta decoct.miſce cum dictis ſyrupis,& propina;adde dictę decoct.ſi vermes magis infeſtant agrimon.granum,& ſi pectus liquiritiam,& paſſulas,& caricas,quæ etiam ad cutem mouent, vel exhibebis margaritas, aut pulueres cordiales, vel aliquã antidotum ex dictis,cum dicto ſyrupo,aut ante cum cochleari, & ſyrupum ſuperbibat.

Aliqui berberorum lib.1.in 10.vel 12. lib. aquæ cum fruſto panis,vel cum aliquibus ſem.feniculi per nocte infundunt mane colant, & cum ſyrupo acetoſ. citri, vel cum zuccharo, aut

zuc-

Alpinus 4 de medic. Aegipt. 1.

zuccharo roſato largiter propinant.

Sunt qui ſtillatitias aquas ad balneum mariæ paratas anteponunt decoc. quia tenuiores cum ſint, promptius penetrant, & citius operantur, cito autem auxilio agemus; dentur ergo aquæ acetoſæ, borag. roſarum, cichoreæ, cicerbitę, trifolij aceto ſi, endiuiæ, & ſimilium, cum dictis ſyrupis, & antidotis.

Syrupus etiam de limon. & granatis de berberis, ſiue ribes, de agreſta, acetoſ. ſ. de cichorea, de endiuia, de borag. oxizac. roſatus ſimplex, qui miſceri debent cum ſyrupis, qui humorem peccantem reſpiciunt.

Et quoniam ad cutim euocare optimum eſſe cenſent, maxime poſt purgationes, ad quam, vt plurimum in his morbis natura mouere ſolet, optimum fore iudico decoctionibus dictis hordeum addere, & alia huiuſmodi quę, abſque calefactione ſudorem mouent; nonnulli rad. cannarum, alij chinæ radicem addunt; verum iſta potius, quando in declinatione eſt morbus, & nullam aliam natura euacuationem tentauerit.

Et quoniam morbus iſte continuo maxime fatigat naturam, & citiſſime ſolet ad malum terminare, ideo bonum eſt cõtinuo etiam contra ipſum præliari, & ab eo nos ſe defendere, & ut Celſus monet, quo celerius eiuſmodi tẽpeſtates corripiunt, eo maturius auxilia etiam, cũ quadam temeritate rapienda ſunt, propterea ego non in diluculo tantum, ut mos eſt, vel in declinatione acceſſionis, ſi aliquam habet febris acceſſionem. Sed etiam (modo febris acceſſio, aliquodue accidens nõ repugnet) ante cęnã per tres horas, aut apozima aliquod propino, aut ſyrupum, aut aliquam decoctionem, ut eſt antedicta, aut aliquam ſtillatitiam, cum aliquo antidoto, vel ius alteratum, cum dictis herbis peſti reſiſtentibus prius, cum cochleari aliquem puluerem ex dictis, vel aliquam antidotum, de quibus ſupra abunde exhibendo.

Reeipe prædictę decoctionis libras ſex, quibus adde ſucci acetoſ. citri, vel limonum, vel granatorum acetoſorum unc. iij. zucchari albi vn. iij. miſce, & vnica bulliat ebulitione, ita vt zuccharum diſſoluatur, & ſerua vſui, detur modo antedicto.

Vel etiam ſæpius in die, cum aliqua antidoto, & ſi fuerint uires debiles, vel ſaltem eorum caſum times, ob mala accidentia aliqua, quæ ut plurimum adſunt, ſicuti, antea patet, vel etiam

ob malignitatem morbi ipſius, in die, quando tranſacta fuerit tertia hora poſt cibum aſſumptum aquam carnis ſtillatitiam, cum ſuccis dictis acidis, vel etiam cum puluere cordiali, aut aliqua antidoto dabis.

Aliqui laudant ſyrupum, qui eſt. Rec. ſucci acetoſæ, & borag. bugloſſæ, meliſſæ prunorum acetoſorum; omnia per reſidentiã depuratorum, aquæ nenuf. endiuiæ, acetoſæ roſ. an. quartariũ.i. ſandal. alb. & rub. an. drac. j. coriandr. præpar. drach. ij. roſarum rubearum unc. s. zucchari quartar. tres, vel quantum ſufficit, ut f. ſyrupus arte, uel Recipe ſucci meliſſæ, borag. bugloſſæ, cichoreæ an. vnc. iiii. acetoſ. citri, vel limonum, vel aranciorum, vel granatorum acetoſorum vnc. s. aceti albi unc. s. ſacchari lib. .if. ſyrupus, vel iuleb. addendo ſi lubet aquam roſ. & acetoſæ.

Ioannes e Saliceto prædictis ſyrupis purgantia addit; verũ quotidie vti purgantibus, non laudo rationibus antedictis, eoque magis, quia coctio, quam ſyrupis tentamus coctione fit, vt lib. de ratione in acut. patet; & præterea naturæ motus poteſt impediri. Si tamen quis, per interualla ad mouendam aluum, cum dictis infundere voluerit fol. ſenę, & tamarind. an. drac. ii. per noctem, & poſt vnicam ebullitionem mane colatum propinare, non erit ab re, uel ſyrupum roſ. ſol. uel mannã, aut caſiam illis miſcere.

Poſt debitam pręparationem natura nihil mouente cretice, purgãdum corpus eſt aliquo medicamento conuenienti, quod ex ſupradictis elige.

A purgatione frequentabis antidota ipſa, eo quia melius, tunc proficient, præcipue autem frigida dabis, ſi ſitis intenſa fuerit, & alia adfuerint ſigna internarum partium ardorem demõſtrantia, quæ ſolent dari, cum aquis ſtillaticiis cordial. & peſti reſiſtentibus, vt hoc pacto etiam intemperies febrilis emendetur, & ſeminaria peſtis extinguãtur.

Quod ſi nullum incendii ſignum adfuerit, neque profuerint refrigerantia antidota, ſi ex re ſibi viſum fuerit calidis vti, ea cauſa aliquã potionẽ refrigerantẽ dabis, vt ſupra docui, ubi antidota eliges, & memento illi, quod magis vrget attendere, ſoli ſi imminet periculum in mora, non ſoli, ſed altero non neglecto, quando morbus dat inducias, ut ſupra de mente Galeni dicebam.

Hoc

Hoc etiam tempore ſi ad extinguendum febrilem calorem non ſufficiunt antidota, vel alia ſimilia frigidæ potum largiorē damus ex Pauli, & Aetii ſententia, largiorem dixi, quia ſi copioſe non detur nihil conferet, ut cap. de cauſone dixi, & dicti authores admonent.

Refrigerantia etiam pectori admonenda ſuadent, pro hac intentione, ut infra apparebit, cum de ſympt. iſtarum febr. agam.

Vbi etiam febris attenuata fuerit, inquit Celſus, aut leuata eſt, vomitu purgare oportet; & ſi pituita, inquit in ſtomacho coit, inclinata acceſſione uomere cogendus eſt æger. Tu leuiter uomitum prouocabis, natura eum tentante, uel mouente, & in facile uomentibus.

Pari ratione ſudorem hoc tempore, urinaſque, & alias ſimiles euacuationes, uel mouebimus, ſi occaſio adfuerit, uel naturam eas euacuationes mouentem adiuuabimus. Canones obſeruando a Galeno, & Hippoc. dictos, quæ nos tract. de Febris putridis longiori oratione referemus; materiam horum auxiliorum pete ſupra cap. 44.

Sat fuerit adnotaſſe, quod ſi naturam aliquam criſim utili-
1. Ap. 21. ter tentauerit, eam eſſe adiuuandam: nam quo natura uergit, & per loca conuenientia ducere oportet. Si uero nullam tentauerit euacuationem, & tamen morbus urget, & prædicta remedia conferre non uideantur, unde mortem timeamus; antequā penitus hominem morbus apprehendat, procurare debemus abſceſſus illos prouocare, qui ſoliti ſunt iuuare morbum; ea eſt
6. ep. 3. 40 Hippocr. ſententia. Si ergo tempore peſtis, natura ſolet ſoluere morbum per cutim ad eam euocandi ſunt humores, ut infra, cum de papulis dicam, & de uariolis. Si per bubones, ſunt iſti procurandi, ſi per urinas, ſunt urinæ mouendæ, & ſic de aliis; non tamen quilibet abſceſſus ſemper ſunt procurandi, ſed qui, ut dixi, ſolent tales morbos iuuare. Ad partem etiam quandoq; prouocantur humores, quando pars dolet, uel alia ſigna habet humoris ad ipſam deriuantis. Sic ſæpe dolores podagricos conſuetos utiliter prouocamus, ſic hęmorrhoidas conſuetas, quando præcipue eò uergit natura.

6. ep. 3. 41 Fiunt autem inquit Hippocr. ex aliis locis in alios morborum ſuſceptiones, aut ob aliquem dolorem, ſeu laborem illius membri, in quod decumbunt, aut ob frictionem, aut aliquam

ab extrinſeco aduenientem caliditatē, aut ob acre aliquod medicamentū irritans, aut ob humoris grauitatem, aut propter cōmunem membrorum conſenſum. Ex quibus manifeſtum eſt quomodo medicus etiam poſſit decubitus prouocare ad partes aliquas, & quibus etiam remedijs. Emunctoria inguinum conſenſum cum iecore habent, quæ ſub aſcellis ſunt cum corde, ſi tempore peſtilenti ſolent fieri abſceſſus ad illas partes frictionibus, vel calorifico exteriori aliquo non ab re prouocabuntur, fomentatione puta rerum relaxantium & moderate calefacientium, vel etiā dolorem excitando & attrahendo cucurbitulis admotis, vel ſimilibus auxilijs. ſi hæc non conferunt acrioribus medicamētis utendum, modo tamen nihil ſit quòd prohibeat. Quæ haberi poſſunt ab authoribus penè omnibus qui de ſinapiſmis & phęnigm. ſiue veſicatorijs tractant. ſic Ficinus in peſte iubet veſicatoria fieri in brachio dextro, in parte anteriori ſub muſculo ſolito, vel etiam vbi tangimus pulſum non tam ſupra pulſum, & alterum in crure dextro ſub talo. Non ſunt tamen hæc remedia temere vſurpanda in febribus maxime. Verum de phęnigm. iſtis audio optime multa diſputaſſe Excellētem Maſſariā nunquam ſatis laudatum, quare illi manus do libenter. Reuulſionibus etiam hoc tempore vti ſolemus, cucurbitulis, ſcarificationibus, ligaturis, & ſimilibus, ad quæ dicta veſicatoria etiam pertinent, quibus reuulſionibus ad prohibenda accidentia ſæpe vtimur, & ad reuellendum humores a capite, & a corde, ſed iam ad ſuperuenentia ſymptomata deueniamus.

Cap. LVIII.

SI itaque bubo appareat, poſt euacuationes dictas nunquam dimittendo vſam antidotum, ne forte retrocedat bubo, & ne ex eo vapores peſtilentes petant membra principalia iubent veſicatoria ſub ipſo bubone applicari, & aperta teneri, cum folijs caulium butyro inunctis, vel decoctione ex ſcabioſa, chamomilla, meli loto, & malua, ſpongia admota. tu potes vti diadictamu Galeni. Si ergo bubo fuerit poſt aures ſub ipſo in collo applicet ve-

ſicatotium. Si ſub aſcella in brachio eiuſdem loci affecti, ſi in inguine circa talum cruris è directo reſpondentis, ſi in iugulo anteriori apparuerit,applicetur retro,& è latere gutturis, ſi retro apparet, applicetur ſub ipſo bubone, nunquam autem fiat in parte anteriori, ſi in alia parte, applicetur ſub ipſo bubone per ſex digitos, ita tamen vt nunquam apponantur in pectore iſta veſicatoria inquit Ficinus. tu etiam caue ab arterijs,& venis,& neruis & tendonibus,nam vidi ſæpe ſęua accidentia ſequuta quando iſtis partibus admota fuere.

Interim dum dicta veſicatoria vel aliæ etiam reuulſiones & diuiſiones procurātur, procurabis,ne materia mota petat cor, vel ad eos vapores mittat, vt ſupra diximus cum de venæ ſectione & de purgatione verba feci.

Scito enim inquit Ficinus quòd poſtquam venenum intantum decurrit ad applicāda vt principalia membra ſint per hoc alleuiata, niſi per bene & continue id ipſum trahas, & rectifices,& purges intrinſecū apoſtematis venenū,plus exaſperatur, contractū vaporat ad intra & occidit. Idcirco loco ipſum forti fica conſtringendo vias eius intus ſupraſcriptis antidotis,& ab extra. ſ.epithematib.& vnctionib.ſupradictis humores ſæpius euacua,de qua re cum de purgādo diximus noſtrā aperuimus ſententiam, venenum plagę inquit rectifica, nihil ſperes certi ex illorum ſpe ſanitatis præter rationem, quinimo nec ad inſtans ob hocà remedijs ceſſes,maxime ſi adhuc ſeptimus non ſit elapſus dies. nam eodem authore qui poſt ſeptimum perijt diem mala potius cura id euenit quam huiuſce natura morbi. Hæc Ficinus, quæ comprobant Aetij & Celſi documentum & multorum aliorum qui ſuadent in peſte temere etiam omnia tentare.Illud tamē tu mēte teneas,morbis vt proſis, vel ſaltem non noceas:neq; id tibi videatur paruum aut contemnendum documentum, nam ſi temere aliquod auxilium adhibueris tūc huius præcepti vtilitatem cognoſces,inquit Gal. unà cū Hipp.

1.Epid. 2. 49.& 1.de Cōp.m.5. Gen.f.63.

Ac proinde licet multi ſuadeant ſuper bubonem ipſum nempe in partibus, quæ interiacent à bubone ad cor repercuſſiua poni,ut eſt bolus arm.cum aceto & ol.roſ.& aqua roſ.quòd remedium etiam membra circumſtantia defendit a corruptione, ut inquit Nicelus Flor. tamen timerem ego ne hoc etiam remedio prohiberentur humores a corde & à membris ſupe-

rioribus

rioribus & principalibus fluere ad locum affectum,ad quē continuum attrahere volumus,niſi forte tota materia venenoſa ad locum iam fluxa eſſet,de quo quis poteſt eſſe ſecurus,cū vt antea diximus continue venenum in corpore latens in ſuam naturam omnia vertere tentet? Tutius ergo meo iudicio fuerit reuulſoriis uti,& iſtis prouidere ne à loco læſo ad mēbra principalia materia recurrat,& ipſa membra interius & etiam exterius corroborare,ut antea diximus. Si quis tamen theriaca illinire voluerit interiacētes partes,hoc non prohibemus,de quo remedio ſupra cum de venæ ſectione & purgatione agebam.

Volunt autem quando ex alleuiatione morbi,& accidētium ſperamus materiam totam in bubonem collectam eſſe, quòd ſi fuerit in membro non emunctorio,neque in membro propinquo membro principali,quòd tunc ponantur repercuſſiua circumcirca ſi vero fuerit in membro principali, vel in emunctorio,quòd ponantur tantummodo in parte quæ eſt inter principali & emunctorium,vt quæ eſt propinqua principali.

His peractis iam tempus eſt ad bubonem remedia applicare. Iubent itaque,ſi bubo liuidus eſt,& malignus ſicuti vt plurimū in peſte contingit,ſuper ipſum ponere magnā ventoſam, vt materia ad affectū locū trahatur,attamē ſi fluxus per ſe eſſet multus, timenda eſſet ex tali uentoſa corruptio membri meo iudicio, & ne vehementiſſimus dolor excitaretur; hoc ergo in caſu omitte hoc remedij genus, vel ſub bubone ventoſam applica, licet ſi ueſicatorium ſub eo excitatū eſſet,non eſſet etiam hoc neceſſarium. Si autem multus fluxus non eſſet eam ut dixi applicabis. Et poſtquàm ipſam extraxeris, ſcarifica bubonem uarijs in locis. & poſt ſcarificationē aliam uētoſam applica, ut ſic ſanguinem extractas, quo extracto eam remoue, & tres ſanguiſugas purgatas ad loca ſcarificata applicabis, quas cum plenæ bene fuerint, remouebis,& hic pullos,uel pullos columborum per medium dorſi diſſectos calore ſuo naturali calidos applicabis,remouendo unum, & alterum calidum admouendo,quando refrixerit alter. qui etiam calefieri poſſunt in decoctione calida Chamamillæ,maluæ,ſcabioſæ & ſimiliū. Alij horum loco Gallum ſic applicant. Deplumetur gallus circa anum & ſi feces non excreuerit,procura ut eas excernat cum ſuppoſitorio ex ſapone albo uel nigro cum ſale, fecibus excre-

tis inunge ſi lubet theriaca præparata cum cępa,vt antea adnotaui anum Galli, & Sale in ano indito, ipſum anum Galli loco affecto applica, interim ſtringendo os Galli vt ipſe cogatur per anum venenum trahere, & ſic per horam dimitte, & poſtea alium renouabis,& ſic continue procede continuando tota die, donec venenum perueniat ad cor Galli, quòd cognoſces, quia tunc Gallus cito moritur. Alij Ranas applicant vt dixi de pullis. Alij emplaſtra attrahentia ſuperponunt vt quòd Recip. cępæ,& ſcillę in partes minutas inciſarum,ana lib. s. bulliãt ad perfectam decoctionem,tunc piſtentur & contuſis adde mellis albi vnc.iiij.terrebinthinæ,vnc.ij. pulpæ ficuum,vnc.iij. Alij nuces rancidas cõtuſas applicant,alij raphanum alij ſinapiſmos,& etiam veſicatoria.

Poſtquam ergo hoc vel illud attractorium ad locum remoueris, quibus tamen vti licet per diem, theriaca maxime cum cępa præparata,vt antea dixi,locum affectum inunge. Poſtea quieti ægrum dimitte, & deinde hora conuenienti ipſum reſtaurabis, vt dixi cum de dieta loquerer, & poſt eius reſtaurationem cauteriza locum cum auro,aut argento, aut ferro ignito,& eſcara facta poſtea pluribus in locis nouacula incide,vt facilius poſtea cadat,& quòd intus eſt venenũ melius expiret, poſt hæc butyro inunge eſcaram ſic inciſam ſuperponendo folia caulium, vel butyrum appone cum oleo & axungia, vel emplaſtrum brancæ vrſinæ, maluæ, radici alteæ mundatarum ante contuſarum cum axungia porci non ſalita, & butyro antiquo,& dimitte, ſimul putreſcere per tres dies, poſtea exprimantur & colentur,colaturæ adde parum ceræ & maſticis, & vſui ſerua, & ægrum quieti tradito,& ſic inungendo procede, donec cruſta per ſe cadat, & quandoque magnam ventoſam applicabis,quæ totam plagam ambiat,neque eam tangat ſed tãtum partes ſanas circumcirca exiſtentes attingat,ſic enim venenum ſine dolore extrahes. Alij timent vſum humectantium, ac propterea illius caſum procurant cum præcipitato cum butyro mixto, vt cum unguento ægithiaco, vel puluere vitrioli, quibus vulnus impleri iubent donec bene mundificet, & mala qualitas amoueatur,quæ eſt curatio recta meo iudicio.

Aduertendum tamẽ quòd ſi in principio morbi facta eſſet ſcarificatio quando nondum materia tota ad locum expulſa

eſt,

eſt,quòd tunc non expectatur caſus eſcaræ, ſed illico cum pilo quantum eſt poſſibile amoueatur, ne per eam inquit Nicolus prohibeatur defluxus materię,quæ in profundo remanſerat,& hoc ſiue profundum fuerit cauterium,ſiue non:ſi vero inquit Nicol.factum fuerit cauterium in proceſſu temporis præcipue in ſtatu, quando tota materia vel ferè tota ad locum expulſa eſt,tunc bene potes caſum eſcaræ expectare,quia morbus dat inducias. *Cũ de carbunculo loquitur.*

Non eſt cõtemnendus modus curandi a Valeſio deſcriptus, qui in parotidibus malignarum febrium, mox atque oriri incipiũt, oleo relaxante aut Chamomelino foueri vult ipſas parotidas,quòd ſi exire cunctetur parotis, cucurbitulam affigit ne ſit minor abſceſſus quam prodeſſe poſſit, vbi autem abſceſſus fuerit ſatis manifeſtus factus ſi breui nigreſcat plurimum, rurſus mittit ſanguinem, ne ſit maior abſceſſus quàm poſſit ſuſtineri,mox vero durum adhuc tumorem,neque vlla ſuppuratio ne expectata,ignito ferro aperit,altera quidem in parte, ſi alteram ſolam obſederit tumor, in vtraque vero ſi utramque, & poſt hęc cataplaſma ſuppurãs apponit,& plerunque inquit res bene ſuccedit. nam breui computreſcens tumor inuncta eſcara ſcilicet,quotidie ut fieri ſolet butyro vel alio ex ſupradictis, pus manare incipit, & per id orificium caput & reliqua viſcera perpurgantur.Neque id cuipiam uideri debet atrox, inquit Valeſius.pars enim adenoſa per ſe ſe quidem uilis eſt,quamq; ob id licet urere ſecare & vtrumq; contemnere.Idem Valeſius in malignis inflãmationibus & gangrenis,non eſſe expectandũ horum auxilium ex ſolis remedijs uniuerſalium uocatis aſſerit (tam & ſi hæc debent topica antecedere) ſed citiſſime deueniendum eſſe ad ſectionem,vſtionem, & ſiccationem maxime, & paulo poſt inquit, ꝙ peractis uniuerſalibus dictis mox in ipſa parte ferro igne & ſicciſſimis medicamentis cenandum eſt putreſcentiam extirpare. Nam inquit hac ratione in peſtilentibus conſtitutionibus ſeruantur plurimi. *5.Epid.16. et lib. eiuſdẽ.7.92.* *5.Epid.4.*

Alij prius crudos bubones oblique ſecant,ne intro retrocedat uenenum, & ob hanc cauſam uentoſas & alia attrahentia, applicãt & ſi a ſectione immineat corruptionis periculũ ſtatim inurũt, & dicunt,ꝙ ſi prius inuratur,ꝙ uenenum intus clauditur,uerum ſi profundnm fuerit cauterium,hoc periculum effu

giunt

giunt ut infra ex ſententia Nicoli dicã,quando carbunculum curabo; ſi uero non liuidi fuerint bubones ſed rubei coloris, uel ſub rubei, eos quidem ſubito eſſe aperiendos docent, poſtea lauari cum lixiuio calido, & ſalito,& poſtea imponunt puluerem ſublimati, uel troc. de minio & theriaca exterius inungunt quam etiam intus nos ponere poſſe aiunt.

At vero ſi bubo benignus fuerit ſine ulla malignitate maturantibus nos procedere docent, mollificantia admiſcendo ſi durities una adfuerit,quæ certe ratione dicta ſunt,uerumtamẽ tempore peſtis quando ſuſpecta omnia ſunt,& licet horum accidentia leuia quando apparent,mox tamẽ peiora ſe demonſtrant,tutius crediderim procedere ut antea docuimus, ſectione ſcilicet, uſtione & exſiccatione.

CARBVNCVLI CVRA. Cap. LIX.

SI uero Carbunculus ſuperueniat facta euacuatione,& cordis cõfortatione & aliis peractis uniuerſalibus, quæ de bubone dixi,ad localia deueniendum eſt, & primo illud adnotandum ꝙ licet emplaſtrũ de arnogloſſa a Galeno in principio ad repercutiendũ, & illud de Granatis ab Auicenna deſcriptum in Carbunculis plurimũ cõmendentur, tamen tempore peſtilenti nullo modo talia conueniunt, licet etiam moderate reſoluerent, ne materia peſtilens ad interiora repellatur.

Sed quàm primum materia Carbunculi educenda & Carbunculus mortificandus.

Ad quas intentiones exequendas primo uentoſas applicãt, & poſtea ſcarificant profunde,maxime in circuitu, poſtea locũ ſcarificatum fomentãt cum decoctione Chamomillæ,roſæ,maioranæ ſpicæ,& ſimilium,uel cum aqua ſalita,aut cum aceto & aqua ſalita uel cum lixiuio & ſale,ut ſcilicet ſanguis melius effluat, & pars à corruptione defendatur,uel loco ſcarificationes ſanguiſugas apponunt,ut diximus in bubone,& poſtea iterum uentoſas applicant, & poſt dictam fomentationem faciunt ut dixi,& ſi ex hoc primo auxilio accidentia non alleuiantur, reiteranda

teranda

reranda ſunt omnia dicta, & ſi neque ob id remittuntur accidentia ſed nigredo adſit uel ſuperueniat, Cauterizetur locus igne actuali, ut Cauſtico medicamento: ſic enim mortificatur carbunculus, & hæc eſt inquit Nicolus Cura recta & bona ſecundum mentem authorum, qui iubẽt nos facere hanc curatiouem quam citius. Imò quòd uidetur probare cauterizationem nulla ſcalpellatione præmiſſa, aut appoſitione ſanguiſugarum, quoniã inquit cauterizatio uenenum deſtruet, & quòd in profundo fuerit, ad locum attrahet, & educet, cuius inquit ſignum eſt, quia quandoque ex loco cauterizato uiſa eſt egredi uenenata humiditas nigra ſimilis encauſtto, & ſicut uidemus in uenenis extrinſecus admotis cauterium conferre, ita & in hoc caſu ſimiliter ſperandum eſſe inquit.

Multo melius autem fit cauterizatio ferro ignito & ſecurius cũ ab eo membrũ à corruptione defendatur, a potẽtiali autem ſæpiſſime membrum corrumpitur & gangrena ſubſequitur.

Antequam fiat Cauterizatio, ponuntur circumcirca defenſiua ex aqua roſ. aceto & boloarm. parata, & inter locum læſum & dictum defenſiuum diſtanter ab eo per digitum ponendum eſt inquit Ioan. e Saliceto aliquid theriacæ, quòd etiam ſupra adnotaui, vel circumcirca ponere debemus emplaſtrum de Arnogloſſa uel de Granatis Auicẽnæ, uel quòd ex boloarm. terraſigil. & oxyrhodino paratur.

Comprehẽdat autem Cauterium partem ueſicatam & cum eſcara exiſtentem ipſius carbonis totam uſq; ad partem ſanã.

Profundetur autem donec deueniat Cauterium ad eius radicem & eam totam deſtruat, alioqui ſi ſuperficialis fuerit, non profunda, longe magis nocet quàm cõferat, inquit Nicol. quoniam uenenum in loco exiſtens non conſumit, neque quod in profundo eſt ad locum trahit, ſed cum duritie & teſtea ſoliditate eſcaræ remanet uenenum quod prohibet ipſum a debita tranſpiratione; inquit hic & propterea ipſo damnat cauterium cum cera liquefacta a candela accenſa effundendo guttam ceræ poſt guttã, quia ſolam cutis ſuperficiem cauterizat, & ſimiliter quòd fit cum buccella panis in oleo feruenti infuſa, & ſuper totum carbonem poſita, licet minus hæc noceat.

Quod ſi forte non fuerit profundatum Cauterium, uel ob errorem uel ob intolerantiam infirmi, uel loci diſpoſitionem,

tunc

tunc amota eſcara uel reiteretur Cauterium, uel ſi hoc facere nequis ſcarificetur locus,ut materia poſſit effluere .

Caue etiam in Cauterizando ne cadat Cauterium ad partes circumſtantes phlegmonizantes,quia ſic lęderentur abſque ullo iuuamento,ſed tantum cauteriza locum oſtracoſum, & propterea præualet,ſi ter,uel quater iteretur parũ pro uice grauando , & ſtatim remouendo , quia ſic paruum facit dolorem , & meliorem inducit effectum extinguendo uenenum inquit Io. e Saliceto .

Sunt qui poſt exitum ſanguinis & poſt ſcalpellationẽ & ſanguiſugarum appóſitionẽ reiteratam quandiu expediens fuerit, & etiam poſt amotionem nigredinis , ſi adfuerit, quando iam amplius non perambulat ulcus ſed omnia ſigna remiſſa ſunt & iam ad benignum materiam fuiſſe reductam ſit uera coniectura,quæ dolorem mitigant, apponunt ut ſi quæ reliquiæ ueneni relictæ ſint, extrahantur,& mẽbrum confortant, & quæ, ut eorum uerbis utar,nullum terrorem naturæ inferunt,& non promittunt locum conſolidari.

Cuius generis ſunt pulli, uel pulli columbini ſupradicto modo appoſiti, quod ſingulare & ultimũ remedium appellat Nicolus . Alij ſcabioſam inter duos lapides contuſam , & cum axungia rancida & ſale mixtam laudant . Alij pedem columbinum & conſolidam minorem uincetoxicum uocant Hetruſci, inquit Nicolus, uel morellam quibuſdam herbã uenti, uel ſancti Laurentij uocatã, uel betonicam prædicto modo cum axungia mixtam . Alij plantaginem & radicem agrimoniæ , alij ſal cum uitello oui applicant & ſingulis horis remouent & renouant . Nec deſunt qui zafirum in circuitu carbonis apponunt ipſum ſic retinendo & dicunt quòd a proprietate uenenum trahit, quo & ſi qua alia huiuſmodi eſſe cenſentur, quis pro arbitrio ſuo quouis tempore uti poteſt.

Poſtquam prædicta peregeris,vt prorſus materiam ueneno ſam extrahas,reitera uentoſas inquit Io. e Saliceto, & illis extractis appone mundificatiua & abſterſiua omittendo maturatiua, ne putrefactionẽ faciant aut augeãt inquit Nicolus, ſed tale ulcus regatur regimine ulceris fraudulenti acmali .

Mũdificatiuum bonũ & abſterſiuum fit cũ melle farina hordei & momẽto ſalis, uel ex melle ꝑbullito & ſarcocolla mixto .

Poſt

Poſt mundificationē, ut caro generetur, impleatur inquiunt vlcus cum foliis baſiliconis tritis, ꝙ non habere par in generando carnem in iſtis ulceribus dicunt. Alij Rec. centaur. minor. Conſolidæ maioris pentaphyllon & deſtill. quæ aqua miro modo carnem generat, inquit Salicet.

Verum & pro generanda carne, & etiam pro cicatrice inducenda multa aliis in locis habet: ad hunc locum pertinet dicere quòd ad cicatricem fędam aſſumendam laudatur.

Primo locum fomentare, cum decoctione calida maluarum, & chamomillæ. Poſtea petiam in balſamo intinctam, quòd nunc ex Indiis verum defertur, ſi uera ſunt, quę Alpinus refert, ſuperponatur, nam cicatricem ita attenuat ut uix appareat, valet etiam oleum de uitellis ouorum, & vnguentũ ex calce extincta paratum cum debita quantitate ol. roſ. vel inquit Raſ. vngulas arietum, uel caprarum aſſa, & ex humiditate deſtillante cicatrices illine. *Ra. 12. contin.* *18. cont.*

Ne autem huic noſtræ orationi aliquid deſit, licet dixerimus cauteria potentialia non ita conuenire vt actualia, eorum tamē nonnulla, hic deſcribam, eoque magis quoniam multi potius mortem eligunt, quàm permittere ferro candente membrum ſibi Cauterizari.

Si ergo illis uti volueris defenſiua circũcirca ſupradicta appone.

Poſtea ſuperpone capitellũ non qui cōiter paratur ex cinere cerri, inquit Io. e Saliceto ſed quod ſic fit. R. Calcis uiuæ lib. 2. aluminis rocchę & cineris cribellatæ, an. lib. j. s. bulliant in uaſe æneo ueluit reato donec lapideſcāt, & mox in ampulla uitrea, pone quæ bene obturetur, alioqui ſtatim in aquam uertitur. Superponatur quantitas cineris, uel auellanæ paruæ, & eſt forte Cauterium. *tartari*

Vſuale fit ex ſapone molli & calce cum lixiuio forti, quòd reperitur apud eos, qui faciunt ſaponem; alij cum ſalnia componunt, alij prædictis piperem addunt, poteſt autem, uel durum, uel in forma liquidiori parari, prout magis libuerit.

Aliud fit ex ſapone molli cum mucilla ſynapis.

Aliud fit ex ſtercore anſeris cum oleo mixto. Aliud cum flore æris ſapone & arſenico, ex quibus quantitas fabæ loco ſuperponatur, quæ termino octo horarũ operationē perficiunt.

Alij ſublimatum cæteris anteponunt, alij aqua forti utuntur, alij oleo ſulfuris, alij ol. vitrioli, & prima eſcara facta ipſam extrahunt, & poſtea iterum dictis cauterizant, & ſic perſeuerãt, donec ſufficienter profundauerint. Alij ſequenti utuntur.

Recip. Cãtharidarum contritarũ, olei, & ſaponis Gallici cũ diſſolue cum capitello, quòd fit cinere cerri ſiue quercus cuius Rec. partes 4. calcis uiuæ partes ſex, & ſuper coletur aqua qua poſtea Cauteriza.

Similis eſt cura Zonæ ſuperuenientis. eſt autem tumor malignus, qui fit quando à bubone in glandula exiſtente, ad alterũ membri extremum, ubi utplurimum feruet carbunculus tumor Zonã referens peruenit. oritur a feruenti & putri ſanguine in glandulis detento, & partim in loco carbunculi firmato. Sed qui inter carbunculum & bubonem veluti quidam ſolidũ neruum in partem uicinam diſtentum, & veluti ob conuulſionem regentem producit, puta inter brachium & tibiam, qui neruus, Zonaue, eſt coloris modo rubri, modo fuſci, modo obſcurioris, quandoque uiridioris, eſt quando iridis colorem referat. Quæ habet eandem cauſam & eandem curationem, quã de carbone & bubone dixi.

PAPVLARVM CVRATIO. Cap. LX.

TERTIVM ſymptoma frequenter ſuperueniens feb. peſtil. vt ex ſupradictis patet eſt quòd ſupra diximus de papulis, quę oriuntur ebullientibus ſuccis ob putreſcẽtiam illam malignam, de qua antea, in venis, & ideo vtplurimũ ſymptomatice erũpũt potius, quàm ui expultrice eas cretice mouente ob ebullitionem etiam repleri ſolet caput vaporibus acribus primo & bilioſis ſuccis, vnde vigiliæ phrenitides & alia hmõi, & tandem craſſis vaporibus & humoribus repletur quinetiam ipſi efferueſcunt in uenis, ac propterea tandem euadant ferè omnes comatoſi & penè lethargici, de qua re vide etiam ſupra: erumpentibus autem ſuccis ad ambitum totius conſequitur laſſitudo totius corporis & quandoque vlceroſa cum bilioſi prædominãtur ſucci vtplurimus tenſiua,

ſua, ob plethoram, cum ſæpiſſime plethorica corpora vna cum ſynocha feb. corripiat: mox erumpunt papulæ morſibus culicum ſimiles de qua re ſupra.

Quoniam ergo plenitudo adeſt eſtque euacuatio hæc ſymptomatica ſine alleuiatione, ſaltem vt plurimum, euacuatio per ſanguinis miſſionem, & poſtea per pharmaca etiam conuenit, non ſolum quia tanta non poteſt fieri ſanguinis euacuatio quãta indiget moribus ob virium imbecillitatem ad malignitatem ſequentem, ſed etiam quia, humores alij peccant, qui per pharmaca purgandi ſunt, nam vt ſupra dixi ſi humores bilioſi totum corporis habitum occupauerint primum purgatione egent, mox curatione per cutim inquit Galenus de Conſtit. & Med. 19. quibus etiam præſidijs a capite reuellimus, & licet ſymptomatica ſit hęc euacuatio papularis. quoniã tamẽ vtiliter maligni humores euocantur ad cutim ſicuti alias etiam probauimus & nonnullas ſymptomaticas euacuationes adiuuandas eſſe, vel ſaltem non impediendas ex mente Hippoc. & Galeni Ideo poſt vniuerſales euacuationes vtile eſt eas euocare ad cutim ſudorificis antidotis, de quibus ſupra & pręterea, & cap. de Variol. & morbillis & frictionibus cum lineo panno factis, vel etiam cũ hordeacea farina, aut etiam aliqua vnctione laxante vt ea quam cõmendat Aetius cũ oleo chamomel. & nitro & aqua, vel R. aquę chamomillæ vnc. iiij. olei amygd. vnc. ij. nitri, vel ſalis vſti, vel etiãſi ad exteriora frigida cum fuerint calorem volucris reuocare ſulfuris ℥. ij. vel aquæ lib. 2. olei com. vnc. iij. nitri, uel ſalis uſti ℥. ij. bulliant ſimul ad aquæ cõſumpt. prout autem maior vel minor eſt calid. plus uel minus aquæ & uini miſce: alij vinum album & oleũ cõmune cum roremar. bulire faciunt ad uini conſumpt. quo utãtur factis dictis frictionibus hoc uel illo modo. Tegendus eſt æger moderate ut dormiat, & ſi tegatur cum panno coccineo utilius erit. Cui uidetur fauere Galenus 2. de Humor. 27. humor inquit a ſimilibus alimentis expurgatur, a cõtrariis repellitur, qui in lib. de adumb. empirica inquit, quòd color rubeus ſanguinem expuentes irritat, in reliquis uero paſſionibus, & ſymptomatibus eſt inutilis niſi ſit ſenſus, in ſanguinẽ expuẽtibus. i. in omnibus morbis, in quibus ſanguis extra expellitur a natura unde a ſimili poſſumus dicere colorem rubeum admotum in periculis conferre

Gal. l. de cibis bo. & mali ſucci, & in materia turgente.

1. aph. 22. & 29. & 4. aph. 14. & l. ep. plures habes euacuationes ſymptoticas q̃ tamen cõferebant, & l. de humor.

eas extrahendo, ſaltem hoc remedio ægrotantes tuentur a frigore,& ſic natura facilius eas expellit. Iubet præterea Ficinus duas magnas ſpongias dorſo renibus & pectori apponi ei uino ſtomacho madefactas in decocto chamomillæ & lentium, & expreſſas.

Et ſi hoc modo non euocantur & præcipue ſi times eas retrocedere nec uires deficiant,uentoſas cum ſcarificatione locis vbi maxime apparent, præcipue coxis,cruribus,dorſo, & ſpatulis utiliter applicabis, euocant enim a profundo ad partes externas teſte Gal. a capite etiam reuellunt,quod eſt maxime procurandum ob phrenitidem, uel lethargum imminenté, æſtuantique cordi ac palpitanti & ſyncopizanti opitulantur, vt & Mercatus & Valeſ. affirmant.

2 de loc. 2. de memoria læſa & l. de cucurbit. Mercatus l. 1. c. 4. de med. Iud. Valeſ. 4. ſuæ meth. 2. 4. modi ep. 78. & 78. 18. contin. 8. car. 183. vide ſupra.

Vt autem omittam multa quæ ad eas euocandas dari ſolent: medicamentum Raſ.tantummodo deſcribam, quòd cũ aliqua ex antidotis dictis peſti reſiſtentibus propinarem maxime cũ Bezoar,& acetoſ. citri a calidioribuſque abſtinendum cenſeo, maxime quando adſunt ſigna magni incendij in partibus internis,at lingua ſicca & aſpera, ſitis incompeſcibilis & alia huiuſmodi cap.de cauſ.dicta

Medicina inquit Raſ. Diuina multæ experientiæ & bonitatis trahens ad ſuperficiem corporis variolas, bothor,& omnia quæ neceſſaria ſunt exterius educi, Recip. ficus albas quinque paſſularum enucleatarum aur. x. laccæ mundatæ ℥.v.draganti drach iij.Croci aur.s.alij v.quod falſum eſt. coquãtur in tribus rotulis aquę vſque ad tertiam,& detur in tribus diebus,ſcilicet qualibet die, tertia pars ipſius & paulopoſt ſic eam deſcribit. ficus ſiccus nu.7. paſſul.enucleatar.drac.vj. laccæ mundatæ a lignis ſuis vnc.ij.draganti unc.iij.Croci ſcrup.ij.lentium excorticatarum vnc. v. coquantur in duobus rotulis aquæ ad med. & detur de ea in potu. ſupra.

Rotulus pẽdes unc. 33

Aliqui loco laccæ ligni ſandal. ponit.

Medicamentum eſt quòd ſequitur nouum a capite euocans papulas morbillos & uariolas, & calorem febrilem mitigans, palumbum uel tencam piſcem ſed aptior eſt palũbus per medium diſſectum calidum caloré ſuo naturali applicant pedibus per horas duodecim inuoluendo ipſum panno vt ſic calorem diutius ſeruet tranſacto dicto tempore, remouét ipſum

&

& ſtatim in aquã frigidã quã ad manus habẽt proijciunt, ut ſic malum & abominandum illius odorem deuitent. hoc remedium in Britannia multum eſt in uſu, de quo miranda canunt.

Cap. LXI.

QVOD ſi forte papulæ aliquæ pulmonem, & aſperam arteriam cum tuſſi leuiter irritante moleſtant, ut in peſtil. illa contingit, de qua Galenus, quas exanthemata uocat curari debent exſiccantibus inquit Galenus, licet natura per ſe illas curare ſoleat teſte dicto Galeno. *Meth. l. 5 cap. 12*

Talis eſt ſyrupus mirtinus de roſ. ſiccis, & quo maxime uterer, diadrag. cum boloarmena paratũ. vt Rec. ſpec. diadr. drac. j. boliarm. or. ſcrup. i. zucc. cum aqua roſ. diſſol. q. s.

Tandem ſcilicet poſt feb. lacte, quale Tabiis habebatur curabat Galenus pro quibus vide Aetium & Aretæum, & nos plura cap. de Variol. & morbillis. *Aet. 2 4. 46. Aret. đ acut. ſig. & c. 1. 9. & de cur. acut. 1. 9.*

Extrinſecus utere ol. mirtino roſ. & ſimilibus.

Ad hoc genus exanthematum pertinent Variol. & morbilli, de quibus clarioris doctrinæ gratia ſpeciale caput agemus, licet ex dictis quo modo ſint tractanda notum ſit, eſt enim in his ſine dubio naturæ motus adiuuandus, præcipue quia critice ferè ſemper apparent.

Cap. LXII.

QVOD ſi forte Angina ſuperueniat maligna, de qua apud Hippoc. in peſtilentia illa in 6. epid. 6 primi multa habes, curationẽ pete, cap. de Angina, eadem eſt enim ut ibidem habes, ab Hippocrate: Hippocrates. n. corpus plenum ꝙ ad locum affectũ materiam tranſmittebat, euacuabat uenæ ſectione, in cubito, & præterea incidebat uenas quæ propè linguam ſitæ ſunt, & ſi corpus humores qualitates peccantes ad locum mandabant purgatione uentrem perturbabat, & peracta communi curatione, ad curationem loci propriam accedebat, & compreſſione utebatur & gargariſmatibus

tibus quam pituitam euocabant,quibus tamen auxiliis ſuperare morbum non potuit Hippoc. erant enim ſymptomata maligniora quàm ut remediis cederent inquit Galenus & hæc de angina ex tumore circa fauces acta.

Tu autem prædictis auxiliis ea adde,quæ indicantur a peſte ipſa,nempe antidota de quibus ſupra.

At uero ſi angina à luxatione uertebrarum ad interiora facta, orta eſſet, curatio eius eſſet impoſſibilis ſi uera ſint quæ ab
3.de Art.3 Hippoc.relata ſunt, nihilominus ſi vulgaris eſſet talis morbus, de eo enim nunc loquimur procurandum eſſet ne homines in
Thriſ.3. eam caderent id quod non eſſet impoſſibile vel teſte Auēzoar.
cap.3. cumque oriatur ut ipſe aſſerit ex humiditate mala quæ figitur inter ſpondilia & facit ea ab inuicem ſeparari, & quòd ſeparatur comprimat cannam pulmonis ita ut ſuffocationem inducat,ſubtiliare debemus regimen & uti deſiccatiuis & inungere locum oleis deſiccantibus & ol. roſ. & de ſeſamino cum ſucco de coriandro uiridi,uel cum terra ſigil.& ſucco dicto f. emplaſtrum & ſuperpone, inquit Auēzoar, ubi uideris aliquam foueam paruunculam patientis uertebræ. Cum enim uel eodem teſte ſpōdylia colli hoc tempore potius dislocentur ergo alia ſpondylia,quia nō habent defenſiua,quæ alia ſpōdylia habent, ſcilicet ab utraque parte coſtas,& plures muſculos,quę nō permittant ipſa ſeparari,poterunt firmiora reddi,adſtringentibus & exſiccantibus dictis,quare non ſic facile dislocari poterunt nec ſeparari.

Cap. LXIII.

CONTRA vero fluxum colliquatiuum præſidijs utere, quæ lib.de febre colliquante ex Galeno & Hippoc. notauimus refrig. nimirum & humectantibus, quibus adde antidota & acida omnia antea notata.

Et primo notandum, quòd non temere ſiſtendus eſt fluxus iſte, cum periculo enim nō leui retinetur uētus peſtil.& aeris materia ac proinde nihil melius ſiſtitur quam bezoarticis & ſyrupis acidis ſupradictis unde Bezar unicornu margar.boluſarm.terra ſigil. coral.

&

& cornuceruinum & alia huiuſmodi vſurpantur, refert Falop. ſe ſcordio talem fluxum ſanaſſe, ut uel ex cognoſcamus quantum ualeant quæ peſti reſiſtunt, cum plus ſua proprietate ſpecifica proſint quàm calidiotate noceant.

Nec defuere, qui in aurora 35. ſenæ aliquando cum vino granat.uel ſucco acetoſ.citri diſſolutam proponant. *Hol. c. de fluxu peſtil.*

Iuſcula cũ multa acetoſa & nodulo berberis alterata conueniũt optime verũ aliqui.ſ.in diſſolutione uiriũ tenue odoriferũ limphatum cum aqua in qua aurum extinctum.ſit,concedunt. *l.1. c.43. de morb. iter.*

Ptiſanæ cremorem dat & aquæ frigidæ potum ſi etiam leue coctionis ſignum appareat Gal.3.acut.13. *Hol. loco dicto.*

Raſis ius Galli cũ medietate ſucci granatorum acidorum laudat,uel in quo grana granatorum acidorum cõtuſa; ſint cocta. & ſi vigiliæ adfuerint addit ptiſanam, & ſem.papaueris albi,vt ſcilicet iure dicto materia bilioſæ educantur & dicto ſucco alterentur.

An vero purgatio conueniat videtur,quòd non cum purgãtia calefaciant,& ad inteſtina diuertant quòd malum eſſe norũt omnes,ac proinde videtur eſſe tutius alterantibus dictis vti.

Nihilominus Falop. qui eſt ueridicus author ſe ſuo tempore fluxus iſtos peſtil. in peſte q̃ viguit ſe curaſſe ait rheubarbaro & thamarindis, quibus etiam fluxus ſiſtebatur. & Alpinus, inquit in tali fluxu, uti infuſione thamarindorum & berbarorum, qua ſale, ſicuti & infuſione mirabolanorum citrinorum, cum ſero lactis parata tutius,vti poſſemus q̃ alijs purgantibus.

Galenus cum ſpumoſæ deiectiones in febribus apparent iudicat eſſe feb. colliquantes quas curat cremore ptiſanæ & aquæ frigidæ potu ſi quantumuis leue coctionis ſignum appareat,quòd confirmat 4.acut.41. & x.mul. in fine & licet eo in loco Valeſ. paucum potum dari ſuadet frigidum tum quia & multo potu timet fluorẽ augeri nihilominus meo iudicio multus aquæ frigidæ potus plus iuuabit refrigerãdo,quam ſit quòd ſuo quantitate nocere poſſit. *3.acut.13.*

Confert ſuccus ptiſanæ iniectus, & cauere cruciare fame ægrũ quando pręcipitoſę & crebrę ſunt euacuationes maxime in peſte, in qua non ſunt fame crucianda corpora, fauet huic opinioni locus Hippoc.& Val.7.Epid.96.

Tu alia vide lib. de feb. col.

Et

Et nota, ꝙ ſi pedes calidi ſunt, debent calidi ſeruari, inquit Valeſ. ex Hippoc. 4. acut. 40.

4. acut. 40 At ſi extremorũ frigiditas adfuerit maxime cum alui profluuio, aut etiã colliquatiuo, quòd ſępiſſime cõtingit peſtil. fe. cum ſint ex genere lipiriatum, quãtum fieri poteſt ad extrema calor reuocari debet ut ab Hippocr. habetur & a Valeſ. & etiam a Paulo & Aět. frictionib., vnctionibus faſcis, pannis calidis, & etiam pultis calore ſuo naturali vt ſupra dixi. Oribaſius ad extrema applicat rubificantia.

l. 2. 14. Auicenna bezoarticis & cordialibus dictis vtitur, quia calidum naturale & illis augetur. Celſus inquit, vbi exterior pars corporis friget, interior cum ſiti calet in malis in eſt æger, ſed tunc quoque in frictione vnicum eſt præſidium, quæ ſi calorẽ in cutem euocauit poteſt alicui medicamento locum facere, debet autem fieri, vel ceſſante, vel remittente feb. minus certe cum remittit, quàm cum vacat.

Cap. LXIIII.

SI vero feb. peſtil. fuerit inquieta & implacida, vt Hippoc. vocat 4. acut. & quòd ſymptoma, vel ſtomachi malitiam ſequitur, vel febrẽ æſtuoſam qualis eſt lypiria, ex quorũ numero plerunque ſunt peſtil. qui etiam præter hæc hæc habent luem illam peſtil. quæ ſemper moleſtat naturam.

Iacere inquit Hippoc. debent in conclaui obſcuro, in lecto valde molli, & quàm minimum ſe mouere, neque ſe proijcere aut iactare debent, Hypochondria fouere lini ſemine in aqua & oleo decoctis quibus corroborationis gratia abſynthiũ et roſæ addi poſſunt: tenuiſſime item ſunt nutriendi, vt ibidem habeiur.

Tu etiam ſi leuibus uomitibus, vel leuibus medicamentis humores acres & erodentes purgaueris bene ages & alia quæ lib. de facto eſt feb. dicemus.

Cap.

Cap. LXV.

SI virium imbecillitas adfuerit reſtaurari debet his, quæ prõpte putriunt, & boni ſunt ſucci, ſicuti ſunt iura ſupradicta cum vitellis ouorum, & ſtillaritia carnis atque eius ſuccus, reſtaurãtur etiã bonis odoribus omnibus, ut ab Hippoc. lib. de Alimento habetur quidquid in hoc dixerint multi, licet multo melius odoramentis rerum odorabiliũ optime nutrientiũ, ſicuti & odor pulli aſſari aquatos. cũ modico cinnam. vel gariof. aſperſi, & alia quę dicta ſunt lib. de appetitus proſtratione maxime odor mellis & panis calentis nutrit, necnon & intẽperiem auferendo, & multo magis reſiſtendo luci iſti peſtilenti antidotis dictis, & his quæ tam intrinſecus adhibentur, quàm extrinſecus admouentur refrig. & cor, & alia membra principalia corroborantibus de quibus ſupra. *Oribaſ. 2. Aph. 12.*

Laudatur præcipue a Fallopio pro hac intentione placenta ex Arſenico parata de qua ſupra.

Ad appetitus proſtrationẽ poſt purgationes conuenientes eadem, quæ nunc dicta ſunt conueniunt, & præterea hortandi cibum vt capiant ſicuti ſupra diximus.

Cap. LXVI.

SI ſudor ille anglicus ſuperueniat de quo ſupra, qui eum curarunt experientia inuentum fuiſſe dicunt, præcipuam curam eſſe quietĩ ſe tradere, nec manus, aut pedes, aut aliam partẽ corporis ad refrigerium iactare, quia ſuppreſſo ſudore moriuntur, quòd ſi forte tantum malum uincant, rurſus recidiuare, etiam bis & ter & tãdem mori, ut ex Chronicis Angliæ, quas Polydorus Virgilius ſcripſit notũ eſt. Ac propterea ſiquis interdũ a peſte captus eſt, ſtatim nulla interiecta mora etiam cum ueſte, qua indutus eſt decumbat, & ſudorem foueat. Si vero noctu, ſeſe colligat & in unum protinus reducat, & ſe cooperiat, ut moderatus ſudor *Lẽnius & Holerus.*

effluat ſpacio quatuor horarum, aut ad ſummum ſex non autem vſque ad 12. horas, ut aliqui empirici faciunt, non enim ſine maxima uirium noxa tantum ſudorem ſuſtinent, ut ex lemnio habetur. Interim ſitim ſedēt aquis deſtillatis maxime ex carne, cum antidotis dictis & acetoſ. citri & ſimilib. ab aliis cibis ſe abſtinendo morbus. eſt,n. peracutiſſimus, qui cito terminatur, ac propterea manutenendæ ſunt uires, quidē, ſed his, quæ prompte nutriunt, neq; naturam ab opere incępto diuertant. Sin minus iure alterato cum uitello oui, & ſucco citri, uel arantiarum, uel limonum detur. Interim dum ſudant uires refocillent bis ter ne deſtillatis, at conſeruis & antidotis dictis, uel etiam ſugendo panem in uino albo aqua bugloſſæ diluto. Imo quòd nomine ſynopis, quę ſuperuenire ſolet maluaticum etiam uinum a Lemnio cōceditur, nouus eſt enim morbus, qui noua remedia requirit inquit. ipſe pręcdicta enim principales partes tuentur, facultates ipſas reſtaurant, ueneni uim teſtiſicam citius de corpore expellunt, & ob hæc receſſionem reddūt ſalubriorem, ac breuiorem, & a ſymptomatibus ſæuiſſimis, quę tantam luem ſequi ſolent ægros uendicant, & licet ex antedictis qualia debent eſſe deſtillata conſtet, quæ tamen proprie deſcribuntur ad tale ſymptoma curandum ſunt infraſcripta.

l. 2. de cōplex. 23.

l. de ocul. uatur z miracul. 1. 17

R. conſeruæ borag. bugl. cichoreæ, adiāti albi ſeu capil. uen. an. unc. ij. Conſeruæ, roſ. & corticum citri condit. an. unc. i. s. foliorum ueri dictami, radicis pſeudodictami, Angelicæ, tormētillæ, an. drach. ij. ſemi. cardui, & citri, & oxalidis, an. drach. iij. zedoariæ, gentianæ, an. unc. s. mithridati ueteris, theriacę, an. unc. iij. ſpecierū diamarg. f. & elect. de gūmis & diarhod. Abb. & triumſand. an. unc. s. brodij iuris & caponum alterati cum oxalide, ſcabioſa portulaca, bugloſſa calendula, & boragine, lib. x. cū foliis auri puriſſimi numero 30. fiat deſtillatio ſuper cinere in uitreo uaſe, & ſeruetur in alio uitreo, Recip. in acceſſione, unc. ij. aut unc. iij. pro uice, & detur calidū bis uel ter. Pro præſeruatione autem detur ante acceſſionē per duas horas, cum zuccaro & momento cinnamomi. Opiata antidotus ve ſic paratur.

Ego in 6. pararem.

Recip. Conſeruæ roſ. borag. bugloſſæ, corticis citri, an. unc. j. theriacæ aut mitridati ueteris drach. iij. boliarm. terræ ſigil. an. drach. ij. f. opiata, cuius parua quantitas ſumatur ſuperbibendo, unc. ij. uini albi deſtillati, uel aqua uitæ.

Cætera

Cætera ſi qua ſunt quæ ad hanc febrem pertinent ſudorificam, vide noſtrum Cap. de feb. elodes.

Cap. LXVII.

AD præſeruandum ægros à ſyncopi non eſt, ꝙ alia dicamus, quando quæ peſtem curant & ab ea nos præſeruant ſyncopim etiam arcent, & vero ſuperuenienti ſubueniendum eſt, irrorando faciem aqua roſ. ad prohibendam reſolutionem ſpirituum, quæ aqua & ſuper faciem & pectus panno ex ea madido poni poteſt, vel alia, quæ cap. de ſyncopi habebis.

Spiritus autem teſtaurentur odoribus dictis maxime generoſi vini, & cibis, & alexi pharmacis & aliis cordialibus ſupradictis, extrahantur etiam ad exteriora ſpiritus vtſupra cum de extremorum refrigeratione cætera cap. de ſyncopi pete.

Cap. LXVIII.

SI vehementiſſima ſitis infeſtet, conſidera ſi interiora vrunt & cxtrsma algent, tũc enim nihil aptius eſt, quam procurare vt extrema calefiant utſupra dixi, ut ſic a partibus penitioribus foras calor reuocetur. Præterea, conſidera an inflammatio ſit in pulmone, & in aliis membris reſpirationi inſeruientibus, tunc.n. inſpiratu Aaris frigidioris magis ſedatur quàm alio auxilio, ut bene docebat Galenus, ac proinde cooperto prius moderate ægro, Aerem refrigerantibus & humectantibus alterabimus, ut aqua, uel aqua & aceto pauimenta irrorantes, uel alia peragentes, de quibus ſupra cum de præſeruatione.

Si vero ventriculus, uel etiam hepar, partesve circũſtantes æſtuent, Pauli & Aetij teſtimonio frigida dãda, modo nihil prohibeat, in his enim conuenit, inquit Celſus frigidę potus, in quibus præter ardorem nulli dolores, nullus præcordiorum tumor, nihil prohibens uel in thorace uel in pulmone uel in faucibus adſit, non vlcus non deiectio, non profluuium alui, in pri

mis caueto frigidam propinare, quando extrema algent & interiora uruntur, eſt enim id ſignũ inflãmationis partium internarum, uerum cum de feb. putridis erit ſermo de hac re plura.

Copioſa autẽ propinanda ex decreto dictorum authorum, ſi enim pauca datur, ab ampliore uentris caliditate uincitur, unde nocet potius quàm iuuet.

Vbi aqua frigida præcordia extenta fuerint, & ſatis refrigerata, eam euomant ægrotantes, licet inquiunt aliqui etiam ne vomitum quidem exigant, ſed ipſa frigida tantum ad ſatietatem data pro medicamento utantur, ubi utrumlibet inquiunt factum eſt, multa ueſte operiendus eſt æger, & collocandus ut dormiat, a quo ſequi ſolet ſudor, temedium præſentiſſimum.

Quod ſi quid potum ftigidæ prohibeat, detur aqua ſtillaticia cicoreæ, uel acetoſæ, uel alia ſimilis, uel detur aqua hordei acetoſæ, & rad. tormentillæ cum ſyrupo acetoſ. citri, uel quam Alpinus cõmendare, inquit Aegyptios, & Rec. berberorum lib. j. infundantur cum aliquibus ſemin. feniculi & fruſto panis per noctẽ ln lib. x. uel xij. aquæ ſimplicis poſtea colletur, & cũ zucchаro, uel zuccharo roſ. uel acido citri propinetur, & largiter propinetur, maxime quando adeſt etiam fluxus colliquatiuus.

Ego utor aqua decocta cum toto citro in fruſta diſſecto, in fine decoctionis addendo zucchari q. v. ad guſtum ægrotantis, & in penuria citri limonibus utor. non defuere, qui ſcrup. i. Philon Rom. cum dictis aquis propinant, quòd non uitupero, quãdo uigiliæ moleſtant etiam, modo uires adſint.

Localibus præterea tefrigerantibus utimur ea admouentes, ubi ardor ſe prodit quod maxime facere ſolet peſtilenti tempore circa ſpiritualia, ac proinde refrigerantia pectori admouenda Pauli, Aetij, & Oribaſij teſtimonio a quibus abſtinẽdum eſſe cenſeo cum papulæ erumpant, aut per cutim euacuatio a legitima a natura tentatur.

Raſis emplaſtrum ex ſandalis camphora, & aqua roſarum ſuperponit. Celſus aquã & oleum miſcere manibus docet, donec albeſcant, & in ipſis acceſſionibus ſic ęgros refrigerare, & in conclaui tenere ęgrotum, ut ſic puriorẽ aerem reſpiret, cum multis ſtragulis coopertum, ſed admodum leuibus uelatum.

Cap.

Cap. LIX.

SI vero nauſea adfuerit,& uomēdi deſiderium abſque uomitui: uel ſaltem modicus uomitus.idque ex humoribus in ventriculo exiſtētibus,motus naturæ adiuuandus eſt aqua tepida,uel aqua hordei,& aceto,uel acetoſo.ſ. uel oximel.ſ.vel ut Fallopius docet,ex aqua ſtillaticia ex putaminibus nucis inglandis viridioris maceratis in aceto tribus diebus exhibita ad pondus unc.4.uel vnc.v.

Aut euacuentur humores dicti aliquo leui pharmaco,maxime ſi difficilis fuerit æger ad uomitum, detur ergo caſſia ſola,vel cum modico rheub.

Si vero moderatus fuerit vomitus & præſertim Creticus, otum onus naturæ relinquatur, nam ipſa quòd noxium eſt uacuabit.

At uero ſi ſuperfluus vomitus fuerit, tunc ſiſtendus eſt, ut cap. de vomitu dictum eſt.adſtringentia ergo & refrigerantia ntus & extra etiam procurentur cum his etiam, quæ peſti reſiſtunt, laudatur propterea myua. ſ. citonicorum præcipue, cum boloarm.uel alio bezoartico,eligendo,quæ ſtomacho præcipue grata ſunt.

Extrinſecus inter cætera applicentur, quæ halitus peſtilentes exterius trahunt & eorum malitiā emendant, inter quæ oleum contra venenum Mathioli, vel Magni Ducis Hetruriæ, vel noſtrum ſupradictum tenent principatum,etiamſi calidiora videantur miſce cū illis aceti roſati q.v.verū hæ nō adſtringunt, vel parum, ac ſolum videntur venenatis humoribus aduerſari & calorem innatum tueri.

Adſtringunt & corroborant emplaſtrum de cruſta panis,vel mica panis aſſata,vel ad ignem calefacta, & aſperſa aceto, vel etiam vino ſi non adfuerit multa feb. & poſtea puluere gariof. & cinam.& roſ. vel ex eodem pane & farina hordei,& puluere aniſorum,& feniculi,cum aceto.& ol.maſtic.ſ.emplaſtrum.

Alij Rec.carnis citoniorum vnc.ij.palmarum vnc.j.contundantur bene.adde pulueris maſticis,ſpicæ roſ.drach.j. ſpodij & nenuf.ſi maximus eſt ardor an. ſcru.j.cum aceto,vel acetoſo.ſ.ſ. emplaſtrum.

Cap.

Cap. LXX.

SI expuunt ſanguinem, & ſanguinis adſit dominium ſecetur baſilica, vel fiat venæ ſectio vt ſupradictum eſt. Ficinus ex vtraque ſaphena mittit ſanguinem, quòd ſi multo ſanguine ęger abundarit ex mediata detrahit ſanguinem.

Neq; vult Ficinus ſanguinem ſiſti, tamen ſi forte exeſa eſſet vena aliqua, caſu iſto poſt reuulſiones & diuerſiones fiendas, vt ca. de ſputo ſanguinis noſti, ſiſtendus eſſet, vt boloarm. & ſimilibus, alioquin vt dixi ab his abſtinendum, & adiuuandus fluxus expectorantibus dictis Cap. de pleuritide, quibus tamen miſce, quæ peſti aduerſantur, vt eſt ſcordium, quòd præterea ſputum facilitat tenere item citri dictis miſceri poteſt.

Si vero fluxerit ſanguis ex veſica, vel ex naribus quo tempore Guid. e Gualiaco multi moriebantur, ſuccurre admiſcendo antidota aliis remediis cōuenientib. ſanguinis dictis fluoribus.

Nihil autem meo iudicio ſanguinis fluoribus, & etiam ſputo conuenientius hoc tempore quàm antidotus præſagiens dicta, quæ Rec. boloarm. terram lemniam, & grana iuniperi, ut ſupra diximus, & cum ſyrupo de ſcordio poterit parari. hoc enim modo & etiam à granis iuniperi ſi qua noxa poteſt à boloarm. vel terra lemnia prouenire, emendabitur.

Cap. LXXI.

PERRÒ ſi vermes infeſtarint ſuis capitib. multa habes & nōnulla etiam antidota retuli eos enecantia & peſti reſiſtentia, pro qua intentione valet cornu cerui vſtum cũ ſyrupo acetoſ. citri vel ſimilib. dari poteſt ſcordium, & eius decoctio valet, ſeu. decoctio ſebeſtē, portulacæ, termentillæ, graminis ſcordij, abſynthij, & rutæ caprariæ, vel etiam decoct. cicoreæ graminis tormentillæ, & ſebeſten quando maxime feb. eſt ardens & ſi ſcrup. ij. rheub. pueris cum aqua, graminis dederis, eos enecabis & educes, amara omnia

enecant

enecāt eos, nec placet, quòd Ioan. e Saliceto probat, fugienda ſcilicet eſſe amara, quia vermes ea fugiunt, poſſunt enim ſola dari & pręterea poſſunt cum dulcibus miſceri, quę ſi uoluerint guſtare uermes una cum amaris ea deguſtabunt & ſic enecabūtur, uerum de hac re cap. de lumbricis.

Parantur & clyſteria, cum quibus ſunt qui oleum nullum miſcent, quia uermes oleum inquiunt fugiunt. ego oleum Omphacinum libēter admiſceo, addo zuccarum & decoctionem ſebeſten & maluæ & agrimon. parare ſolēt ex lacte & zuccaro, uel melle, uel ſolo lacte cū drac. i. aloes, alij Hierāp. addunt cæterū lac facile corrumpi ſolet in feb. præcip. peſtil. quare tutius eſt uti decoct. ſupradictis, uel iure carnis, & aloe, hiera enim calidior forte fuerit quàm par ſit.

Extrinſecus multa ſcripta ſunt ſuis Cap. ne tamē hæc penitus omittantur hoc in loco, diximus ex nucleis perſicorum, uel amig. & ceraſarum, cum aqua graminis, uel ſimilium lac extrahi, in quo linteolū infuſum utiliter umbilico applicatur, uel ex ſucco caulium fol. perſicorum, & abſynthij ſale epithema fiat, cui aſpergere potes puluerem aloe ex cuius puluere & farina lupinorū, & ſem. plātag. emplaſtr. potes parare cui etiam fel aliquod addere potes remittēdo eius calorē cum mixtione aceti.

Cap. LXXII.

SI dorſi dolor adfuerit, qui ut uoluit Falopius ex magna putredine Oritur, ſcilicet ebuliente ſanguine in uena caua, quæ per dorſum extenditur, ſedatur inquit ipſe oleo de ſcorpionib. uel oleo Matioli paratis, ut antea ego notaui. Alij unguento ab Alabaſtro utuntur, uel unguento roſ. Meſ. uel refrigerante Galeni maxime camphorato, uel aqua roſ. cum momēto aceti utuntur pro epithem. renes uel Rec. unguenti popul. Roſati Meſ. an. unc. j. Alabaſtri cādidi unc. s. olei nenuf. unc. j. s. cāphoræ, ſcrup. i. ceræ quam minimū & f. unguentum hæc & ſimilium conueniunt in maximo calore, quòd ex ſignis alius dictis maxime ex calore ab ægro, & à medico percepto in regione renum cognoſcitur. Alabaſtrum autem unde debet uritur ut à Dioſc. dictū eſt & a Galeno 9. de ſimpl. m. fac. poteſt dictis acetum addi, ut dicta medicamenta aceto lauari poſſunt ad maiorem penetrationem.

Cap.

Cap. LXXIII.

SI paraphreneſis ſuperueniat cap. de phrenitide multa habebis, admouenda interius, & exterius frigida, & humida, maxime poſt euacuationes, reuulſiones, & diuerſiones factas, maxime frictionibus partium infernarum: de vena, aũt frõtis ſecanda, & hirudinũ hemorrhoidibus, vel & poſt aures appoſitione, vide c. de phrenitide.

Pariter, & vigilias immodicas emẽdabis euacuationibus reuulſionibus, & diuerſionibus ſæpius dictis, & ſomnifera interius, & exterius admouendo, tempore tamen, quando expulſionem naturæ non impediunt. Soleo ego lac amygdalarum d. & ſem. melonum, & ſem. papau. albi dare cum ptiſana, vel pane trito, vel ſola ea propino, alii cum ſorbili ſem. papau. nigri ſcr. j. exhibent, alii a cęna ſyrupum papaueris albi in ore detinẽdum ad cochlearis quantitatem exhibent, cœterum ingratum eſt, ſi tamen eo delectentur ægri ſomnum conciliat, ſin minus propinetur eius unc. i. s. cum unc. iiii. aquæ viol. vel lactucæ.

6. epi. 4. 10 Refrigerantia, & humectantia applicẽtur fronti, & naribus, ego vtor oleo nenuf. vel viol. p nares a cœna ſæpius attracto, vel ſpongiã in decoct. uiol. lactucæ, corticũ p. albi, & ſimiliũ infuſam, & expreſſam ad nares admoueo; quam ſic ſępius infusã, ſi exſiccaueris, & odorandã dederis, ſomnũ cõciliare inuenies.

Remedium ad vigilias præcauendas optimũ eſt illud Hipp. ſomnus inquit ſtabilis rectorum dormitio, quare fatigare laborantem oportet, vt ibidem docet Galenus.

Cap. LXXIIII.

PRoſunt ſomno profundo euacuationes & reuulſiones, & diuerſiones, & cucurbitulæ cum ſcarificatione ceruici appoſitæ ea parte vbi cutis capitulata deſinit, & in hac maxime ad reuellendum ualent ſcarificationes crurium modo antedicto factæ, necnon etiã ueſicatoria, & dictis locis, & ẽt ſpatulis admota, maxime quando febris non eſt admodũ moleſta, ſicuti nõ eſt quando ſopor infeſtat ęgrotãtes.

FINIS TRACT. DE PESTE.

DE VARIOLIS ET MORBILLIS ET SCOPTVLIS.

In quo de natura papularum agitur.

CAPVT PRIMVM.

QVONIAM ex omnium ſententia tempore peſtis ſæpe vagantur variolæ vocatæ, quę & ipſæ inter morbos peſtilentes ponuntur, & promiſimus nos de omnibus ſymptomatibus ad febres peſtil. attinentibus verba facere, ideo ne manca ſit oratio noſtra de Variolis dicemus.

Illud autem in primis dicamus, quòd multum ad cognitionem Variolarum facit. Tumores præter naturam inſignes tubercula vocari. Sicuti vlcera inſignia vocant continui inſignes ſolutiones. Alia vero omnia, quæ in cute germinant exanthemata a Græcis vocari modo etiam ecthimata ab Hippocrate, vt multi dicunt quidquid in contrarium dixerit Fernel. Latini papulas vocant. *Valeſ. 6. ep. 2. 23.*

Ex horum numero, vt tract. de peſte conſtat ſunt maculæ illę culicum morſibus ſimiles, quas vulgus peticulas vocat, Hiſpani Tabardillo. *Cap. 62.*

Sunt etiam in papularum numero quælibet puſtulæ quæ cum exiguis vlcuſculis fiũt, aut ſine his vt eſt ſcabies cuius ſunt plura genera, & aliæ huiuſmodi vlcerationes quas etiam in feb.

 peſti-

peſtilenti contingere Thucid. & Galeni teſtimonio dicimus.

Exigui etiam tumores vt ſunt Variolæ, Scoptulæ, & morbilli, de quibus nunc loqui intendimus, inter papulas connumerantur.

Qui tumores an noti fuerint antiquis multi contendunt, & an ſint illi, de quibus loquitur Hippoc. 3. epid. pluries, & 1. epidem. ægroto ſecundo ſcilicet de Sileno. & de quibus 4. epid. & 7. epid. 94. & Manardus contendit Hippoc. vocaſſe morbillos, herpetes, ſicuti contendunt, an de his Galen. intellexerit, 5. meth. 12. & lib. de atra bile 4. eoque magis, quoniam Raſ. teſtatur Galenum eos nouiſſe citans quendam locum, quem ego hactenus non inueni, contendunt etiam vtrum Celſus de his intelligat lib. 5. cap. 28. quæ parum me fatigant, quia curationẽ, vt infra patebit nõ variãt huiuſmodi opiniones. Sicuti parum me fatigat, quòd hoc illove nomine quis vtatur, contemnendas enim eſſe nomenclaturas ſæpius nos admonuit Galenus, ſed naturæ rerum ſcientiam eſſe exercendam nos docet. Verumtamen quoniam his, qui docere vult, claritatem quaſi metam ſpectare debet, & ſic ſermonem ſuum abſoluere, vt accommodato cuiq; rerũ ſuo noĩe utatur, nec mutãs nec transferens nomẽ illud, ſed cui rei ipſe ab initio impoſuerit de eadem perpetuo vſurpans, ideo ſtatuamus nos nomina iſta & dicamus.

18. cont. 8

3. meth. 10 & 2. pronoſt. 39.

Variolas nos vocare papulas illas tumoresve paruos, qui in toto corpore ſemel ferè in uita contingunt, cuique per cutem præcipue efflorеſcentes, quæ craſſæ ſunt & in tumorem eleuatæ ad ſimilitudinem varorum, qui in facie oriri ſolent, de quibus uaris præcipue agit Galenus de comp. m. ſ. loc. qui tumores vtplurimum in abſceſſum terminantur. Et videntur paruæ inflammationis figuram referre, Hiſpani morbilloni vocant corrupto vocabulo, nec pruriunt niſi quando ad ſuppurationẽ tendunt.

l. de comp. m. ſ. l. v. capit. 3. Valeſ. 6. ep. 2. 23.

Morbillos vocamus tumores illos, quos Etruſci Roſ. aliã vocant, ſimiles illis, qui æſtiuo tempore in corporibus eorum, qui ſub feruenti ſole itinerantur, ferſas uulgus uocat, Hiſpani uirules corrupto uocabulo, rubicundiores ſunt & in principio magis pruriunt uariolis, & ſunt illis multo minores, ita ut maculæ potius quàm tubercula ſint, qui eryſipelatis naturam referre uidẽtur ſcilicet tali cõparatione uti igni pſico eas refert Raſ. 18. cont.

Valeſ. loco dicto.

cont.8.hos paruas variolas uocauit Auicenna, ex quibus conſtat nomen Variol. extendi ad hos tres tumores de quibus nunc loquimur, licet tumores quos primo loco poſuimus nomen generis retineant, & proprie variolæ nominentur. Raſis videtur blacios etiam uocare morbillos, vt 18. cont. 8. cognoſci poteſt.

Scoptulas voco quas vulgus ſchiopolas vocat Ahulmar Arabes non diſſimiles ueſicis ab igne excitatis, ſiue illis quæ a feruida aqua ambuſtis emergunt non tamen ruptis, multū hæ dolorem inducunt, quibus ruptis ſubflaui humoris copia paulatim effluet,& hæ aliquid ſunt ex Variolis inquit Auicenna. *Aet.l.4.ſ.2.63.*

Hæc breuiter pro deſcribendis iſtis papulis ſufficiant,ex quibus quid nomine variolarum,morbillorum, & ſcoptularum intelligimus conſtat.

Modo quæramus illarum cauſas, quòd minime aſſequi poſſumus,niſi prius nouerimus,quæ ſit cauſa papularum, tumorū ue illorum paruorum ſiue exanthematum ſub quæ tanquā ſub genere dicti tres tumores continentur,& quæ tradita ab antiquis curatio. hæc ergo breuiter perquiramus, quæ nos paulatim manu ducent ad id quòd intendimus, & quæ multis obſcuriora viſa ſunt,nobis clara reddent.

PAPVLARVM CAVSA, ET SIGNA, & curatio. Cap. II.

PAPVLARVM Communem cauſam eſſe naturā intimas corporis partes ab humoribus ipſam moleſtantibus expurgantem, & adcutim ipſos depellētem, quoniam ob eorum craſſitiem eos nequit purgare, vt in excretionibus fieri ſolet,cōſtat à Galeno tenuiores etenim humores ac magis aquæ naturam referentes attenuans digerit in halitum,craſſiores uero cuti impacti,imprimis autem cuticulæ. Epidermidi græcè nuncupatæ,ut quæ dēſior ſit,puſtulas pariunt quod maxime illis euenit, qui denſiore ac duriore ſunt cute,cum ægre per eam poſſit craſſorum, ac uiſcidorum tranſitus eſſe. *6.ep.1.12. et 2. eiuſdē 30.et 3.ep. ſi et 2.aph. 15.& 1.de hum.1.*

Ex quibus patet materialem cauſam dictorum humorum

eſſe humores naturam ipſam inteſtantes, efficiētem eſſe ipſam naturam, ut fere facere ſolet quando uel a multitudine grauatur, uel a mala qualitate irritatur, modo ſit ualida, finalem, ut ſe a moleſtia liberet.

Gal. 6. ep. 2. 30. & 1. de humor. 16.

Signa quæ demonſtrant papulas ex dictis nota ſunt.

At ſigna humores dictos naturam moleſtantes demonſtrantia, ex eo cognoſcas ſecundum Galenum, quia ſi a calidioribus oriantur humoribus, in acutum papulę attollūtur, & quaſi turgent. Turgere autem ipſas cognoſces ex pruritu & dolore, nam quæ moderate ſunt calidæ ſolos pruritus cient, quæ autem ſunt maiorem calorem aſſequutæ, iam & mordent, & cruciant.

Craſſum autem & frigidum humorem demonſtrant latæ puſtulæ, non admodum pruriginoſæ, & ſi fuerit humor melancholicus color eſt liuidus & niger.

Si pituitoſus albus, & tumor mollis, ut melius infra cum de Variol. agam.

Et quoniam facile eſt cum papulas, aut exanthemata apparent humorem peccantem cognoſcere, ut 4. de ſanit. tuenda habetur, ideo hæc pro nunc ſufficiāt, licet pauca paulo infra dicā.

Signa uero prognoſtica erūt præcipua, quòd exanthemata morbis ſuccedētia ſcilicet ſine alleuiatione morbi, malignitatē ſignificare ſolent, ante morbos facta magnos ad morbos apparatus, & utroque tempore, quæ breui, atque inſperato euaneſcunt deteriora ſunt, quàm ſi per morbos durant uſque dum febris ceſſet, ante morbos uero tanto tempore, ut quòd in cutē emerſerat putetur merito per cutim ipſam paulatim eſſe reſolutum. Cum enim breui euaneſcunt conſtat non reſolutū, ſed reconditum potius in altum eſſe, atque interna grauius affici, unde in ægrotantibus morbus grauis timetur, ab exanthematibus propterea intus relictis malignam dyſenteriam etiam inter alios morbos timendam eſſe conſtat, ut 4. ep. habetur 80.

Valeſ. 5. epid. 90.

Valeſ. 4. epid. 80.

In principio morbi ad malum apparere, in declinatione uero ad bonum, ut etiam aliæ excretiones, quas omnes morbo in declinationem eunte bonas eſſe retulit Hipp. omnibus cōſtat.

1. epid. 3. ægroto 2. de ſileno ſcilicet.

Quandoque licet ſymptomatice erumpant tamen differunt mortem, natura noxios humores ad cutem propellēte Galeni teſtimonio.

Non

Non raro cretice apparent,ita ut morbos alleuiẽt,quòd ma-ximè conſtat a Gal. 5.meth. *5.meth.12.*

Curationem papularum habemus a Galeno, & ab Hippoc. *6.ep.2.3.* fouendas nimirum eas uult eſſe Hippoc.Calidis, neque uomitum conferre,quoniam inquit Galenus humores ad cutim procumbentes ſunt per eam euacuãdi, longa enim inquit Galenus nimis eſt uia, ſi rurſus uoluerimus eos ad interna reuellere, ut ſcilicet per uomitum,aut per aluum mox euacuentur.

Et ſubdit Galenus putabis forſan me id aſſerere, numquã in talibus purgationẽ eſſe ex uſu quæ per aluum fiat. Ego uero inquit id non dico, nam in curatoriis libris, edoctus es his purgationes eſſe oportunas, in quibus multa ſit humorum affluentia. Etenim niſi prius quòd ex ipſis redundat,aut ſanguinis miſſione, aut purgatione detraxerit qui ſpiam,uoluerit aũt dumtaxat fouere,hoc eſt uſus calidioribus fomentis illos diſcutere,plus ſanè attrahet q̃ cutim euacuetur, uerũtamẽ humorũ cuti impactorum curatio prorſus fotu calidorum medicamentorum perficitur,& id maxime quando latæ ſunt puſtulæ,nam indicio ſunt humorem,quo illæ conſtant, neque calidum omne neque tenue,ſed ſatis craſſum ac frigidum, &c.

Quæ omnia & Paulus & Oribaſ.dixerunt: manifeſtius, aiũt *Paul. l. 4.* enim, quòd in quibus copia humorum ſubſiſtit in profundo *8.Orib.ſy-* (id quòd ex urinis & aliis excrementis cognoſcere licet. 2. *nop.7.7.* aphor.15.) eos prius purgare oportet, ſi quis enim non prius hoc facto diſcutere aggreditur, obturabit magis ipſos quàm euacuabit per cutem. Si uero profunditas ſine ſuperfluitatibus fuerit,per cutem ipſos euacuare oportet, & non procul diſtrahere, quòd contingit ſi per uentrem,aut per uomitus euacuare uelis.

Ergo conſiderandum, ſi impurum fuerit corpus. Vbi enim fauces ægrotant,aũt tubercula naſcũtur in corpore urinas inſpicere oportet,nam ſi bilioſæ fuerint, quia una corpus ægro- *2.aph.15* tat ante omnia ipſum purgandum eſſe cenſet Galenus, ſi uero ſimiles ſanis fuerint, tutum eſt corpus abſque ulla alia purgatione nutrire.

Signa alia etiam ſunt conſideranda, quæ nos docent ſi humores peccãt in corpore,de quibus nos alias et multus in loc: Hippoc.ut Galenus maxime lib.de humoribus a principio per

proceſſum & 4. de ſanit.tuenda. Si ergo ſanguis peccauerit venæ ſectione euacuetur,ſi alij humores purgentur poſt pręparationē,ut in aliis locis diximus medicamentis cōuenientibus, ex quibus manifeſtum eſt quando euacuatio conuenit in papulis,de qua multa inutiliter multi ſcribunt.

Poſtea tutum erit per cutim euacuare, vt iam noſti, & tunc tutum erit exequi, quòd Celſus præcipit, in omni puſtularum genere inquit Celſus primum eſt multum ambulare & exerceri,ſi quid iſta prohibet,geſtari.

Secundum eſt cibum minuere abſtinere ab omnibus acribus & extenuantibus,eademq; nutrices inquit facere oportet,ſi lactans puer eſt affectus &c. ꝙ autem dixit ambulare multum & exerceri, intellige,vt dixi purgato vel euacuato corpore ſi plenum fuerit, vel cacochymum, nam ſi impurus laboret vlcera expululent inquit Hippoc.& Gal.

6.epid.5. 34. & 3. aph.20.

Quæ autem percutim euacuationem dictam moueant inſinuant & demonſtrant Græci.

Lauri tenera folia ‖ itemque rutę pari portione terito & mānam thuris cum oleo dilutam addito & illinito.

Aut betam teneram coctam tritā imponito,aut ceræ drach. 8.ſulfuris drac.8.ſalis drac.vj.hęc trita & olei dimidio, cyatho ſimul affuſo ſimul omnia coquito, factoque inde emplaſtro utitor, ſed coctioni diligenter eſt aſſiſtendum, eſt enim optimum medicamentum.

l.28.uirt. ſimpl. col. 604.

Ciclaminus cutim detergit,& omnia exanthemata curat inquit Orib. ego terebinthina lota, cum ſulfure ſtorace liquida & ſale, oleo, & butyro pararem linimentum, addendo ſi calidiores eſſent loco ol.communis, ol. roſ. & ſucci limonum momētum,vt aliorum caliditas emendaretur,non ꝙ repellentibus ſit utendum maxime hoc in caſu noxis.cæterū hæc pro exēplo.

5.meth.12

Sciendū tamen,ꝙ vt bene notat Gal.quādoq; exanthemata ſpōte ſua deſident,unde medicamentis ad ea diſcutienda & reſoluenda minime opus eſt,ſicuti manifeſtū fuit, in puſtulis quæ in illa peſte ortæ fuerunt,de qua ipſe loquitur, & nos quotidie obſeruamus in variolis & ſcoptulis,ſed præcipue morbillis, cū natura humores quos ad cutim expulit per halitum etiam reſoluat ſine ullo artis auxilio, vel maturando & exſiccādo ſanet vt infra notum erit in variolis.

CAVSA

CAVSA VARIOL. MORB. ET SCOPTVL. Cap. III.

Ex his ni fallor non erit difficile nouiſſe cauſam Variol.& morbillorum,& ſcoptularum.ſiquidem ut ex dictis patet efficiens earum cauſa eſt ipſa natura,ab humoribus moleſtata, ſiue multitudine,ſiue mala qualitate.

Materialis eſt ipſe humor moleſtans,ſi finalem uis addere di cas,ut partes internas ſanet & ſanguinem purificet, ſiue ut ſe a tali moleſtia liberet.

Licet quandoque tanta eſt humorum copia in Variolis (nũc per variolas intelligo dictos tres tumores cum ut antea dixi ſit nomen generis,) vt & partes exteriores & interiores oẽs ferè occupent & nedum in palato,ore,oculis,naribus,gutture & per totam cutim uideretur, ſed & nerui & membranæ & uentricu lus & membra nobilia certis inditiis illis infici cognoſcamus, ergo uolunt diſtinguere papulas antiquorum a Variolis,quoniam inquiunt antiquorum papulę tantum cutim moleſtabant quòd tamen legenti Galenum loco dicto non eſt ſic clarum,ſed hoc parum refert,ut dixi. *5.meth.12*

Humores autem ſtimulantes naturam, uel ſunt craſſi, ut eſt ſanguis corruptus pituitoſus inquit Auicenna,uel etiam melan cholicus,qui ad cutim expulſus eſt & tunc variolas proprie dictas parit.i.tumores illos varis ſimiles,qui per abſceſſum termi nari ſolent,ſuppurari enim ſolẽt & poſtea ſui veſtigia relinquere,licet quandoq; cum ſunt melancholici indureſcant,nec maturentur, aut reſoluantur, quod inter mala eſt ſigna, ut infra dicam nam ſi ſanguis non fuerit malæ qualitatis . Salubres parit variolas,ſi uero malæ qualitatis, ut eſt quãdo melancholicus eſt, uel ẽt bilioſior, inſalubres ut infra dicam.eſt quando una uariola alteram in ſe incluſam cõtinet,& duplices variolas vocat Raſis,ꝙ ego qñq; obſeruaui,& eas peſſimas eſſe cognoui. *18. cont.8*

Vel humores ad cutim expulſi ſunt tenues,& ſeroſi,uel aquoſi in tumorẽ eleuati,non rumpẽtes cutim̃,de qua re etiã Manardus & ſcaptulas parit,de quibus ſupra,& hæ veſicę non terminantur ad ſuppurationem veram Aluhumeras,ut dixi meo iudicio vocat Auicenna,& dicit,quòd ſunt aliquid ex Variolis.

Vel

Vel ſunt adhuc tenuiores humores uariolarum, ita ut maculas ferè tantum excitent, & niſi manibus tractentur, neque extuberantia ulla, neque exaſperatio ſentitur, & tãgentibus naturę qualitas quędam potius, quàm tumor perſentitur, niſi quòd quando ſunt in ſtatu, ad quẽ citiſſimè ueniunt, apparent quandoque grano milii minores apparent ſimiles. Haliabb. teſte. 8. pract. 14. & per ſe reſoluuntur, nunquam ſuppurantur. & tũc fiunt morbilli uocati, ſiue ſit uariola cholerica, inquit Auicenna, nullum autem poſt ſe ueſtigium relinquunt, niſi quòd epidemis aſperior, & paulò poſt ad ſtatum ſuum reuertitur.

Vidi in praxi quandoq; ex materia craſſa, & tenui oriri humores iſtos confusè, ita ut neq; uaros repręſentent, neq; morbillos, ſed medium quoddam, plus minus, prout materia craſſior, uel tenuior uincit, quòd etiam nunc obſeruaui in muliere exiſtente in Caſtro Mediolani.

Ex dictis patet cauſam uariolarum eſſe ſanguinem corruptũ cum quo tamen ut plurimum materia pituitoſa miſcetur, licet quandoq; melancholica, quandoq; bilioſa, uincente tamẽ ſanguine ſcoptularum cauſam eſſe humores aquoſos.

Morbillorum humores bilioſos, qui ſæpiſſimè oriuntur, quando à cauſa aliqua externa occaſionem habuerint, ut ſit ferè calida, & humida tempeſtate, autumnoque & vere, uel etiã peſtilenti cœlo, vt quando cibis mali ſucci vtũtur, uel lacte præcipuè camellarum, uel dactylorum dulcium inquit Auicenna, quandoq; nulla præceſſit cauſa, & tamen ueniunt, & vulgãtur. & tunc in conſtellationes cauſam referunt.

CVR HOMINIBVS VNIVERSIS DATVM ſit ſemel in vita variolis corripi. Cap. IIII.

VErum cur hominibus quilibet datum ſit, ut ſemel in vita ſaltem eis capiantur, niſi mors illos præueniat. difficile eſt admodum diiudicare, cuius rei maximum eſt ſignum diſcordia authorum de hac re contendentium. obſeruatum eſt enim pueris etiam in vtero exiſtentibus, variolas incidere cum nonnulli cũ illis naſci uiſi ſint

ut

vtplurimum tamen poſt ortum, vſque ad ſeptimum annum fatigant, licet adultioribus etiam cõtingant,& etiam iuuenibus, & viris,& ſenibus, licet id rariſſime , licet octuagenarium ipſe curauerit Variolas patientem multas,qui ſanus euaſit, alios etiam decrepitos his tẽtatos vidi , qui periere omnes:vidi,qui 90.agebat annum iſtis moleſtatum,licet Iſaac decrepitos variolas nõ pati dixerit:impoſſibile eſt enim,inquit,illam materiam variolarum vſque ad decrepitam manere,&c.

Cauſam ergo communem eſſe neceſſe eſt cum omnes in cõmuni inuadat, nulla autem aptior uiſa eſt Auicennæ, Auenzoari, & Iſaac & alijs antiquis quàm ſanguis menſtruus quo infans in vtero nutritur. licet enim vel ipſo Galeno teſte infantem puriori ſanguine matris nutriri veriſſimum ſit, tamen impoſſibile eſt, maxime quando grandior eſt fœtus,non etiam aliquid impuri ſanguinis cũ puro a fętu trahi,vt primo de cauſis ſymptomatum 7. prætcrea poſtquam fœtus in lucem editus eſt lacte nutritur,quòd etiam magna ex parte oritur a mẽſtruo ſanguine retento , membra ergo fœtus meo iudicio meliori ac puriori parte ſanguinis dicti qui tñ in parte etiã impurus exiſtit,nutriantur, quòd reliquum eſt in membris & venis remanet, inquit Haliabas ſiue in poroſitatibus membrorum, vt Gordonius dixit,ſiue vt Iſaac,natura in quibuſdam locis clauſis a principalibus membris remotis, cutique vicinantibus propter debilitatem membrorum fœtus,qualitatem materiæ illius nõ ſuſtinentium , donec aliqua cauſa illum moneat, id ꝙ rariſſime fit in principio meo iudicio, quia paucus eſt impurus ille ſanguis derelictus in locis dictis , qui propterea a benigniori ſanguine cũ quo miſcetur domatus,non poteſt vires ſuas exercere,proceſſu autem temporis,in ſui naturam aliquam partem purioris ſanguinis illius cum quo miſcetur permutans , & expulſiua fortior reddita & vis ſenſitiua etiam quòd ferè fieri ſolet in aduſtionibus quando calor incipit vigorari & fortificari, vt etiam Gordonius ait,in ſumma naturæ iam moleſtior reditus , & moleſtiam tunc magis natura ſentiens, cum a ſanguine puro ſeparare tentat,etiam efferueſcentia quædam fit in ſanguine, vnde natura impurum illum ſanguinem iam a puro ſeparatum, licet aliqua eius portio cum alio ſanguine meo iudicio remaneat,ad Cutaneas partes detrudit ſibi vicinas, inquit Iſaac &

3 .ep.3.73 1.de ſanit. tuen. Hip. lib.de nat. pueri.

pro poſſe a partibus nobilioribus ad ignobiles, fit autem ſeque-ſtratio hæc ſanguinis non diſſimiliter ac uidemus in uino fieri qui dum feruet craſſiorem eius partem in fundum vaſis ex-pellit, leuiorem ad ſuperficiem, in medio remanet, quòd opti-mum eſt, ſic in ſanguine iſto pars pura in venis remanet, impu ra extra ipſas expellitur ad partes ignobiliores, & hic eſt vnus modus, quo poſſumus dicere Variolas oriri, neque id mirum videri debet, nam ſi tamdiu tardat natura ad hanc operatio-nem faciendam, nam eſt ſimilis illi quem refert Gal. de canis rabidi morſu, & alijs huiuſmodi morbis.

3.ep.3.75 Eſt vero inquit Galenus eorum morborum admiranda ge-neratio, quonam pacto in, Comode ualentes ſubito inuadant, nempe non eſt perinde generationis ſubita cauſa, ac ipſorum eſt generatio, vt ſi medicamentum lethale homo ſumpſiſſet, uel beſtia, eum virulentiſſima momordiſſet, ſed pedetentim in corpore cauſæ quæ ſunt excitandis huiuſcemodi malis creſcũt, quòd morſis vſu venit a rabidis canibus. Nam apertum eſt non ociari, neque conquieſcere canis venenum, licet aliqua no ta non prodat, multis interim proximis menſibus. Verum illi ſtatim cũ viderint aquam, formido inceſſit, poſteaq; breui mo-riuntur, lõgo enim tempore cauſa, quæ rabiem efficit augetur, quæ vbi eo tandem peruenit mortem adfert repentinam. Ita inquit Galenus in hac phrenitide, loquitur enim ob phreniti-de, quæ tertia die peremit, uitioſus humor in corpore coacer-uatus fuit, veneno lethali propè adſimilis, in corporibus uici-nis aliquid paulatim agens, quæ quando vitio iam opportuna erant, humorque ipſe euaſerat vitioſiſſimus, lethale repente apparuit ſymptomata.

Hinc obiter adnotandum, Fracaſtor. lib. de morb. contag. 2. cap. 7. dicere ſolum hoc non a morſu canis rabidi affici, ſi dila-ceratur cutis, cum tamen & a ſola ſaliua afficiatur teſte Galeno canis rabidi, & ut Aretæus dicit, licet nullo modo momorde-rit, ſed in faciem hominis dum ſpiritus adducitur inſpirauerit, rabie inficiet hominem.

Gal. 6. de loc. 5. Aret. 1. de c. & ſignis acut. 7.

Auenzoar lib. therſir. 3. c. 4. emendans quæ præcedẽti capi-te dixerat, vt uidere quilibet poteſt, quoniam fœtum in priori capite ſanguine menſtruo nutriri dixerat, ait.

Pro certo embrio nutritur ſanguine puro & laudabili, ſed quia

quia dictus menſtruus in matrice impeditur & in corpore ipſius imbibitur, ſicut vaſa imbibuntur a liquoribus in ipſis impoſitis, & reſudando exterius humectantur, & quamuis vaſa vitreata, longinqua ſint ab infuſione & imbibitione liquoroſorum, tamen videmus quòd ex longitudine temporis, recipiant infectionem & imbibitionem a fermento, poſtquàm ibi factum fuerit, & continuatum fuerit tempore longo, ita quòd poſt multam ablutionem, ſi poſueris ibi paſtamazymam, fermentabitur abſque fermento aliquo, quòd non fiet in vaſe nouo: contrahit ergo a ſanguine menſtruo affectionem illam malam ſanguinis menſtrui, quæ ſola eſt etiam cauſa, quòd in hiſtericis vaporis ex loci natura, vt voluit Fernelius venenati excitentur, vt cap. de præfocatione uteri dicam.

Et hoc ſchemate inquit Auenzoar permiſcetur aliquid modicum ex dicto ſanguine in embrione, ſed fortitudine matricis, & ex alio multo & bono nutrimento, quòd recipit non læditur dum permanet in matrice.

Poſt autem exitum eius ab utero, nutritur infans & coadunatur calor naturalis in eo, & augumentatur, & confortatur natura, & conatur digerere, & ſubtiliare prædictum humorem malum & nociuum & ob longam meram potentē iam factum meo iudicio, & ideo ſanguinem etiam bonum inficientem, vnde ob hoc cū moleſtior naturæ ſit factus; tentat exterius ipſum expellere, & hoc fiet cum labore forti & anguſtia magna, & febre ualida & graui.

Sed inquit ex ſubſtantia prædictorum groſſorum humorum fiunt variolæ, & morbilli, qui exeunt cum febre ualida impetuoſa & maligna quoniam vides, quod illi, qui extrahunt butyrum a lacte non faciunt illud niſi cum labore magno & forti ualde, & motu laborioſo, atque graui, quare credendum eſt, quòd in motu & expulſione variolarum, & morbillorum illud idem accidere valeat, & deinceps externam uariolarum cauſam referens inquit.

Quod ſemper euenire conſueuerunt tempore epidemiæ factæ ex corruptione aeris, vel cauſa aquę putridæ vel corruptæ, vel ex cibis malis & corruptis ſumptis, & comeſtis.

Quæ ad verbum transferre volui, vt tanti viri authoritas magis valeat.

c.4. lib.3. theiſir. Siue ergo ob affectionem a matrice ex ſanguine menſtruo cõtractam ſanguis quo fętus nutritur in vtero vitiũ contrahat vt a quo labem hanc fœtus & ipſe recipiat, Auenzoar voluit. Siue ob reliquias aliquas impuri ſanguinis attractas cum puro ſanguine, quem pro nutrimento trahit fœtus, ex hoc nutrimento uitioſo cum diutius retẽtum fuerit iſtæ uariolę oriãtur dum natura ab eo moleſtata ipſum ad Cutaneas partes detrudit, facta ſeparatione iſtius impuri ſanguinis a puro efferueſcentia & agitatione tali, vt non mirum ſit febrem, & accidentia multa ſe qui non contemnenda, de quibus infra clarum eſt, quòd eſt purificatio ſanguinis quã tẽtat natura, nec mirum uideri debet quòd tandiu remaneat in corpore abſque nocumento aliquo ſi bene quæ de rabidi canis morſu dixi ex Gal. notantur, licet dubius ſim ego an verum ſit, quòd Iſaac dixit talem impurum ſanguinem a natura reconditum fuiſſe in partes vicinas cuti, nam quando fit expulſio iſta, verum eſt quidem ad cutim maiorem partem, iſtius ſanguinis expelli, ſed tamen non leuis copia ad partes etiam interiores expellitur, quòd oculis cernimus in palato & gutture, & ad interiores etiam partes expellitur ad uentriculum, inteſtina, & alias, ut ex corporum diſſectione non ſemel uiſum fuit multorum teſtimonio, & ex excretis, quando variolæ maturantur, vidi enim ſępius materiam ſuppuratam per vrinas, & per ſeceſſum excerni.

Exq uo melior mihi uidetur ſententia Gordonij & al iorum authorum, qui tenent talem materiam in poroſitatibus membrorum occulturum diſſeminatam nempe eſſe per minima in partibus ipſis, & quando fit ſequeſtratio iſtius impuri ab impuro, tunc quælibet pars extra venas quantumuis minimas ad ſuperficiem partis illius materiam hanc expellit, ad cutim plurimam tanquam ignobiliorem, cum qua partes ferè omnes, ſi non per contiguum, ſaltem aliquam communicantiam, præcipue mediantibus venis, vel arterijs habent.

Cap.

Cap. V.

SCio Fernelium & alios huius rei cauſam ad conſtellationes referre, & ad cauſas occultas, ea potiſſimum ratione, quia non uident quo modo non & mulieres quando menſes detinentur & in omne corpus redundant, uariolis & ipſæ non capiantur, & quomodo cætera alia quæ menſtruãtur, non etiam uariolas incurrant. Præterea, quia non uidit quomodo tandiu tale excrementum maneat in corpore ſine noxa apparente, cum uideamus ſæpe, & in iuuentute, & in ſenecta apparere variolas, non antea in talibus corporibus viſas. Præterea dicunt ſi à tali cauſa fiebant, quòd a principio mundi moleſtare debebant, vel antiquo tempore, & quòd ſi eſſet talis cauſa neceſſarium eſſet unumquemq; in uita pati uariolas, & neminem poſſe ſecundo, aut tertio prehendi ab illis, quòd tamen falſum eſſe dicunt, addunt rationem ab Arabibus ipſis, ut aiunt deſcriptam, nempe, variolas eorum teſtimonio aeris uitio produci. *li. de abdi tis rerum. cau. 12.*

Quibus quod ad conſtellationes attinet optime meo iudicio reſpondet Auer. Non poteſt dici inquit, quod fiant a cauſis externis (conſtellationes autem eſſe cauſas externas non eſt dubium) quia inquit Auerroes illę non ſunt neceſſariæ in omni homine, a variolis autem & morbillis nullus euadit & ęſt ægritudo ſicut naturalis, &c. *3. col. 8.*

Præterea, quòd ad primum argumentum eorum ſpectat dicimus, non eſſe parem rationem mulierum, in quibus retentæ ſunt purgationes, & nutrimenti fœtus, nam fœtus nutrimẽtum pro maiori parte eſt ſanguis purus, pars uero impurior pauca eſt, & mixta bono illo ſanguini quo nutritur, & cum eo tranſit per corpus, neque præ fœtus imbecillitate ſecerni & ſeparari poteſt, malum, a bono, ſed ſic remanet in partibus affixus. Id quod minime contingit in mulieribus, quibus menſes ſuppreſſi ſunt, quoniam per uenas cum alio ſanguine concurrit, & in tanta quantitate cum puro mixtus, vt niſi protinus euacuetur, uel a natura, uel ab arte, alia mala ingerat, hydropem puta, ſcabiem, & alia huiuſmodi, quæ etiam exanthematum naturam

refe-

referant, licet non variolarum proprie dictarum, uides ergo naturam a quantitate & qualitate talis ſanguinis moleſtatam non diutius illum ſuſtinere poſſe, ſecus eſt in fœtu, quando a principio talis ſanguis paucus eſt, & non moleſtus.

In ſumma alia eſt natura infantis, alia mulieris, aliud eſt, quod operatur humor in corpore, in quo a natura genitus eſt, aliud eſt, quòd operatur, ſi in aliud corpus ingrediatur, ſic menſtruus ſanguis ab aliis epotus effectus ueneni parit, licet in pauca quãtitate ſumatur, cum tamen in muliere retentus, licet multa pariat accidentia, non tamen adeo ſæua. Aliud præterea eſt, quòd operatur quando paucus eſt & longã moram trahit in corpore, & aliud quando multus per paruum temporis ſpatium in corpore moratur.

Nec ualet, quod aliqua alia animalia menſtruas purgationes habeant, quę tamen his morbis non tentãtur, differt enim animal ab animali corpus a corpore inquit Hippoc. ut tract. de peſte notum fuit, poſſunt enim affectus in homine produci & nõ in brutis, id quòd etiam de alijs morbis apparet, nam neque bruta morbis corripiuntur omnibus, quibus homo, neque è contra.

Quod uero tandiu duret in corpore, etiam poſt alios morbos, non eſt mirum ſi bene conſiderentur, quæ dicta ſunt a Galeno de Rabie, ut antea notauimus, neque enim quòd aliqui opinati ſunt, totus ſanguis infectus ſupponitur, ſed partes impurioris iſtius ſanguinis depoſitę ſunt modo antedicto, & cum paucus ſit diutius retineri poteſt, & tandem moueri, ut antea docuimus.

Præterea dicimus, quòd uidemus alios morbos ex utero contingentibus ſiue a matre contractos, non niſi poſt triẽnium & quinquennium, uel etiam plures annos ab ortu fœtus apparere, ut de lepra Azarauius notauit, quia humiditates infantis, vel primæ ætatis reſiſtunt ſiccitati humoris melancholici, a quo lepra fit. Pari ratione dicere poſſumus uariolæ, & morbilli indigent calido non obtuſo, & ideo tardant poſt plures annos ab ortu fœtus, plus minus ſecundum uarietatem complexionum, & ſecundum multam aut paucam infectionem menſtrui ſanguinis, quæ quandoque adeo pauca eſt, ut naturam non ſtimulet niſi a cauſa externa mouetur, quo tempore maxime uigent

iſti

iſti morbi non quòd cauſa iſta externa tales morbos ex ſe producat & ſic Arabes uoluere.

Quibus rationibus reſpondet ad illud etiam, quòd dicunt naturam eſſe ſolicitam de natura fœtus & ideo multa peragere vt eam ab omni eluuie emundet, quare non eſſe ueriſimile tandiu manere in corpore talem humorem, nam præter ea, quæ diximus, addimus etiam hoc eſſe naturæ opus quo ſanguinem a tali lue purificet, & ſanum hominem reddat ſicuti utplurimum fit, uerum naturæ motus ordinati ſunt, neque quod moleſtat excernit, niſi quando ipſum edomuit, ipſaq; natura morborum eſt medicus, ipſaque ſibi aditus patefacit inquit Hipp. *6. ep. 4. 1.*

Veriſſimum præterea dicimus, eſſe unumquemque ſemel in uita uexari uariolis, niſi prius eum mors arripiat, quàm illis infeſtetur, ut in dies experimur, neque negamus quamuis nouos morbos oriri poſſe ſciam maxime ex Celſo, a principio forte mundi cum primum alij morbi homines infeſtare cœperunt, hos etiam expertos fuiſſe, contentos autem fuiſſe authores antiquos de papulis in uniuerſali dicere, cum ſæpe ex generalibus particularia etiam intelligi uoluerint, ut interim taceam viros doctiſſimos teſtari multis in locis epidem. Hippoc. morbillos, & uariolas cognouiſſe. Neque uerum eſt bis aliquem uariolis corripi, niſi quando prima uice totam materiam natura non euacuauit, ob ægri præcipue commiſſa, quod ego non ſemel obſeruaui, quæ enim relinquuntur in morbis recidiuas facere ſolent, at cum natura perfectam fecerit euacuationem (ut fere fit) niſi impediatur, nunquam reuerſa eſt hęc ægritudo. *lib. 1. in procœm.*

Improbanda eſt etiam illorum ſententia, qui dixere neceſſariam, quidem eſſe purificationem ſanguinis cuilibet ſaltem ſemel in uita, & ideo quando purificatur uariolas oriri, uerum impuritatem ſanguinis non a nutrimento fœtus fuiſſe contractam, ſed ab ingluuie, & a malo nutrimento quo utimur, quaſi quòd natura otietur, ſemper, non attrahat, non concoquat, non excernat quaſi quòd uires & inſtrumenta non habeat ad excrementa excernenda idonea non partes ad purificandum ſanguinem deputatas, non lienem, non renes, non ueſicam felleam, nō alias huiuſcemodi partes, quaſi quod non inueniantur, qui paucis commiſſis erroribus uiuant, & tamen uariolis capiantur, licet non negem ego, qui malis cibis utuntur, magis illis infeſtari,

ſtari,

ſtari,& cum maiori periculo,aucta nimirum tabe illa & uariolarum,a cibis mali ſucci.

Aliqui ſtatuunt morbillos, & uariolas hæreditate paterna fieri,hæreditatem autem paternam,ſeu proprietatem, eſſe potentiam, & aptitudinem quandam filiis ingenitam, propter quàm redduntur apti,& diſpoſiti ad ſuſcipiendos morbos,qua aptitudine tanquam inſtrumento utitur natura, ad producendos effectus, & quoniam huiuſmodi aptitudo requirit materiam idoneam,& agens efficax, ideo hoc in caſu ſtatuunt materiam eſſe ſanguinem & ichores, & cauſam efficientem eſſe calorem,qui prout eſt maior,aut minor, ſic etiam modo magis, modò minus agit. His determinatis cōcludunt,ideo omnes homines tentari variolis, quia parentes noſtri omnes hac lue laborarunt, uitio aũt cœli parentes primo hoc morbo laboraſſe.

Hæc opinio nō minores patitur difficultates q̃ antecedens.

Primo ſupponit originem huius mali a cœlo ueniſſe, quòd tamen ipſi damnauerunt, præterea ad hoc iam quid dixerit Auerroes & veriſſime retulimus.

Ad hæc non negarim ego morbos dari hæreditarios, cum nedum id dixerit Hippoc. lib. de aere loc. & aquis, & Gal. 6. Aphor. 28. ubi uult Galenus pleroſque incidere in podagras, quia patres & auos habuere podagricos, in quibus ſemen erat uitiatum, atque ideo natis uehementiorem fecerunt partium imbecillitatem,ſed etiam id experientia demonſtret. Verum ſi uitiato ſemine parentum tales morbi ut ipſi referunt oriuntur neceſſario,cur non etiam ob uitium ſanguinis,quo nutritur fœtus, uel etiam ob uitium uteri ipſius, eoque magis quoniam ſi uerum eſt,quòd Fernelius refert,ob uteri naturam poteſt humor in eo gigni ueneni naturam referēs,qualis eſt ille a quibus uariolæ fiunt ex omnium conſenſu.

r. de uteri præfocatione.

Præterea illud dixerim me uidiſſe multos,qui patres,& auos habuere podagricos,uel aliis ſimilibus morbis hæreditariis tentatos,qui tamen nuuquam podagrici fuere, ut uel ex hoc conſtet morbos,quos uocant hæreditarios non neceſſario tranſire in ſucceſſores omnes. Non hæreditantur inquit Nicolus hæreditariæ ægritudines,uocatæ in omnibus filiis generatis,quia aliquando reſiſtitur ei ex conſtellatione aliqua,aut forti imaginatione temporum conceptionis, aut forte in proceſſu ex boni-

Tract. 2. ſerm. 1. de Diuiſ. mor. cap. 18.

tate

tate regiminis, ſint modo hæ cauſæ, an aliæ, ſat nunc ſit Nicolũ noſtram comprobare ſententiam, hæreditarias vocatas ægritudines non ſemper hæreditari.

Præterea hæreditarios morbos videmus, vel perpetuo manere, vt de Microcephalis conſtat, vel ſi perpetuo non manent, tamen non ſemel tantum, ſed ſæpius infeſtare, nec mirum cum cauſam ad hos morbos gignendos aptam ſemper habeant, ut quas iſti referunt, imbecillitatem nimirum partium, aptitudinemve illam a parentibus contractam, materiam, nempe humores, hac præſertim noſtra ętate, qua laute uiuunt homines, calorem autem illum adeſſe non eſt, qui non videat, cur ergo non ſæpius variolis tentantur homines? Præterea ſi ſemper adeſt aptitudo iſta ſiue mala qualitas in membris omnibus a parentum uitioſo ſemine contracta, unde etiam ſemper materia aliqua aderit parata ad tales morbos gignendos, quam poſtea filiis impertiunt, cur poſtquàm eas quis paſſus fuerit, non etiam ob contagium ab alio contractum afficitur variolis? quòd tamen non fit, nam ſoli qui illis non laborarunt contagio tali afficiuntur eo, quòd ſoli analogiam habent ad tale contagium ſuſcipiendũ, ut infra dicam, cũ de prognoſtico variol. ſermo erit.

Præterea uidetur iſtorum opinio, ichores tantum ſanguini tribuere, & tamen teſte Galeno quilibet humor ſuos ichores habet. Si ergo ab ichoribus ſanguinis variolæ tantum oriren- *6.ep.2.38* tur, ut iſti uidentur ſupponere forte admitti poſſet ob hoc non horrere, qui tales morbos patiuntur, quia ichor ſanguinis mitis eſt. At quid dicemus de morbillis, quos neceſſe eſt ſi ab ichore fiunt fieri a bilis ichore, quid de ichore bilis, quæ eſt maligniſſima? nam ichores iſti mordaciſſimi erunt, ob quos neceſ- *6.ep.2.38* ſario horrores vehementes fieri debent.

Conſtat ex his, & aliis quæ facile eſt unicuique inuenire, nõ minores difficultates horum rationes habere, quàm quas Arabes attulere, & maxime Auenzoar, ac proinde cum in arduis ſat ſit probabiles reddere cauſas, vt etiã in Timeo fecit Plato, debemus priſcorum rationibus eſſe contenti, a quibus, ſi rationes de ijs probatiſſimas atque exactiſſimas referre non potuerunt, ſatisfactum eſſe putare debemus, ſi non minus probabiles quàm quis alius rationes attulerint, ut uerbis Plat. vtar, Neq; nos multum ſolicitet authorum in re hac diſcordia, quãdoqui

dem in curationem omnes conueniunt, propter quàm cætera a nobis perquiruntur, uidemus & eos eandem tradere curationẽ, ne dicam eadem remedia, quare hæc pro defenſione veterum, nos reliqua proſequamur. De morbis iſtis miſerabilibus cum enim cauſam habeant inuoluntariam miſerabiles ſunt, dignique miſericordia ſunt qui illos patiuntur, non ſecus ac qui cœci à natiuitatem fiunt.

3. Ethic. Ariſt.

Cap. VI.

EX prædictis conſtare arbitor quid ſint variolæ & quæ ſit earũ cauſa ſaltem probabilis, conſequens eſt de ſignis earum dicere, & primo variolarum proprie dictorum deinde morbillorum & ſcoptularum.

Vide infra cap. 8.

Pręcedunt itaque variolas ex ſententia Auicennæ, Hal. Raſ. & omnium Arabum febris ſynocha ſiue cõcluſa, quę vtplurimum meo iudicio eſt ſine putredine, ex feruore ſanguinis ipſius, ſaltem in principio, quando ſalubres ſunt, inditio eſt, quia cum apparent febris ceſſat, urinæ a principio laudabiles ſunt, pulſus magni quidem celeres & frequentes, ſed tamen qui contractionis illius celeritatem non habeant, quam feb. putridæ habent; calor nõ eſt admodum mordax, licet quãdo ulterius malum procedit, ſi non bene excrementum hoc natura expellat, ſoleat in putridam tranſire, & ſigna ſynochę cum putredine præ ſe ferre quæ cap. proprio retulimus.

Animaduertendum eſt etiam, quòd ſæpius obſeruaui, quòd licet, qui variolis tentantur, ſalubribus, poſtquam natura eas expullerit perfecte, a febre immunes ſint, tamen cum maturare incipiunt, præſertim ſi multæ ſunt & partes interiores, & exteriores tenet, febrem ſuperuenire, non diſſimilem ab ephemera, quæ ratione apoſtematum fit, quæ tandiu durat, donec pus excernatur & variolę manifeſtæ declinant, & quoniam ſępiſſime contingit non vno & eodem tempore eas maturari, ſed diuerſis temporibus ſicuti diuerſis etiã temporibus exeũt, vtplurimum enim a facie incipiunt deinde circa hypochõdria & ut infra dicam, vnde quæ prius apparuere citius maturantur, tardius quæ ſero, hinc eſt, quòd talis febris per plures dies

perſe-

perſeueret, dum enim una pars uariolarum eſt in declinatione' altera eſt in augmento, ſæpius eſt altera pars in ſtatu.

At uero, cum periculoſior eſt ægritudo feb. ſynocha a principio putrida eſt cum manifeſtis ſignis putredinis, uel ſaltem tertio, uel quarto die, quæ non putrida erat, in putridam tranſit, uel etiam medicorum culpa quandoque, de qua re cap. de ſynocha.

Sunt, qui Paulo antequam erumpant papulæ iſtæ veluti epileptici concidant, ut refert Holler. quòd ego obſeruaui ſemel in ſerua annorum in xij. Illuſtriſſimi Petri de Bonadilia Caſtellani Mediolani, quæ nunquam fuerat epileptica & a ſynocho capta paulò poſt epileptica facta eſt, & non multo poſt eadem die erumpere cœperunt variolæ.

Præcedit præterea uariolarum exitum dolor dorſi, pruritas narium, timor in ſomno, rubedo faciei & oculorum, adſunt oculorum lachrymæ, & multitudo halicum, & ſaltus cum anhelitus conſtrictione, & pectoris dolore, capitis dolor adeſt, cordis tremor, dolor in gutture & aſperitas inquit Holl. oris exſiccatio.

Patiens inquit Raſ. manet ſapimus, & ſæpe mouet pedes, & tremit, & pes dolet dum mouet ſe, vel reſupinat, & in ſumma inquit Nicolus adſunt ſigna plethoricæ diſpoſitionis, & tu adde, & ſanguinis ferueſcentis ad quæ duo prædicta omnia reducuntur. 18. *cont.* 8

Sentiunt præterea punctionem vehementem in membris, ac ſi inquiunt eſſent ſpinæ fixæ in eis quia, inquit Iſaac materia volens egredi, cutem & carnem ſeparat, at facilius exeat, id quòd tertio die ferè contingit, licet quandoque ſecunda, uel etiam prima die ob caloris febrilis magnitudinem, alij tamen voluerunt punctionem dictorum membrorum non fieri a materia ſubtili acuta penetrante in ſubſtantiam membrorum ſicut contingit in apoſtematibus panniculorum, ſed cauſari per ſeparationem materiæ factam a parte qua continetur, cum delegatur ad aliam partem.

Præcedit tuſſis leuiter irritans, ſiue ob vapores eleuatos a feruore ſanguinis circa partes ſpirituales ubi plurimum feruere demonſtrant anhelitus difficultates, & pectoris dolores, vt antea dixi. Siue vt refert Valeſ. id accidat fieri incipientibus 4. *ep.* 113.

eruptionibus,ſecundum internas membranarum facies,in uentribus & cauis corporis partibus, locis præcipue calidiſſimis, vt in thorace,qua paſſione procedente,inquit uentriculi euerſiones,& dyſenteriæ ſatis periculoſæ fieri ſolent.

Cum uero incipiunt apparere,primum ut ſæpius ego obſeruaui, præ ſe ferunt uibices quædam morſibus culicum ſimiles, ita vt a papulis non differre uideantur,unde uoluit Raſis,quòd quando ſenſu non potes iudicare ſi ſint uariolæ; uel morbilli, tunc ſecundam diem eſſe expectandam & tunc uariolas eſſe iudicabis quando fuerint eminentes,ſin minus morbillos,adde quòd ſi ſcoptulæ fuerint, quòd veluti veſicæ apparent, ut ſupra retuli.

Verum quando referunt morſus culicum quomodo a peticulis diſtinguitur? hoc a nemine dictum uidi,quare quòd obſeruaui dicam.

Obſeruaui ergo in peticulis vrinas in principio, vtplurimum vel eſſe perturbatas, uel confuſas, vel alia ſigna putredinis præ ſe ferre, & alia malignitatis ſigna febris mali moris adeſſe,in variolis autem ex morbillis vrinas eſſe laudabiles, neque ex pulſu aliave parte adeſſe malignitatis ſigna,aut intenſæ putredinis,ſic ſoleo in principio ſymptomatica iſtis, diſtinguere,nã proceſſu tẽporis uiſus eas diſtinguit, licet tunc,quando morbus naturam uincit,uel putredine aucta etiam in uariolis,& urinæ perturbantur & ſigna malignitatis ſuperueniunt.

Poſt uibices dictas ſolet ſequi pruritus quidam licet nõ ſemper ut obſeruaui, deinde apparent res ſicut capita acuum in cute quæ paulatine egrediuntur donec fiant ſimiles grani milio,& paulatine creſcit,ad magnitudinem, maiorem aut minorem ſecundum materiæ quantitatem & ſi ſalubres fuerint replentur,& maturantur,& rumpuntur,& exit ſanies manifeſta, & in parte etiam quandoq; teſoluuntur, poſtea fit cruſta, quæ per ſe cadat,& tandem relinquit ueſtigia maxime in labijs, genis, naribus & præputio ob cauſas dictans ab Ariſtot. 3. de nat. anim. 11. & ſi profundæ cauitates fuerint magis apparent ſin minus ueſtigia rubea tantũ,quę ſigna rememoratiua dicuntur.

in diuiſ. cap. 159. Morbillos eadem ſigna fere præcedere ſolẽt, quæ uariolas diximus præcedere,niſi quòd in morbillis inquit Raſ.febris eſt uehementior, & calidior. eſt ſynochus cauſonides & caliditas totius

totius eſt maior, & febris iſtorũ ad ſtatum magis properat ita,ut in tertia ad ſtatum ſit, & obſeruaui rubedines & inflammationes oculorum citius fieri, & uehementiores, & lachrimant magis, quia materia eorum eſt acutior,& magis mordicat, ut inquit Auicenna, & in ſumma bilioſi ſanguinis ſigna, adſunt,vel bilis efferueſcentis,de qua re cap.de Cauſonide,ſubito apparent, cum variolæ aliquid poſt aliquid exeant teſte Auicenna,in morbillis non eſt dolor dorſi vt in variolis,in quibus multus ſanguis ebulliendo in caua vena dictum dolorem parit,cum a multitudine ſanguinis corrupti fiant, morbilli vero ob malitiam ſanguinis pauci corrupti fiunt, inquit Auic.

Et cum incipiunt ex ore videtur iſtius cutis colorata hic atque illic maculis pallidis, non autem referre morſus culicum.

Paulo poſt ad ſummum tertia licet ſæpius ſecunda morbilli ſe manifeſtant & ſunt ut antea dixi leues tumores,granum milij referẽtes coloris pallidi,& reſoluũtur ſtatim,quæ poſt ſe ruborem quendam relinquunt & epidermidis exaſperationem, quæ per ſe poſtea ad priſtinum reuertitur. Raſ. inquit uehe- 18.*cont*.8.
mens anguſtia aſſidue abſque nauſea cum murmuratione & labore aſſiduo,ſunt ſigna uariolarum, quæ ſigna etiam poſt 9.diẽ ſe vidiſſe ait, vt per hoc conſtet ſecundum multitudinem, uel paucitatem,& ſecundum craſſitiem, uel tenuitatem,aut mordacitatem, uel e contra, ad plures, uel pauciores dies extendi iſtum morbum. Scoptulas eadem præcedunt ſymptomata, ſed mitiora.

Et cum incipiunt apparere manifeſte uiſus illas iudicat, veſicæ cum appareant manifeſte de qua re ſupra.

Et utplurimum per ſe rumpuntur ſin minus quando durior eſt cutis arte,exitque ſanies pallida & aquoſa,& nullum poſtea ueſtigium notabile relinquunt.

Sed perpetuo memoria teneas,licet dãtur leges in medicina tamen,non eas eſſe inuiolabiles,utplurimum quidam feb. quæ venit cum dictis variolis cõtinua eſt & ſynocha, vel ſynochus cauſonides. veruntamen obſeruaui hoc anno dum hæc ſcriberem in Caſtro Mediolani cum miles 25. annos uel circa natus tertiana ſimplici laboraret prorſus intermittente, & quæ ne octo quidem horas acceſſionis febrilis haberet cæteras prorſus immunes a febre in declinatione ſeptimę acceſſionis ſuper-

uene-

uenerunt ſigna, quæ culicum morſus referunt, quare omnes exclamabant hoc morbi genus eſſe, quòd ipſi Tabardillo uocant nos peticulas, ego eodem ſeptima die ipſum viſi propter acceſſionem, erat ipſe prorſus immunis a febre, neq; ueſtigium putredinis in urinis, aut pulſu ullum videbã. Octaua die prorſus a febre liber erat & in omnibus bene ſe habebat, uariolæ iam manifeſtæ erant, quæ procedente tempore ad conuenientem magnitudinem prouenerunt, maturaruntq;, & cum ſalute terminarunt, neque poſt ſeptimã vnquam ulla febris ſuperuenit, niſi quando ad maturationem peruenerunt, vt ſupra dixi contingere, & debito regimine ſanatus fuit & adhuc uiuit.

Aliam mulierẽ curandum habui diutina febre in ſcirrho lienis atque alijs obſtructionibus laborante, quæ cum a me ab iſtis malis multo cum labore ſanata eſſet, iamque prorſus a febre libera eſſet, derepente eam noctu febris continua acuta inuaſit cum delirio & accidentibus, quæ ſequi ad morbillos diximus, & eadem die ſe morbilli manifeſtarunt, a quibus perfecte termino ſeptem dierum profluuio alui liberata fuit.

Vt uel ex hoc conſtare poſſit, diuerſos quandoque humores, in locis diuerſis latitantes, varios & diuerſos morbos poſſe mouere, eodem etiam tempore, ſic quandoque laborat unus feb. intermittente, a qua cum nondum liber ſit, altera ſuperuenit continua, forte ab agitatione febris ſimplicis motis humoribus, qui dum quieſcerent nihil mali inferebant, quæ occidit ægrotantem, & ſuſpectos reddit aſtantibus medicos, qui antea ſalutem ægroti prædixerant, & iure quia in intermittenti nullum adeſt periculum. Sic nobiliſſimus uir hoc anno mortuus eſt, qui tertiana ſimplici captus, in quarta acceſſione a feb. continua, & maligna captus poſt paucos dies perijt.

Aliam uidi aliud morbilli genus habentem, eminentiores erant quàm morbilli, minus eminentes uariolis, alia erant ſigna morbillorum, a quibus per reſolutione eorũ termino 20. dierum liberata fuit cum vſque ad 14. in maximo uitæ diſcrimine uerſata eſſet.

SIGNA CAVSARVM DICTARVM PAPVL. Cap. VII.

SIGNA vero materiæ in uariolis contentæ habentur, quoniam inquit Iſaac ſi de puro ſanguine fuerint, ſunt rubeæ, ſuperius acutæ, inferius latę, cito maturantur & in ſaniem conuertuntur, ſuntque ſalubres, quia ſanguis eſt amicus naturæ, & digeſtioni obediens, calidus & humidus cum ſit.

Si a bilioſo ſanguine fuerint, vincente tamen ſanguine, ſunt citrini coloris, paruæ rotundæ, capita earum acuta, & quaſi acus pungitiua, propter acuitatem materiæ, ac propter quam earum ſigna quo ad ſalutem & mortem dubia ſunt, ſi tamen laudabilia ſigna cōcomitantur, ut coctio in vrina die critica apparens, & ſi febris & ſitis mitigentur, & variolæ aperiantur, & ab eis humiditas effluat, bonum nuntiant, contraria ſigna contrariam demonſtrant.

Si flegmaticæ fuerint nempe ſanguine dominante flegmati mixto, latæ ſunt, lenes, difficiles ad digerendum, uel etiam nullo modo digeruntur, ex quarum materia ſub cute putrefacta fætor magnus generatur, præcipue ſi materia ſalſa fuerit. Si tamen pus fiat tunc diſcutiuntur, etſi fluit ab eis putredo ęruginoſa mortem nuntiat, præcipue ſi urina fuerit cruda.

Melancholici ſanguinis ſigna ſunt, quia in initio liuidæ, deinde venetæ, ultimo nigræ fiunt, in quibus, non coadunatur humiditas, ſunt enim paruæ, duræ quaſi duræ uerrucæ, & ſunt peſſimæ, neque maturantur, neque humiditas ab eis effluit, ſed ſiccantur, & finduntur, inquit Iſaac, ſyncopis ſuperuenit, animive defectio, & alienatio, quibus apparentibus mors annunciari poteſt.

Signa materiæ in morbillis contentæ habentur a dictis, quę ſi quandoq; craſſior fuerit, eminentiores fiũt morbilli, & ſunt ueluti quid medium inter uariolas, & morbillos, quòd ego obſeruaui quandoque.

Scoptularum materia ex his quæ dicta ſunt manifeſta eſt.

Cap.

Cap. VIII.

SIGNA, quæ variolas prænuntiant iam ex his minifeſta ſunt, quæ diximus uariolas ſolete præcedere, quæ omnia collegit Raſis dicens cum febris acuta & concluſa euenire cœperit pueris præcipue aut iuuenibus, maxime cum a pueritia ad adoleſcentiam fit tranſitus, vt ipſe refert 18. cont. 8. tunc enim ſanguis dominatur & efferueſcit, fueritque cum ea dorſi dolor, & narium pruritus & in ſomno timor, & capitis grauitas, & oculorum rubedo, & in corpore ſentitur punctio, ſciendum eſt, quòd ægro, aut variolę, aut morbilli citiſſime ſuperuenient.

In Diuiſi. Superuenire autem ſolẽt ſi ſalubres ſunt, futuræ, 3.4.5. & 7. licet ipſe Raſis dixerit multotiẽs ſe uidiſſe, variolas poſt nonũ diem apparuiſſe, cum tamen nullum accidens variol. aut morbillorum prçceſſiſſet, niſi aſſidua anguſtia abſque nauſea.

Si autem prima, aut ſecunda die appareant ex vehementia febris id fit, & ex profunda & vehementi ebullitione, uel ex multitudine, & malignitate humoris, ſymptomatice ergo & cum periculo erumpunt.

Signa mala in Variol. & Morbillis.

DEteriores inquit Raſ. ſunt Variolæ, & Morbilli, coloris violacei, uel uiridis, aut nigri, & quanto magis ad nigredinem declinant, eo peiores inquit Auicenna, verum de his coloribus plura ſupra cum de papulis febrium peſtil. dixi.

Paruæ, duræ, & quæ non maturantur ſunt malæ, & difficile egrediuntur, & ægre maturantur, neque febris, neque æſtus ſedatur, aut alleuiatur, & præter hæc ſyncopis ſuperuenit, & cordis tremor, æger proculdubio morietur, quòd etiam ſupra notum fuit.

Quæ ſunt albæ, paruæ, & duræ difficilis exitus, licet in principio ſpem ſalutis præbeant, tamen timendum ne earum maturatio difficile fiat, ob materiæ craſſitudinem, unde exterius non expellent, ſed potius retrocedẽtur, ac propterea mors timenda

eſt.

eſt. vnde Raſis ex his quandam fuiſſe mortuam refert, quæ ſentiebat interius inflammationem, materia retrogreſſa, ad partes interiores. 18.*cont*.8.

Vibices dicebat Aet. qui retrocedunt peſſimi, niſi forte eorum materia per aluum euacuetur, lib. de Mirabil. Raſis habetur quendam habuiſſe accidentia veneni ob blacicas porris ſimiles, quæ retroceſſerant, qui diem ſexta mortuus eſt.

Proinde dicunt ſi variolæ quandoque occultantur, quandoque exeunt, malæ ſunt, maxime violaceæ, vel nigræ.

Proculdubio occidunt, quæ tenaces cum ſint virtutem debilitant, & membrum viride, aut nigrum reddunt, niſi forte inquiunt ſuccedat ab eis reſudatio, non faciens cadere uirtutem, ſed ipſam fortificans, tunc enim non ſunt mortiferæ, licet faciãt quandoque cadere in ulcera mala & difficilis curationis, unde ſequitur etiam membrorum corruptio, licet enim creticæ ſint, & ob id alleuient naturam, tamen ob malignitatem humoris dicta damna inferunt.

Concludunt, quòd Variolæ, citrinæ, paruæ, durę, propinquę, multæ, vehementis rubedinis, violaceæ, & quæ ambulant, vt formicæ, & quæ faciunt ſuperficiem corporis, vt ſpaſmati, & quæ terminantur ad corruptionem membri, ſunt mortales, ac proinde, quæ multæ ſunt, & continuantur adinuicem habentes latera, aut rotundam formam, licet albæ ſint, malæ ſunt. & ait Raſ. quòd variolæ circulatæ, & quorum capita ſunt occultata mortales ſunt.

Peſſimæ ſunt magnæ, & duplices, ideſt quando in uentre vnius eſt altera variola, ſic eas vocat Raſ. Si in facie, pectore, & ventre appareant pluſquam in pedibus & cruribus malum eſt.

Anhelitus variol. aut morbillos patientium admodum frequens, caſum virtutis, vel apoſtema diaphragmatis demõſtrat. Si anguſtia cum ſiti adeſt, quæ non permittit ægrum quieſcere, & extrema refrigerantur, & ad colorē viridem accedunt, morbus eſt in foribus præcipue, ſi uel tarde appareant, uel poſt apparitionem tarde egrediantur. Si in magnis uariolis adeſt extremus dolor in tibiis malum eſt ſignum, inquit Raſ. maxime ſi nigricant eodem teſte mortales ſunt, quæ in furore feb. apparent, ſcilicet non alleuiata febre.

At uero,quæ albę ſunt,pauci numeri,magnæ, non duplices, facilis exitus,paucæ anguſtiæ,cũ pauca febre,quę ad eorum exitum diminuitur,ſalubres ſunt, maxime ſi dictis diebus creticis apparere incęperint.

Dictis in bonitate ſuccedunt, quæ ſunt albæ, magnæ pluris numeri,propinquæ ſibi ipſis,ſed ſine continuatione.

Si ad febrem ſequantur uariolæ, eam ad modum criſis alleuiãtes,ſaluus eſt, inquit Auicenna,quàm ſi ſuperuenerit febris ad eas.

Salua res eſt ex omnium ſententia ſi vox, & anhelitus remanent ſine læſione, quia partes ſpirituales, & guttur illæſas eſſe demonſtrant,quod optimum eſt.

Nã qui ex uariolis moriuntur,inquit Auicenna plerunq; ex angina ſuffocati pereunt,orta nimirũ inflãmatione in gutture.

Voluere tamen,aliquem poſſe mori illæſa uoce, & anhelitu illęſo,ob fluxum dyſentericum ſuperuenientem,ob eius uehementiam reſoluta uirtute,& ſub orta ſyncopi.

Periculoſiores ſunt, ut experientia demonſtrat in adultis, ratio uidetur eſſe,quia quanto plus moratur natura ad eas expellendas,eo craſſiorem & uiſcidiorem materiam eſſe demonſtrat,quæ a natura domari non potuit in pubertate, quanto autem plus moratur in corpore,eo deterior fit.

Alij dicunt rei iſtius eſſe rationem quia quanto materia malignior fuerit,tanto magis eam aggredi natura timet, uerũ Natura indocta & inerudita, non cogitatione operationes ſuas fa
6.ep.5.2. cit,inquit Hippoc.

Raſis dixit pueros albos & rubeos habentes capillos blundos, eſſe ad uariolas paratos, macilentos autem & nigros remotos eſſe ab eis.

Contagioſas eſſe omnes norunt,ſed cum eis tantum,qui eas non habuerunt, quia nondum illorum ſanguis purificatus eſt a ſanguine illo menſtruato de quo ſupra,& cum quo analogiam habent non cum aliis humoribus.

Variolatur homo, inquit Auicenna multoties duabus uicibus, quando materia aggregatur ad expellendum bis, dicunt aliqui ex malo regimine. Ego obſeruaui, eos bis pati uariolas quando prima uice tota materia expulſa non fuit,quod ob eorum intemperantiam maxime contingit, unde ob derelictam

mate-

materiam ſit recidiua, eoque magis quando in uictu poſtea peccant, alioqui ſemel patimur variol. & morbillos, quòd & Raſ.& Auer. etiam dixerunt; ſi quis tamen obſtinate contendat quandoque contrarium contingere, dicimus Artem eſſe de his, quæ non raro, ſed ſępius contingunt, ex decreto Galeni, ut notum eſt. Raſ. dixit poſſibile eſſe, vt qui ſanguinem acutum habet bis & ter incurrat uariol. ea nimirum ratione, quia ſymptomatice erumpere ſolent, ut antea dixi cum tali ſanguine: modo quę ſic eueniunt reliquias in corpore relinquunt, unde recidiuę. *Loco dicto contin.*

Mali ſunt morbilli, fuſci coloris per totum corpus apparentes, maxime ſi patiens fuerit iracũdus, & murmurat, & pigreſcit, & eius uenter inflatus & percuſſus, ſonitũ tympani reddit.

Raſis in Diuiſionibus, uult Morbillos eſſe periculoſiores uariolis, niſi quòd uariolę magis ſolent oculis noxam inferre.

Idem uoluit ſi poſt coctionem apparent in die cretica ad ſalutem eſſe, e contra ad mortem, maxime ſi ſecunda, uel ſexta die appareant, quòd reſpondet in omnibus doctrinę Hippoc. & Galeni. *18. contin.*

Si uideris autumnum uehementis caliditatis & ſiccitatis & hyemem ſuę naturę propriæ, expecta inquit Georgius uariol. in fine hyemis. Autumno etiam ſicco pręcipue ſi ęſtas calida admodum fuerit teſte Auicenna fiunt uariolę & morbilli.

Collegit Nicolus ſigna bona, & dixit. Sanguineæ ſunt ſaluæ, & cholericę ſuſpectæ, & quæ ſunt a flegmate ſalſo, & emittunt ſaniem æruginoſam ſunt mortales. Variolæ vero quæ ſunt in principio teneræ & molles, & ſunt in prima apparitione ad modum phlegmonis rubei, deinde dealbantur, & ſaniantur, prætérquam quòd in colore permutentur, & quæ ſunt paruæ & rotundæ, abinuicem diſtinctæ, & non multæ, & ſunt in extremitatibus corporis plures, in facie vero, capite, & pectore ſunt paucæ, neque oculos, neque guttur, neque nares offendentes, quę cito & continue, & facile exeunt, nec tarde, nec difficulter, & neque deliteſcunt, & ſunt cum febre leui, quæ antecedit eas, & poſtquã apparuerint febris alleuiatur, & ſunt cũ leuibus accidentibus cum cõſtantia uirtutis, & facilitate anhelitus, & uocis claritate, ac bonitate, abſq; prauis accidentibus ſupradictis, ſunt ſaluę, pręcipue ſi pueris, & in prima ætate contingant, hęc qui-

dem ſunt optima ſigna & ſi omnia adfuerint optimum, & quo plura eo ſecuriora,& quo pauciora eo minus ſalua.

Cap. IX.

ANTEQVAM ad curationẽ deueniam iſtarum affectionum,licet meo iudicio ſit difficile præſeruari ab eis, neq; forte ſit hoc neceſſarium, aut utile cum ſemel eas unumquemq; pati ſit neceſſe,niſi forte quando pernitioſæ uagantur quis bonum eſſe iudicauerit differre earũ exitum,tamen nonnulla hic ad hanc intentionẽ referre uolui,quæ ad hoc deſeruient ſaltem,ut ſecurius quis eas incurrat.

18.cont.8 Puerum inquit Raſ. ad variolas paratum & morbillos conſerua ne vere, & hyeme cadat in febrem acutam mitigando & extinguendo feruorem ſanguinis eius,inquãtum potes,& ſubtiliando regimen eius,exhibendo quę ſanguinem ſubtilem generant,& cauendo ne ſuperficies corporis eius ſit ſpiſſa,ſed extenuetur fricatione,exercitio, & balneo in ęſtate. In autumno autem non indiget tanta cuſtodia ſed minore, quia in æſtate fit magna reſolutio,ob quam autumno ſanguis erit paucus. Georgius etiam dicebat, quòd quando expectantur variolę ob conſtitutionem pręteritam & pręſentem,de quibus iam dictũ eſt, quòd debes te induere multis pannis,& tueri te a frigore, neque debes inſpirare liberalius aerem frigidum.

DE CVRATIONE VARIOLARVM. Cap. X.

CVRATIONES indicatiuas in variolis, morbillis & ſcoptulis per ſe ſupra,vbi diximus quomodo papulę in cõmuni ſunt, curandę ex Hippoc.& Gal.ſententia.

Indicatio prima eſt, quòd cum natura per conuenientẽ regionem humores noxios purget,per eandem partem ſunt eua-
1.aphor. cuandi, nam quo natura vergit eo per loca conuenientia duce-
6.epid. re oportet,& ideo Hippoc.dicebat ut ſupra dixi quòd per cutem

tē euacuandi ſunt,humores non vomitu ſiue alio modicamento purgante euacuandi per uentrem, eſt enim nimis via larga, vt ibidem dicebat Galenus, euacuantur autem per cutem calefacientibus & poros dilatantibus a profundo ad cutim trahentibus.

Verum licet hæc ſit uera variolarum,morbillorum, & ſcoptulorum, curatio quatenus ſunt papulæ a natura commode excretæ,nihilominus ſi in profundo adeſſet copia humorum, neque tota per papulas euacuaretur, non eſſet tutum per cutim tentare talem euacuationem,niſi prius humores in profundo exiſtentes euacuarentur, quare ex urinis & alijs ſignis conuenientibus,vt ibi adnotauimus conſiderando,ſi, & quales humores abundent,& proinde vel venæſectione quæ in variolis & etiam ſcoptulis prçcipue conuenit, uel medicamēto purgante, humorem prçſertim bilioſum, quòd maxime in morbillis conuenit euacuandum.

Verumtamen,quia vtplurimum videmus in variolis a principio vrinas eſſe bonas iure poſſumus credere, iam ſeparatam eſſe materiam dictorum tumorū a bono ſanguine & ideo ſi onus naturç relinquatur,nec aliqua euacuatione impediatur videtur tutius, niſi forte primo, vel ſecundo die, cum nondū ſcilicet,apparent ſigna, naturam expellere iſtos humores, ſed tantum ea, quç plethoricam diſpoſitionem, uel ferueſcentiam ſanguinis demonſtrent, vena ſecetur moderate, euacuando ſanguinē,vel aliquod leue pharmacū,ut caſſia cum tamarindis, vel ſuccus roſ.ſol. vel aliud ſimile propinandū,vt minore facta materia,& ideo alleuiata natura ab onere ſit cauſa, vt facilius, ꝙ reliquum eſt expellat, quod ſecurū magis reddet medicum in adminiſtrandis poſtea auxiliis, quæ ad cutim humores auocent, ſic in magna plethoria euacuationē Auicenna tētabat in cura variol. & quòd dixi de ſecundo die intelligo etiam poſt quartam, & etiam ſeptimam & nonam, ſi nondum appareant variolæ,cætera autem euacuationem indicent.

Apparentibus autem ipſis variolis,vel morbillis,vel ſcoptulis, rariſſime poteſt conuenire euacuatio, nam cum papulæ iſtæ per uiam Criſis apparere ſoleant, quæ ad bonū terminare ſolent & ideo illis apparentibus febris & alia ſymptomata leuiora fieri incipiunt multo minus in his quàm in alijs papulis

conueniet euacuatio aliqua,neque ego vnquam quando apparent ad commodum,ſcilicet quando confert euacuatio iſta, & eam bene ferunt ægrotantes,aliquam tentarem euacuationem,
18.cont.8. ne motus naturæ impediatur, licet Raſis antequã omnes exeãt variolę,venã ſecat,cęterũ quando apparerent ſine alleuiatione & adeſſent ſigna humorum in profundo exiſtentium, præſertim cum magna febri, & difficultate anhelitus, & non eſſet facta venæ ſectio primis diebus, cæteris conſentientibus maxime in magna plethoria non eſſet inconueniens euacuatione uti,ſed parca & hoc cum conſideratione agendum, ne ſi ad malum terminetur ægritudo, vt ſæpiſſime facit quando apparent ſine vlla alleuiatione,medico poſtea detur mortis cauſa, quod ſi uoluit inferre Raſ. Loco dicto, quando dixit quòd ſi omnes variolæ appareant,debet fieri venæ ſectio, ſed in pauca quantitate,non eſt redarguendus. Cæterum ſi iam omnes apparerent cum alleuiatione febris & accidentium cum vrinis bonis ſicut vtplurimum fit, ego nullo modo euacuarem, neque per venæ ſectionem, quæ maxime conuenit in variolis,quoniam, vtſupra diximus a feruore ſanguinis fiunt, neque per pharmacum aliquod,quòd maxime in morbillis fit, ne naturæ motus impediatur, tum etiam ne materia ad inteſtina deriuetur,quæ ſæpe ſolet dyſenteriam mortalem inferre.

Nunquam tamen ad ſyncopim uſque detrahi debet ſanguis vt Ioanitius præcipiebat,ratione antedicta &quia expectamus euacuationẽ a natura, ne debilitata a nimia euacuatione, quod eſt reliquum,poſtea non poſſint expellere.

Et quando in principio adſunt ſigna euacuationis fiẽdæ antequam appareant, uel etiam quando incipiunt apparere ſine alleuiatione morbi fiat venæ ſectio ex baſilica dextra & ut cap. de Synocho uel Cauſone ſynocha dixi.

Quod ſi vel ob ætatem, vel ob alias cauſas ſæpius dictas uena ſecari non poteſt in tali caſu tũc, vel ſanguiſugæ uenis applicentur conuenientibus, uel uentoſæ, cum ſcarificatione applicentur, pulpis crurium, natibus,& coxis, & ubi maxime apparere ſolent, uel etiam ubi apparent tunc temporis, facie tamen excepta, uel ſcarificationes fiant, ut tractatu de peſte notauimus.

Alioqui ſi euacuatio non fiat quando ſcilicet, non apparent

vel

vel ſi apparent, non cum alleuiatione morbi, & cum ſignis, quę plenitudinem corporis demonſtrant (ſępius enim, quæ utilia ſunt repetere oportet) periculũ imminet Auicennæ & Raſ. teſtimonio, ne membrorum extrema corrumpantur, ſi materia ad illa mittantur, vel alio quouis modo ſuffocatus pereat æger a multitudine ſcilicet, & mala qualitate ſanguinis ſuffocato, & extincto calore innato.

Et nedum dicto modo euacuari debet ſanguis, ſed ſi plethorica diſpoſitio uideatur eſſe in capite quòd ex ipſius dolore, & inflatione, & rubore faciei & oculorum cognoſces. Præcipue ſi adſint ſigna fluxum ſanguinis portendentia, cum tamen non fluet, ut ſplendoris, uel lampadum apparitio circa oculos, tunc, uel ſecetur uena narium ubi ſanguiſugæ applicari ſolent, uel ſanguiſugæ applicentur ipſis naribus, vel ſetis porcinis ſanguis narium prouocetur, uel alijs ingenijs, quæ diximus cap. de ſang. flux. narium.

Hæc enim ſanguinis euacuatio a naribus, uel ſponte, uel arte facta adeo confert, maxime cum adſunt ſigna antedicta, ut ſolo fluxu iſto ægrotantes iſtos ſanatos uidiſſe Raſis dicat, & 18. *cont.* § eam ſolam præſeruare a nocumento oculos & alias faciei partes dixerit Auicenna, quæ ſanguinis ex naribus euacuatio ſemper medicum excuſat ab omni alia euacuatione, ſicuti facit etiã quæ per uterum, uel hæmorrhoidas fit, modo fiat cum alleuiatione, imo quòd iſtæ euacuationes ſi retentæ eſſent a principio tempore dicto antea commode prouocari deberent ingeniis ſuis capitibus dictis, quando ex expulſione variolarum non alleuiaretur natura, uel nondum apparerent, in febre ſynocha, uel ſynocho cauſonide.

Facta venæ ſectione nondum apparentibus papulis poteſt dari lenitiuum aliquod maxime in morbillis, in quibus poſt uenæ ſectionem ad bilis portionem detrahendam & ipſam contemperandam mihi familiaris eſt caſſia cum tamarind. vt Rec. floris caſſiæ vnc. j. pulpæ tamarind. drach. ij. miſ. & f. b.

Vel Rec. ſyrupum roſ. ſol. mannæ electæ an. vnc. ij. ſeri lactis in quo tamarindi præbullierint x. & fiat potio cætera cap. de cauſonide ſynocho pete.

Hæc eadem nutrici lactanti dari debent ſicuti cætera auxilia, quæ puerulis variolantibus conuenire exiſtimauimus.

Ad

Aduertendum autem quòd niſi leuia etiam iſta medicamen ta dederis in principio, quòd proceſſu temporis nullo modo dari debent, ne materia ut antea dixi deriuetur ad inteſtina & poſtea Dyſenteriam mortalem inferat,quæ ſæpe etiam ex ſe ſu peruenire ſolet,ut antea dixi cum de prognoſtico egi.

Niſi forte in declinatione morbi cognoueris ex perſeuerãtia febris, & perſeuerantia aliorum ſymptomatum reliquias iſtorum humorum in corpore adeſſe,quo caſu leuibus dictis, uel ſimilibus euacuationẽ tentabis,fortiora deuitando & ea omnia pharmaca,quæ fluxum prouocare poſſent, hæc eſt ergo euacua *Dicto loco.* tio,quam poſt ſeptimam fieri in tali caſu & Raſis & Ser. præcipiunt meo iuditio.

AN STIPTICANTIA, ET FERVOREM ſanguinis comprimentia conferant. Cap. XI.

HIs factis nec dum tamẽ apparẽtibus morbillis aut variolis,uel ſcoptulis communiter omnes authores, qui de hac materia tractarunt, ea propinant, quæ feruorem ſanguinis reprimũt & contemperant, ea ratione, ut aiunt quo ex hoc vel prohibeatur papularum egreſſio peni *Raſis ad Alm.c.14.* tus,aut ſaltem,ut quòd egrediatur ſit paucum, inquit Raſ.

Verum hæc ratio tanti viri mihi nõ arridet, nec enim medici intentio eſſe debet prohibere exitum variolarum, ut ſupra dixi. Non nego tamen danda huiuſmodi eſſe auxilia, ſed non ob hanc rationem a Raſ.dictam verum ut febris caliditas contemperetur, & partes internæ defendãtur & præſeruentur ab ipſis variolis,quas multo eſt melius & tutius ad cutem expelli.

Conueniunt ergo refrigerantia,quæ leuem aliquam ſtipticitatem habeant, quæ & refrigerando & repellendo leuiter ad ante dictas moueantur partes.

Ser. ſyrupum granatorũ muzorũ, & troc. de ſpodio laudat.

Conueniunt ſuccus de limonibus, & de acetoſitate citri.de ſucco acetoſæ oxiſachara, & alij huiuſmodi cũ decoctione cichoreæ acetoſæ,borag.hordei,ſem. melonum. Laudat Holler. aquam hordei in qua iuiube,ſebeſten,& lẽticula præbullierint, cum

cum ſyrupo de papauere, vel de pinibus, ſi tuſſis, vel aliqua læſio in gurgulione fuerit. Et licet hæc humorum malignitati etiam reſiſtant quæ ſemper adiuncta eſſe ſolet Variolis, & dictis papulis omnibus, tamen ſi maiora cupis vide tract. antecedenti de peſte.

Hoc etiam tempore cõuenit ſugere granata acetoſa, & etiam quæ ſunt medij ſaporis, & in ore tenere zuccharum candidum viol. & diadragantum, & alia huiuſmodi quæ præſeruant guttur, & ventriculum, quòd maxime procurandum eſt, multa iuiubis, vel uiol. vel de granatis muzis lãbendũ etiam damus, ut & guttur, & pectus, & pulmonẽ defendamus. Hoc etiã tẽpore maxime procurandum eſt oculos præſeruare a nocumento earum, inſtillanda in eos aquã roſatam infuſ. vel decocto ſumach, de quibus inde omnibus inferius.

Nares etiam trahendo ſurſum aquam hordei ſolam, vel aquam roſatam tuebimur.

Inteſtina clyſteribus lauatiuis vocatis, paratis nimirum ex aqua hordei, vel ſero lactis caprino, vel vaccino cũ zucchato, & vitello oui, & momento ol. roſati.

Ordinando cæterum regimen in ſex rebus non naturalibus, quòd feruorem ſanguinis compeſcere, at partes internas a tanta lue præſeruat, de qua re infra, & hæc quando nondum apparuerint Variolæ, morbilli, aut ſcoptulæ.

APPARENTIBVS CRITICE VARIOLIS, quid agendum, & an lenticularum decoctum tunc proſit. Cap. XII.

VERVM ſi iam apparuerint, ſi fuerit cum bona tolerantia, & alleuietur feb. & cætera accidentia, vnde conſtat critice & commode eas excerni, cum ſit hæc excretio ſpecies Criſis, vel Raſi ipſo teſte, & quæ iudicantur, uel iudicata ſunt integre neque mouere, neque aliter irritare oporteat Hippoc. teſtimonio totum onus naturæ relinquemus procurando interim ne exitus earum impediamus & materiam ad principalia recurrere faciamus, corpus in

lib. 1. aph. 20. & 2. de humor. 13.

18.de feb. primis cooperiendo moderate & ſudorem etiam procurando teſte Raſ.ad Alm.vt dicam infra.

Hinc concludunt omnes, quòd quando variolæ incipiunt apparrere,refrigeratio,tam interiorum, quàm exteriorum eſt cauſa erroris magni, quia earum exitum prohibet, & tamen non deſunt hac noſtra tempeſtate medici, qui a principio uſq; ad finem refrigerantia & ſtiptica propinant, cũ maximo ægrotantium diſcrimine, & communiter ſolent exhibere decoctionem lenticularum excorticatarum prima decoctione abiecta cum hordeo acetoſa & cichoreo, & putant hac decoctione adſtringere, quibus vſu euenit illud quòd Hippoc. refert,multi, *3.de artic. 47. & de qua re Gal. lib.de tab. cap.6.* inquit ſunt, qui ignorant, atque ſua illis ignorantia lucro eſt, pariter de iſtis dicendum, qui decipiuntur putantes lenticularum decoctum aſtringere, cum tamen Galenus dixerit, quòd leus bis decocta ſupprimit alui profluuia, & quòd ſi eius decoctum detur contrarium operetur, laxandi nimirum facultate præditum & contraria adſtringenti, &. alibi lentium deco- *6. de cõp. m.ſ.l. c.3. pag.778.* ctum gargarizandum præbet ad leniendam aſpritudinem ab acerbis inductam, leuiendi enim vim habet & contrariã aſpritudini ab acerbis contractam, ac propterea eodem libro ad eã- *pag. 780.* dem intentionem pro qua decoctum lentium gargarizandum præbuerat,dat decoctũ liquiritię contuſæ cum aqua d.& melle vt vel ex hoc cognitu ſit facile leniendi vim habere decoctum lentium, decorticatio vero lenti hoc præſtat ,ut minus alui pro fluuia deſiccet eodem Galeno teſte lib.de Alim.facul. ergo lens decorticata minus deſiccabit, ſed craſſiorem ſuccum & peiorem generabit.

Si qua ergo ratione decoctum lentium in principio prodeſt, illud facit aluum lubricam tenendo, quòd ut infra patebit in principio eſt utile, vel quia ſi acerbis miſcetur eorum aſpritudinem leniet, quæ forte ſola cum nimis adſtringeret non eſſet conueniens.

Fracaſtorius lenticulis cum draganto utitur, ut feruorem ſanguinis,inquit contemperet ſcilicet frigidæ,& ſiccę cum ſint.

SI DIFFICVLTER EXEANT. Cap. XIII.

VERVM cum incipiunt quidem apparere, ſed difficile exeunt ex omnium ſententia naturæ motus eſt adiuuãdus maxime ſi ex antedictis 1.aph.20.
cognouerimus a tali excretione naturam leuari, pro qua intentione recurre ſupra de curatione papularum in communi.

Hic tantum dixerim quòd quæ huiuſmodi ſunt calefacere ſunt nata, ut antea dixi, quæ febri aduerſantur, ac proinde hac non neglecta illi præcipue attendere debemus, his ergo quæ non multum calefaciunt vtamur, præcipue quando adeſt partium internarum incendium.

Laudãt omnes laccam ablutam, pro cuius ablutione vide Serap. inter cæteros & Andream Mathiolum cap. de lacca. Raſis Raſ. 18.
voluit eam conferre, quia hepar corroborat, & etiam corrobo- cont. 8.
rat ventriculum, inquit ſer. Raſis ergo inquit medicamentum, quòd ſequitur eſſe diuinum multæ experientiæ, & bonitatis, trahens ad ſuperficiem corporis, variolas, bothor, & omnia, quæ neceſſaria ſunt exterius educi, ſi ſæpius in die detur.

Rec. ficuum citrinarum drac: vij. lentium excorticatarum, & laccæ, ſcilicet ablutæ an. vnc. iij. draganti ſem. fęniculi vnc. ij. aliquando ipſe Raſ. addit crocum, idem ad Almanſorem apoze- cap. 18.
ma, inquit fiat de ficubus, & vuis paſſis, & lentibus abſque corticibus, & ſem. fęniculi, & fructibus laccę, addit pugillus dictorum in aqua decoquatur, & de colatura ſæpius in die ſumat. Adde modicum croci ſi uis, maxime inquit Raſis conuenit, ſi uideatur paſſio dura ad egrediendum, & æger uideatur eſſe vehementis nauſeæ, & cum multa æſtuatione, & accidit ei leuitas aliquibus horis.

Caricæ præterea & dragantum nocumenta pectoris & pulmonis arcent cum hoc quòd caricæ, uel teſte Auicenna, quoniam ob ſuam dulcedinem trahuntur, a membris facile ad cutim humores mouent, ſemen fœniculi idem operatur ſubtiliãdo & incidendo, lacca remouet hepatis oppilationes, & ut dixi etiam ſtomachum corroborat, crocus ad cutim mouet & cor

tuetur,ego hordeum addo nam ad cutim mouet & aliorum câliditatem corrigit,lenit pectus,ad contemperandum etiam calorem aliorum quando febris acutior eſt addo rad.cichoreę,& ēt acetoſæ nam non prohibent euocationē ad cutim, Gulielmus loco laccæ ponit fruſta ligni ſandalini, vel mirti contuſi, ad exteriora enim mouent, & pulſum cordis prohibent & alia huiuſmodi accidētia inquit Iſaac Rec.laccæ ℥ 5.lentis mūdatę, *lib.de feb.* drach.vj.draganti drac.iij.coquantur in tribus lib.aquæ ad tertiam, & ſi nō adeſt fortis febris addit ſucci marathri ſiue fœniculi drac.ij. & guttatim propinat,ut ſcilicet partes pectoris defendat lambendo talem decoctionem.

Ego dictam decoctionem cum ſyrupo de acetoſ.citri propino quādo uideo malignitatis ſuſpitionem & ut cor defendam a malignitate variolarum, vel.

Recipe ſyrupi bizantini vnc.j.de cichorea,de acetoſ.citri an: vnc.s.Decoct. hordei cichoreæ acetoſæ,rad.fœniculi recentiū, uel apij & tormētillæ caricarum & florum cordialium vnc. iiij. miſce pro ſyrupo.

Nicolus ſic parat Rec. ficus albas magnas & pingues nu. 5. lētium excorticatarum,nu.7.coquuntur in medio rotulo aquæ ad cōſumpt.trium partium, & in reſiduo quæ erit quarta pars diſſolue drach.j. croci & propina.

Aliud ubi adhuc eſt de caliditate ſatis Rec. uiolarū, drac.ij. liquiritiæ paſſul.hordei,an.j.rad.apij,& fœniculi,an.vnc.s.ſem. fœniculi & portulacæ,an.drach.j.laccæ ablutæ,drac.ij.Caricas, nu.6.& f.decoctio, quæ poteſt ſyrupari cū zuccharo R.vnc.ij. cum aqua hordei calida. vel

Rec. aquæ fœniculi aſparag.& bruſci, an. vnc.iij. aquæ apij, vnc.j.aniſi carui ſem.melonum,an.drac.ij.hordei m.s. caricarū nu.2. bulliant ſimul, uel ex herbis & rad. dictarum aquarum cum alijs dictis fiat decoctio, quæ cum zuccharo ſyrup. Valet aqua capil. v. quæ modico croci uigorari poteſt.

Alij decoct.caricarum dactilorum paſſul. & lentium excorticatarū & ſem. fęnic. & ligni laccæ de quibus ſupra propināt.

Succus fœniculi, & apij apertus facit eas autem inquit Raſ. tu ex illis ſyrupum para non diſſimilem bizantino.

An autem theriaca & mitridatum, & aliæ confectiones magnæ poſſint tuto dari, uide tract.de peſte. vbi alia antidota elige

danda

danda tempore peſtis in variol. uel quando maiora malignitatis ſigna cum eis apparent, & ſudorifica antidota cum dictis aquis,uel decoct.danda erunt modo febris non repugnet.

Alij etiam aquam hordei cum modico uini albi, & ſubtilis propinant.

Aquam deſtillatam ex floribus lini maxime ſi cum modico ſacchari propinetur eſt multum utilis,ut multi dicunt.

Sunt alia, quæ extrinſecus admota uariolas euocant calida nimitum cum ſint teſte Hippoc. ut dixi cum de curatione papul.in communi egi.

Cooperiatur ergo corpus moderate pannis maxime rubeis ut de ſcarlata, de qua re uide tractatu de peſte, cum de papulis egi.

Priuſque totum corpus fricabis etiam cum aqua ex oleo nitrorum parata ex decreto Aetij, quã multi cõmendant,de qua cum de papulis egi in peſte, qua tamen ego nunquàm hoc in caſu uſus ſum,nec deſunt, qui linteolum cum ſucco tepefacto fœniculi & apij, uel aqua eorum intinctum corpori admouendum cenſent,quo totum inuoluunt & tepidum conſeruetur, nec defuere,qui pedibus teneam,uel pullum admonẽdum ſuaſerint quo remedio ut dixi de papulis extrahere uariolas, & morbillos gloriantur, & faciem & totas partes ſuperiores, & interiores a noxa præſeruare, materia ſic ad pedes attracta, quod remedium ſicuti non laudo,ita etiam non uitupero.

Ego fricato ut dixi corpore & decoctione aliqua uel ſyrupo ex dictis propinata cooperiri ægrum iubeo & dormire, idque bis die fieri debet,modo nihil prohibeat, horis conuenientibus, quòd eſt opus aſtantis medici.

Etſi ex dictis exeunt non eſt,quòd de reliquis ſoliciti ſimus. Si maioribus eſt opus,cucurbitulis etiam cum ſcarificatione ad motis utor,à profundo enim maxime attrahunt,& licet uideatur uiolentum auxilium,tamen maius eſt commodum, quod præſtat euocando ad cutem quàm incommodum, quòd poſſit ob aliam cauſam oriri, de qua re cum de peticulis egi plura.

Caueto præcipue hoc tempore ab omnibus refrigerantibus externis admotis & ab uſu olei externis admoti, nam inquit Raſ.in principio prohibet exitum illarum,& in fine ulcera earum caua reddit, neque conuenit eodem teſte niſi ad Cruſtarum

rum

rum caſum. idem Raſ. lib. de Mirabilibus, inquit non empla-
18.cont.S ſtres, neque inungas corpus habentibus variolas, aut morbillos, quia anhelitus ob hoc cito reſtringitur, & acquiritur fluxus malignus & vrina rubea, &c.

QVAE DERELICTAM INTEMPERIEM calidam emendent. Cap. XIIII.

EXTRACTIS variolis cum perfecte curantur & ſolum poſtea remanet caliditas febrilis, ſuadent dare troch. refrigerantes.

Ego ad hanc intentionem propino zuccharum roſ. cum aqua cichoreæ, vel acetoſæ, vel triaſand. cum aquis dictis, vel hordei remouent caliditatem derelictã & fluxum prohibent, qui forte poſſet ex acredine humoris derelicti ſuperuenire.

Eadem remedia conueniunt morbillis & ſcoptulis eligendo temperantiora, quia in his plus caliditati eſt intendendũ quàm in variolis, cum ſit eorum materia calidior.

Neque remediis extrinſecis morbilli egent poſtquam exierunt perfecte, modo error aliquis non cõmittatur, ita ut retrocedant cum per ſe reſoluantur, ſi tamen retrocederent, procurandum eſt eas reuocare cum his quæ antea diximus facilitare eis exitum.

cap.14. Variolæ autem ſi per ſe maturantur ſicuti fere ſemper ſuccedit non eſt quòd de maturatione illorum ſoliciti ſimus niſi de his quæ antea dixi, & de Regimine uictus, de quo paulo poſt.

Verumtamen, quia quandoque non bene maturantur, tunc poſt ſeptimum, uel nonum diem quando tarde maturari eas uiderimus eorum maturationem adiuuabimus.

Variolas quæ maturent. Pro hac intentione propinanda eſt decoctio caricarum pinguium paſſularum enucleatarum & dactilorum.

LOCALIA REMEDIA. Cap. XV.

EXTERIVS in manibus præſertim & pedibus & naribus in quibus ſolet maximus excitari dolor admoueatur,quæ moderare calefaciant cauendo ne ullo pacto refrigerentur, quòd eſt maxime noxium, fiant ergo ſuffitus, a quibus fomentationes fiendæ, & linteolum ex decoctionibus ſupraſcriptis madefactum admouendum tepidum.

Suffumigat eas Raſis cum aqua calida a decoctionis chamomillæ fomentari etiam poſſunt cum decoctione maluæ altheæ. 18. *cont.*8
Fenugræci ſem.lini,&.ſimilium, & pedes, & manus in ea tenere ex Raſi poſſumus. ego ſola decoctione maluæ utor.

Ad dolorem variolarum commendat Auézoar lenimẽtum ex medulla bonum & ceruorum, tu uitulina, & ceruina utere, verum ab iſtis emplaſticis pro poſſe abſtinendum,niſi poſt omnimodam variol.exſiccationem.

Maturatæ, ſi per ſe non rumpuntur & tamen in tumorem attolluntur & inſignem dolorem inferunt curentur,ut tales puſtulas conſueuerat Galenus curare ſicuti ipſe refert 3. de fract. *cap.* 43.
primum acu inquit eas aperio (quam argenteam eſſe uolunt) ut humor exitum habeat,quem etiam leuiter exprimo, (bombace ſcilicet,ut nos ſolemus, etiam in pluribus locis,ſi magnæ fuerint,ut nunc facimus) ac cutim,inquit inhærẽtem relinquo, quod ſi eueniat,ut concluſo foramine, rurſus eodem repleantur, iterũ puſtulæ plenæ eodem modo aperiuntur, expreſſoſque humore cutis reducitur & ſeruatur, quoad ſuppoſita illi caro exulcerata ad cicatricem deducatur,expedit enim,ut omne ulcus cognata cute tegatur, inquit Galenus, ut uel ex hoc conſtet non recte illos facere, qui forficibus diſſectam cutem auferunt, licet diſſecare etiam eam poſſint forficibus, ſed eam non detrahere,uerum dicto modo procedere eſt melius.

Vbi ſanies iam deterſa eſt modo dicto,uel linteolo molli, ne ſuperſit cauitas,puluis ex his,quę implent eſt inſpergendus,ut eſt qui ex amilo thure & eius manna, aloe, lithargiro, ceruſa farina fabarum,cicerum,orobi,lupinorum paratur, ut unus ex

dictis

dictis poteſt inſpergi in faciei partibus, in quibus cauitates fieri timemus, non tamen omnibus meo iudicio, eoque magis ſi aliqua adhuc ſanies excerneretur, ne his puluerib. retineatur.

Si hoc non ſufficit, quia non exſiccentur cum dictis, exſiccandas eas ſuadent aqua ſalita, cum qua modicum croci addũt, & alij loco aquæ communis roſata ſalita vtuntur. In hac ſalſa aqua infundunt cottum, quòd applicant ſuper uariolas de parte in partem, & ſic dimittunt donec ſugant Salem ſuum, ſic exſiccantur, & facilius cadunt. Saliunt autem paruas ſine apertione, & magnas prius aperiendas eſſe docet Nicolus.

cap.15. Sic ergo dictam aquam ſalitam parant, aquæ roſ. lib.j. ſalis, unc.j. croci ſcrup.j. f. decoctio.

Alij parant decoctionem aſſari, thamariſci, lentiumque excorticatarum, ego non excorticatas ponerem, quia magis exſiccant ut antea dixi. Addunt ſandalos albos & rubeos. Cuius aquæ partem ſaliunt & aliam ſine ſale relinquunt, & cum ſalita non apertas fomentant, (quòd eſt bonum ſi paruæ ſunt) & cum non ſalita apertas, cauendo ne ſalita perueniat ad apertas cum interpoſitione pãni linei, aut coti, & dicunt non fiat ſalitio iſta ſubito poſtquàm apertæ fuerint, ſed interponatur ſpatium conueniens, & interim cum non ſalita fomentari poſſunt.

Notãdum etiam quòd ſalitio iſta, ut ſic dicam fieri debet in partibus carnoſis, in quibus non ſentitur tanta punctio a ſale, ſi
18.cont.8. enim ſalita aqua daret punctionem & dolorem, alijs ingeniis deſiccandæ eſſent, quòd Raſis denotat, nam quando non ſunt bene maturæ, & tamen uidentur ad ueſicationem tendere, antequam ſaliãtur, aqua roſ. cum multa camphora reſiccari debẽt antequam ſaliantur, alioqui multum dolent, idem Raſ.

Linimentum parat ex farina rizi & panici cum croco pauco cum aqua roſ. diſſoluta.

Alij eas abluunt cum decoctione exſiccantium ſine additione ſalis ſicuti ſunt decoctiones ſupradictæ, ſi ſine ſale parentur, & hoc eſt tutius, ut pagina ſequenti conſtat, ſordities etiam domus apum mixta cum farina hordei eas deſiccat inquit Gal.
18.cont.8. Exſiccantur etiam ſuffitibus ſub culcitra hyemis tempore rerum exſiccantium factis.

Poſſunt ſuffitus in camera parari etiam de quibus tract. de peſte, unde hyeme parantur cum uernice & corticibus thuris & ſimi-

& ſimilium. Interim excitando ignem ex lignis bene exſiccantibus, vt quercus, & thamariſci, & ſarmentorum vitium bene exſiccatorum, ut ſic aer cameræ ſiccior euadat.

Aeſtate ſuffitus fiat cum ſandalis, vel ex eis, vel folijs, vel lignis mirti & oliuarum excitentur ignes, & etiam in camera ſternãtur ſimilia, ut granatorum cortices, folia ſalicis, & myrti, quę tamen iuuant, ſi aer ab eis alteratus inſpiretur, alioqui ſi ex eo refrigeraretur corpus, ſuſpecta eſſent, quia materiã ad partes interiores poſſunt repercutere.

Exſiccantur etiam cum tota materia egreſſa eſt, & tamen nondũ ſunt exſiccatæ variolę, ſed humiditas ex illis multa emanat. Culcitram parando ex rebus exſiccantibus ſuper quam dormiant. ad Almanſ. Raſ. inquit, quòd æger ſuper folia ſalicis dormire debet, vel lectum pulueri zari cum puluere roſarum, idem 18. cõt. eodem modo folijs liliorum nos vti iubet, quæ frigidiori, & humidiori tempore cõuenienti ſicuti illa calidiori.

Auicenna & Iudeus iubent cum variolæ ſunt indigeſtæ ægrũ decumbere ſuper farinam fabarum, & rizi, panici, & hordei, ex quibus impleri poſſunt culcitrę etiam.

Raſis ad Almanſ. x. maxime vitandum, quòd huiuſmodi exſiccantibus primo Raſis vtitur antequam ſalitione vtatur, vt per hoc cognoſcas quantum potes a ſalitione eſſe abſtinendũ, a qua ſicuti ab alijs localibus ſupradictis niſi forte ab apertione quando bene maturantur, me abſtineo, quia reliqua per ſe natura operatur, & perficit, ſic refert Galenus de apoſtematibus illis, quæ tempore illius peſtilentiæ contigerunt. *5.meth.12*

Et quoniam poſt earum exſiccatione quandoque duræ permanent, nec cadunt cruſtæ ideo ad iuuandum caſum illarum Raſ. oleo ſæpius in die eas inungere iubet, idem Auicenna a *lib. de feb.* quo tamen oleo abſtinendum, niſi hoc tempore vt antea dixi.

Et ſi vlcera remanent aliqua ea ſananda veniunt unguento de cerusa, uel de lithargyro, uel unguento aureo, ſiue rubro a Meſue in Antidotario deſcripto, vel vnguento albo, quòd conſtat ex ceruſa, albumine oui, oleo roſ. & cera, cui ſi addideris modicum camphorę, illum reddes meliorem.

Concauitatem a variolis derelictam reſtauratam non vidi, ſi quid tamen eſt, quòd illi conferat, eſt regimen impinguatiuam ex Raſi & omnium ſententia, & præterea poſt fricationem

cum pice factam,vt nos etiam diximus. cap. de impinguatione corporis maciléti,inungere cum pinguedine humana, vel cum vnguento facto ex puluere teſtudinum marinarum vſtarum ſecundum totalitatem ſubſtantialiter, inquit Nicolus cum oleo communi.

Solent remanere veſtigia poſt variolas, quæ utplurimum ſunt rubea & deturpant totum corpus, ſed faciem præcipue, quas remouere plurimi tentant, licet temporis ſpatio per ſe euaneſcere ſolent, ne tamen huic noſtræ tractationi aliquid deſit,breuiter ex Raſi dico,quòd quæ pannum remouent, eadem etiam auferunt, aqua ideo quæ ſequitur multũ laudatur.

Rec.rad. yari,& ſerpentariæ,an.vnc.j.florum fabarum, vnc. iij.conquaſſentur,& deſtillentur,cũ aqua roſ. & aqua limonũ, vel citrangulorum ſcilicet aqua ex eorum floribus deſtillata, an. vnc.iij. & ſi uituli pedem addideris erit perfectior, ſi ea

18.cont.8. facies lauetur.

Vel aquam vngularum arietis, dum aſſantur collige, inquit Raſis, vel caprarum etiam vt Haliab. inquit, & locum inunge ex ea nam proculdubio inquiunt cicatrices delet.

Vel pinguedinem aſini in oleo roſ. diſſolue & deſuper defricato bene inungendo,eſt enim hæc mirabilis,& experta vnctio Raſi teſte.

Vel Rec.axungiæ anatis,& gallinæ,an vnc j. mucilag. drag. gumi arab. infuſorum pernoctem in aqua fabarum, an. vnc.j. porcellatarum temperataru m in aqua limonum pernoctem. drach. v. melius eſt autem meo iudicio ſuccum limonum loco aquæ eius ponere,boracis mineralis, drac.v. axungiæ porcinæ, drac.ij. miſce & cum aqua fabarum f.ad modum unguenti,quo facies inungatur ſero cum lectũ ingreditur, mane lauatur cum aqua furfuris.

Vel Rec.lithargyri abluti,radicum cannæ ſiccæ, farinæ ciceris & oſſium uetuſtorum& cocti ante terantur,& liquentur cũ aliquo liquore,decoratiuo,& liniatur ex eo facies,& vtſupra.

Vel Rec. teſtę ouorum,oſſis combuſti,rad. cannarum,amidi, farinæ lupinorum,ſem. melonum excorticatorum, farinæ rizi abluti & grana been,de quibus cum aqua para limentũ ex Raſ.

18.cont.8 Vel Recip. lithargyri lib.j.pulueri zetur ſubtiliſſime, & per pannum lineum ſubtile coletur, poſtea in vaſe uitreato ponatur.

tur, & illi adde ſalis albiſſimi lib. j. & tunc infunde aquæ communis tantum, ut per digitum ſuperemineat, & iterum ne agitãdo cum ligno aliquo ad ſolem maxime diebus canicularibus, quòd dum peragis ſi aqua exſiccetur, ſuperadde aliã, ne lithargyrum induretur, quòd ſi contingeret opus eſſet iterum ipſum puluerizare, hoc modo ipſum abluendo reddes albiſſimum quo facto adde aquam eouſque, vt per quatuor digitos ſuperemineat, & bene agita & miſce, quo facto reſidere permittes, & facta reſidentia, aquam proijce & aliã infunde & ſic perſeuerabis donec aqua ſalſedinem prorſus amiſerit, & dulcis guſtui videatur, tunc pro recta aqua lithargyrum ad ſolem exſiccabis, & poſtea in uaſe bene obturato ſeruetur, ne puluis eum attingat. huius lithargyri, Rec. vnc. s. & pulueriζetur ſubtiliſſime in uaſe uitreato, cui adde olei amygdal. recentis, & abluti, drac. j. plus minus, ut ad formam unguenti ſolidi reducatur, & tunc a uaſe cum digito extrahatur, ſic enim albidius remanet, quo utere, ut ſupra.

Valet oleum de myrrha, quòd fit ſi ouum induretur & uitellum proiiciatur, & eius locus myrrha impleatur, & iterũ duo albumina inuicem iunguntur, & in loco humido ponuntur, ſic oleum myrrhæ ab eis deſtillat. Vel myrrha diſſoluatur cum oleo ſem. lini, aut de fiſticis & illiniatur, ualet etiam per ſe ol. ſem. lini, uel oleum fiſticorum, uel quòd miro modo dicunt ueſtigia iſta delere ol. ex ſemine coti, ſeu bombacis extractum.

Landatur aqua e pedibus uituli, arietis, porcellorũ è melle, e terebinthina, radic. ſerpentariæ, limonibus, citrangulis, floribus fabarum, & aqua, quę folliculis ulmorum includitur, ſi præſertim purgata a uermiculis cum zuccharo miſcetur, uel cum melle, & terebinthina deſtillatur, laudatur aqua etiam ex floribus fabarum deſtillata.

Cap. XVI.

SVNT alia ſymptomata, quæ magis ſolicitant medicos tempore uariolarũ, a principio itaque ut præſeruentur oculi, qui lædi ſolent maxime a dictis morbis & præcipue, a uariolis, & morbillis, cum primum ſuſpicionem habueris talium morborum procurabis frictionibus partium infernarum & poſteriorũ, reuellere ab oculis applicando etiam uentoſas natibus & ſpatulis ſi opus fuerit. In oculos inſtillentur, quæ refrigerent & repercutiant ſine mordicatione, quare id quòd ab omnibus laudatur eſt aquę roſ. vnc. ij. ſumach cõtuſi ſcilicet aiũt aliqui drac. ij. infundãtur ſimul per noctem, uel ſimul decoquantur, & ex eo inſtilletur in oculos ſunt qui addunt ſandol. albos, & rubeos & coriandrorũ an. drac. i. nec deſunt qui eo loturæ modicum cãphoræ addũt. Alii ſuccum portulacę, uel plantaginis, aquæ roſ. miſcent, uel inquit Raſ. lib. de febribus, ſuccum granatorum expreſſum infunde, verum hoc mordicaret meo iudicio, niſi multa aqua roſ. cõtemperetur, ualet collyrium, quod ſequitur teſte Nicol. Rec. pulpæ granatorum non uehementer expreſſorum, ſed parum quid de humiditate remaneat in ipſa pulpa. Et ſumach & mirtillorum & coriandri præparati, an. drach. iii. terantur & infundantur in mortario agitando cum aqua plantag. & roſ. vel cum aqua mirtil. & coriandrorũ, poſtea colentur, in colatura diſſolue croci & camphoræ an. ſcrup. s. ceruſæ, drac. s. & bene agitentur, & iterũ colentur, de qua colatura pone in ocul. guttas duas uel tres pro uice in die ſæpius. dictis potes addere albumẽ oui.

Rec. aquæ roſ. vnc. iiii. ſief. albi ſine op. drac. s. zucchari cãd. pulverizati drac. i. miſce cauendũ hoc tempore & toto morbo durante ne manibus oculi fricentur aut etiã tangãtur, ut infra.

Quod ſi iam egrediantur variolæ & pruritus uexat oculos, ut ſolet uexare, Raſis iubet Almuri & ſal in oculos inſtillare, & vapore aquæ calidæ vaporare eos, quòd remedium ſi egreſſę fuerint variolæ, & in declinatione fuerint, laudat Nicolus.

At quando incipiunt apparere valet, quòd fit ex myrrha & rheubarbaro in aqua roſ. diſſolutis, myrrha enim præſeruat

oculos

oculos a nocumento & pruritum aufert, inquit Nicolus.

Valet & collyrium album teſte Auicēna, quando variolæ apparent. Laudant omnes collyriū ex antimonio paratum, quod aliqui per ſex horas in aqua calida infundunt, & diſſoluunt, & aqua pro collyrio vtuntur.

Caueat maxime fricare oculos & præcipue manibus ſuis, quæ cum a variolis ſint affectæ, magis eos afficiunt.

Et quoniam remanet quandoque in oculis nebula aut caligo, oleum fiſticorum inquit, Auicenna caliginem delet, & oculum rectificat, ſunt qui piſtachia conferunt trita aqua roſac. madefaciunt poſtea exprimunt, expreſſioni farinam hordei miſcent, alia pete cap. de ophthalmia.

Ad præſeruandum guttur præter ea, quæ ſupra diximus recurre ad cap. de Argina. Raſis aqua frigida cum aceto gargarizari iubet, uel aqua roſ. ualet diamorrhon, ſuccus de granatis de ribus, de mirtis, de ſucco citoniorum cum modico aceti, vel etiam vini auſteri, maxime quando nulla apparet inflammatio, diſſoluantur cum aqua plantag. vel vt alii cum decoctione lentium, de qua re ſupra. *lib. de feb.*

Verum attende ex Nicolo, quòd non ſemper debent actu frigida gargarizari, ſed tantum, vt arbitror, quando non eſt dolor, ſi enim dolor adfuerit præcipue cum ulcere tepida adminiſtretur, uel tutius ſit ea omittere, & lābenda dare, vel ſugere granata, vel aliud ſimile, ſi vlcus cū dolore fuerit lac chalybeatum, vel ſerum, in quo etiam roſæ præbullierint leuiter gargarizet, vel ſi non eſt ulcus, lac ſolum, tepidaque ſint omnia, ſicuti tepidam aquam cum zuccharo, laudat Raſ. vt etiam antea dixi, poteſt & lac cum aqua plantag. miſceri quòd autē diadragātum, & alia huiuſmodi valeant ſupradixi.

Si iam vlcera facta, in ore, vel gutture, abluantur aqua hordei, cum pauco zuccharo mixta, vel melle, deinde cum diamorrhon, vel diacarion, & aqua plantag. f. gargariſma, & tandem folium plantaginis in ore teneat.

Pulmo & pectus præſeruantur lohoc de pulmone vulpis lohoc de lentibus diadrag. ſyrupo viol. mirtino iuiubino & ſimilibus, quæ lambi, ſæpius debent, & ſi aſperitas fuerit pectoris maxime in fine vtere, inquit Holl. mucilag. ex ſem. lini, & ſem. citoniorum, cum modico amygdal. & ſaponata vo-

caca

cata & diadrag. & alijs huiuſmodi delicatioribus:

¶8.cont.8. Nares præſeruantur odorando acetum ſolum, uel cum ſandalis, & aqua, uel aquam roſ. cum aceto mixta ex ſententia Raſ. vel acetum roſatum, uel excipiatur uapor ex decoctione alida roſ. & ſandalorum.

Valet etiam ſugere ol.mirtinum,uel roſ.inquiunt aliqui,ego ab oleis abſtineo,& potius decoctione,ex granis mirti,& hordeo,& roſ.vtor,uel decoct. ſandal. alb. & rub. & roſ.qua exterius etiam utitur Nicol.ſief.menite cum aqua roſ. & aceto mixta commendatur. Egò etiam ſoleo uti decoct. ſola hordei, & roſ. cum ſero parata, uel cum aceto, & omphacio & aqua roſ. mixtura f.in qua linteolum madefiat, & ſæpe inducatur in nares. Quod ſi in naribus ulcera permanſerint ſanat ea omnium ſententia, & maxime ſerap.unguentum ex cera alba,draganto, & oleo paratum. Quod ſi cruſtę adfuerint,inquit Auic. ex cera oleo,& climia f.unguentum quo utere.

Aures ſi dolent euaporentur,cum decoctione hordei,& maluæ,& ſi aliquid effluat exitum procura,& ſi plura uis,uide cap. de dolore Aurium,ſtomachum, & inteſtina ſuperiora defendimus ſæpe ſumendo ſtiptica,& frigida, quæ ſupra habes ut Rec. iuleb.roſ.unc.iij.ſyrupi myrtini,unc.i.miſce de quo ſępe capiat cochleare pro uice,tota facies pręſeruabitur a cicatrice fœda cauendo a ſcalpellatione,& maturas uariolas aperiendo & tractādo ut ſupra.

Sunt maxime ſoliciti authores,ne fluxus ſuccedat & inteſtinorum ulcera ſuperueniant, quòd ſæpe ſolet ob materiā erodentem per ea a natura excretam, & etiam ob uariolas partes illas occupantes,ac propterea loquuntur,& de præſeruatione earum & de curatione, cæterum curationem cap.de dyſenteria pete.

Præſeruationem procurabis ſtypticis, & frigidis, ut antea dixi,ac propterea laudant ſi ægrotantes cibentur milio excorticato & poſtea torrefacto, & cū hordeo torrefacto, uel ex his,uel etiam ex ſolo hordeo torrefacto parato ptiſanā, quam etiam cum lenticulis parabis,ut cap.de dyſenteria notaui.

Raſ.lib de feb.cap.ultimo ptiſanam parat cum ſpodio granū. arab.& boloarm. troc.etiam de ſpodio dari iubent.

Poſſunt parari clyſteria ex decoct. hordei, uel exſero lactis

in quo

in quo roſæ præbullierint,cum zuccharo, uitello oui,uel etiam cum momento ol.roſ.

Etſi cum fluxu fuerit tuſſis cum dictis mirtillos pones,& ſyrupum mirtinum bibendum dabis ex Hali, etiam authoritate Tu alia pete c.de pleuritide cum tuſſi.

Syncopi ſuccurre habendo aquam frigidam, inquit Raſ. & irrorando cameram cum refrigerantibus, ita tamen , ut aer ſolum frigidus inſpiretur, ſed in primis procurando egreſſum uariolarum,ut nos antea docuimus, ſic enim una, & ſymptomata,& cauſam auferre poſſumus.

DE REGIM. IN SEX REBVS NON NATVR. Cap. XVII.

EX dictis unicuique manifeſtum eſſe poteſt, quod Regimen in ſex rebus non naturalibus diuerſum eſt, aliud enim conuenit apparentibus,aliud non apparentibus, aliudque regimen quando augentur,aliud quando in ſtatu, in principio,aut declinatione,& aliud ſecundum diuerſitatem humorum peccantium, præterea alia febri conueniunt,alia uariolis ipſis,alia accidentibus ſuperuenientibus,ac proinde pro poſſe quid ſit intantis difficultatibus agendum breuiter demonſtrare tentabo ab aere exorſus.

Ratione ergo ad papulas habita aer debet calidus eſſe quando incipiunt apparere, at forte etiam antequam appareant habendo rationem ad Criſim adiuuandam,quam per cutim mouebit natura,& hoc ſæpe citius facit, quàm quis poſſit imaginari, quare pori cutis debent eſſe aperti & uniuerſum corpus extrinſecus calidum.

Verũtamen indicatio a febre deſumpta,quæ calida eſt intemperies, & ſicca, & in uariolis (per uariolas intelligo illos tres tumores antea dictos) acuta eſſet ſolet,cum ſit, uel cauſon ſynochus,uel ſynochus ſine putredine, uel cũ putredine,primę intentioni repugnat,ac propterea,ad id quòd magis urget erimus attenti, altero non neglecto,ut nos in methodo admonuit Galenus, & nos ſæpius diximus non ſolum tractatu de peſte, ſed cum de curatione feb. putrid. egimus, in principio autem

uario-

variolarum maxime quando nondũ apparent vrget magis indicatio a febre deſumpta, ac proinde aer frigidus, & humidus erit ſi non ex ſe arte paratus ut alias diximus, verum ne impediat hoc auxilij genus egreſſum variolarũ, interim corpus uniuerſum ita tegemus ne aer id frigidus attingat, ut etiam nos admonuit Galenus, ſed ſat fuerit frigidum inſpirari aerem. Etſi coopertura fuerit rubei coloris, hoc etiã adiuuabit exitum variol. melius ut ex decreto Hippoc. & Galeni demonſtraui cũ de papulis egi apparentibus in peſte, & febribus malignis.

Nunquam autem ita cooperiatur æger, ut ipſum grauet tegumentum, aut ipſum debilitet, ut bene notat Nicolus.

Quando autem incipiunt apparere, modo non adſit ſignum inflammationis partium internarum moderare calidus eſſe debet, aer ut ſic facilius exeant uariolæ, ſi tamen internæ partes incẽdium demonſtrarent, ex ſiti, inquietudine, ſiccitate linguę, & alijs ſignis ſæpius iam dictis, frigidus inſpiretur modo antedicto, & frigidus etiam inſpirari debet, licet variolæ cõpareant quando uel cordis tremor uel, ſyncopis ſuperueniat, imo tunc uel Raſi teſte, æger decumbat in camera vẽtis expoſita & odoret ſandalos cum aqua roſ. & camphora, uel ſaltem quãdo incipiunt apparere, & tamen non alleuiatur æger, ſed caliditas intus remanet, ſit aer tepidus, vt Auicenna iubet.

18. cont. 8.

Et quoniam poteſt eſſe caſus fere repentinus quando ſuperuenit ſyncopis, uel aliud ſimile accidens, ægro exiſtente in aere calido, & tunc neceſſe eſt permutare ad frigidum ipſum aerẽ, vel e contra ratione variolarum neceſſe eſt permutationem facere a calido ad frigidum, tunc admonet Auicẽna nos paulatim facere iſtam permutationem tam in remedijs intrinſecis, quàm extrinſecis, ita ut ſi coopertus fuerit æger & ſit neceſſe ipſum a coopertura alleuiare, id paulatim fiat, donec etiam producatur ad nuditatem, & tũc tamen pauco tempore ſic permaneat, quæ uolui dicere, vt bene ſit in omnibus oculatus medicus, licet enim talis caſus raro contingat, euenire tamen poteſt: nam, quid prohibet raris nomen ineſſe meum?

Hyeme ego, uel temporibus frigidioribus quando opus fuerit aerem calidum, uel moderate calidum reddere clauſis oſtijs & feneſtris, & cuſtodia habita, ne quid frigidum ægrum tangat, calefiat aer, ut docuimus tractatu de peſte, è contra refrigere-

tur

tur quando opus fuerit, vt ibidem diximus æſtate, & alij temporibus.

Triſtitiam fugiant, & metum ægri, lætentur, & etiam apparentibus uariolis, phlegmatici præſertim, iraſcantur.

In principio & declinatione variolarum ſi uires id permittant, motum concedunt in aere temperato, tutius tamen fuerit fricationibus leuibus, uti his temporibus, ſub coopertura factis ut ſic pori aperti maneant, & hic obiter dicendum in omnibus motibus cauendum eſſe, ne oculi lædantur, ne ſcilicet manus eos attingat, aut aliud quoduis, facillime enim inflammantur, & contagio afficiuntur, quòd maxime eſt cauendum eoq, magis in variolis, quæ quaſi ex natura ſua eos lædere ſolent.

Somnus moderatus antequam apparere incipiant conuenít, uerum illis apparentibus uigiliæ præualeant ſomno, at in declinatione, & ſomnus, & vigilia moderata ſit.

Conueniunt omnes, vt curam habeamus ne in principio aluus ſtricta ſit, ac propterea antequã appareant ſi ſtipticus fuerit æger, vtatur cibis lenientibus, atriplice nimirum, malua, & cucurbita, vel prunis in aqua, & zuccharo decoctis, quæ vt noſti paulo ante cibum ſumi debent, ſicuti, & caricæ pingues, quę etiam mouent ad cutim humores.

Hoc tempore clyſteres lenientes cõueniunt, & manna, & caſia, & thamarindi, & alia huiuſmodi, quæ leuiter mouent & lubricant.

At vero cum incipiunt apparere adeo timendum eſt ne materiæ variolarum ad inteſtina deriuentur, & dyſenteriam efficiant, vt omnia lenientia fugienda ſuadeant, ita ut Raſ. iuleb. uiol. deuitari præcipiat, & nos vti lentibus, & ſimilibus adſtringentibus cibis, eoque magis quoniam huiuſmodi tuentur ſtomachum, & inteſtina & ferè omnes partes interiores a variolis. Nicolus omnia lenientia fugit etiam clyſteria hoc tempore ſcilicet. Quod tamen reprobant aliqui verum non cum ratione, ſi prædicta recte cõſiderentur. Serapio propterea poſt ſeptimum fugienda, quæ leniunt ſuadet, & nos vti adſtringentibus, ut etiam Raſis, quod intellige, quando ſuperuenit fluxus alui maxime cum excoriatione, quo in caſu vtar prius clyſteri lauatiuo ex aqua hordei, vel ſero cum zuccharo & vitello oui parato, quo per interualla etiam ſoleo uti, quando nihil ex ſe *Mercuri.*

egerunt ægrotãtes, feces enim educit, & tuetur inteſtina a nocumento uariolarum, neque eſt periculum deriuationis ad inteſtina, ut eſt de lenientibus clyſteribus, & poſt vſum lauatiuorum, ſi neceſſe eſt potes tuto uti adſtringentibus, alioqui nõ eſt tutum conſtringere materiam uariol. in inteſtinis.

Quæ ego immodice euacuant, & etiam lenitiua hoc tempore fugere debemus, & quæ refrigerant, & eam quæ adſtringũt ſaltem impenſe, & maxime continuum eorum uſum, ne uariolæ retineantur, ſed his tantum moderate utendum quãdo timemus fluxum, uel dyſenteriam.

Quod autem venus non ſit exercenda abſonum eſt docere.

Inter cibaria imprimis deuitanda dulcia ita, ut etiam a ſyrupis dulcibus abſtinendum eſſe doceat Auenzoar, quia timet ne in bilem uertantur, & redarguit eos, qui dulcia exhibent, & ſalſa, & inquit in ſe ipſo expertum fuiſſe quantum dulcia obſint, nam dum erat paruulus & uariolis moleſtaretur, conſilio cuiuſdam melle eſt uſus, a quo peſſime ſe habuit, & mirum fuit, quo modo euaſerit, ita ut toto tempore uitæ meæ, inquit de melle memoratus ſum.

18. cont. 8 Cauendum etiam ab acetoſis & ſalſis, ne tuſſis, & ſitis eis inducatur, inquit Raſ. addit Nicolus ab amaris etiam & acutis, & unctuoſis, in ſumma ab his, quæ calefaciunt, & in bilem facile uertuntur, fugienda etiã, quæ craſſi ſunt ſucci & difficilis coctionis ſaltẽ ea ratione, quia egreſſum uariolarũ prohibent.

Voluit etiam Auenzoar & eum ſequutus eſt Haly. & Raſ. 18. cont. ægrotãtes iſtos abſtinendos eſſe a pullis ſupple, inquit Nicol. ab alijs etiam carnibus, & a uitellis ouorum, & ab alijs cibarijs huiuſmodi, inquit Auenzoar, quæ nimirum multum ſanguinem generant, donec omnino mitigentur, & ſiccentur variolæ, & cadant inquit earum cortices, id quòd maxime verum eſt quando febris eſt acuta & uirtus conſtat, & ideo ego authoritate tantorum virorum fretus, & ipſa ratione ductus, non ſemel, ſed ſæpius ægrotantes iſtos nutriri ſola ptiſana, vel pane trito cum lacte ſem. melonum parato, uel pane loto, vſque ad 30. diem, augendo uel diminuendo quantitatem horum cibarium prout mihi expediens uidebatur, & ſemper res bene ſucceſſit.

Declinante tamen febre Nicolus laudat carnes bonarum

auium,

auium,uitellaque ouorum ſorbilium, & uinum, ut infra. Verum hoc ſcias uelim,quòd ſæpe etiam in declinatione febris & poſtquam extrinſecus variolæ ferè maturatę,& exſiccatæ ſunt, quòd natura per inteſtina expurgat uariolorum intrinſecarum materiam,a qua euacuatione timenda eſt dyſenteria, ac proinde ſi tale quid contingat tutius ages eouſque dicto regimine utendo,donec ſcis ſecurus ab imminentibus malis, adaugendo potius dictos cibos & abſtinendo eos a carnibus, & ab ouis & a uino, & quando uino uti uolueris,ſit uinum ſtypticum pauiferum, aquachalybeata dilutū ut etiam Nic.notauit ſcilicet,in principio,& ut infra,& quantitas cibi ſit moderata,tum ut repletionem & indigeſtionem fugiamus, tum etiam ne natura a cibo occupatan. poſſit expellere variolas, maturare,exſiccare, & in ſumma morbo attenta eſſe non queat.

Et quoniam nō ſola ptiſana, vel ſolo pane trito multi cōtenti ſunt,ideo alios, ſimiles tamen cibos tu eliges & ne dum panē lotum,quo etiam antea dixi me uti ſolere, ſed alios cibos, cap. de ſynocho & cauſone dictis,& tract.de peſte,vbi etiam habes cibos conuenientes quando uirtus deficit.

Hinc Raſis dixit, quòd ſi largiorem appetit æger nutritionem ſcilicet, quam ptiſana ſit,ſitque ipſius uirtus debilis, non dentur alia,niſi lentes abſque corticibus. Cum pauco aceto conditæ, ſic enim non erunt craſſi, ſucci, ut a Galeno habetur primo de alim.fac. Aut ſorbitiones,quæ fiunt ex amito,& zucchars,& ol.amyg. dulciū, uel epulū,quòd ex oleribus frigidis, quæ haberi poſſunt præparatur, inquit Raſ. *Raſ. ad Alman.lib.x.*

Vnde Auenzoar ego,inquit nedum lentes concedo,ſed & lactucas decoctas cum aceto,& medullas citruli,& anguriam, & cucurbitam ualde decoctam.Far etiam cum lacte ſem. melonū concedi poteſt maxime in principio, & etiam quando fluxus alui adeſſet, quo caſu non conueniet ptiſana, niſi forte granis granatorum in ea aſperſis, ut in methodo admonebat, Gal. & hoc tempore lentes tutius concedi poſſent,nec negarem ius alteratum cum acetoſa, vel ſucco aranciarum, vel granatorum, cum vitello oui,maxime ſi virtus caderet quo caſu, & contuſum darem & alia,quæ deficiente virtute danda eſſe docuimus tract.de peſte.

Illud iterum atque iterum admonitos omnes velim ha-

bendam eſſe rationem nedum morbi, & virtutis, ſed conſuetudinis, cui aliquid condonandum & regionis, ætatis, & anni, & ſimilium ſæpius dictorum.

Et nota, quòd quando incipiunt apparere variolæ, omnia tepida, ſiue calida potius, quia tepida os ventriculi diſſoluunt, danda eſſe, nedum cibos; ſed etiam potus.

Potus ſit aqua hordei ſola, uel cum iuleb. roſ. vel ſi vis aluũ lenire cum iuleb. viol. Auicẽna eodem modo aquam propinat, qui potus in principio, nondũ apparentibus variolis, frigidi dari poſſunt, vt illis apparentibus tutius eſt calidis vti, niſi conſuetudo, & natura ægri obſtent, ſunt enim qui ſi etiam calidam potionem bibant, nauſeent, & cibum penitus auerſentur.

Ser. aquam decoquit cum duabus partibus hordei, & vnam lentium quibus addit grana mirti Haliab. quando fluxus adeſt, alui, & reuera mirti grana in tali caſum axime cõueniunt, cum & pectus leniant & tueantur ab iſtis morbis, & ventriculum etiam & inteſtina.

Vinum autem in declinatione pauciferum bene dilutũ concedunt multi, rubeum aliqui laudant, alij ut Nicolus album ad leuem dulcedinem declinans, nulli dubium, quòd ſi in principio dari vinũ coactus eſſes, vrgentiæ enim cauſa nõ nego poſſe dari quandoque etiam in principio licet ſi potes ab eo abſtinere ſit melius, quòd rubeum eſt melius. quia partes inferiores magis defendit, quòd etiam fluxu moleſtante, albo eſt melius, cum aqua chalybeata dilutum.

Verum ſi apparentibus uariolis uinum concedere coactus eſſes. nulli eſt dubium, quòd album ad leuem dulcedinẽ declinans, quia a membris attraheretur facilius, magis conueniret.

Hæc & alia bene conſidera, eaque omnia accommoda ſecũ-
6.ep.5.34 dum ętatem etiam & etiam nutricibus, quibus eadem conueniunt ex Hippoc. ſententia, & Galeni.

TRACT. DE VARIOLIS FINIS.

Eiuſdem

Eiuſdem

DIOMEDIS AMICI APPENDIX, AD TRACTATVM de Morbis Communibus,

IN QVO AGITVR DE CAVSA PRAESENTIS tempeſtatis frigidæ, & humidæ, & de morbis qui ab ea imminent, ac de illorum præuiſione, & præcautione. Cap. I.

LICET eorum omnium, quæ dixi de communibus morbis attulerim exempla ab ipſo Hippoc. deſumpta, in quibus diſcendis exerceri maxime expedit teſtimonio Gal. nihilominus quoniã noua magis delectare ſolent, Omnibus, rem gratam me facturum exiſtimaui ſi præſentis Cõſtitutionis ſtatum deſcriberem. Eoq; magis quoniam licet ijs, qui diligẽter perlegerint, quæ in ſuperioribus diximus, ſuperfluus hic noſter labor videri poſſit, aliis tamen videbitur, ex cognitione propria ipſius tempeſtatis, nos melius poſſe & præuidere morbos futuros, & præcauere ne fiant, vt ergo iſtis morem geram, hanc prouinciam aggrediar.

9. meth. 4.

Tempeſtas hæc, quæ etiam num viget frigida, & humida, initium habuit ab autumno præterito, perdurauit tota hyeme, & toto vere, vſque ad æſtatis initium, in quo nunc degimus, frigidior quidem, & humidior fuit autumnus, ſed multo humidior: Hyems humidior certe, non tamen eius frigora intempeſtiua fuere. Ver frigidius & humidius, ſed multo humidius, ſi temperiem quam hac in regione ſeruare ſolet ſpectes, ferè enim frigidiuſculum eſt. Nunc etiam æſtatis principio frigi-

dior

dior eſt aer quàm conueniat, ſed multo humidior, ob conti-nuas ferè pluuias.

Multi toto hoc tempore ab oriente perflarunt venti, non pauci a meridie, præſertim in veris extrema parte, ab occidente aliqui pauciſſimi a Septentrione, hique collaterales ſiniſtri, qui & ipſi pluuias inferre ſolent, ut antea diximus.

Imbres fuerunt multi, largi nimirum, & magni, largos uococum Galeno repentinos, & uehementes, licet mox ceſſent.

Magnos, qui & paulatim incipiunt, & paulatim increſcunt, ſed totum diem, & noctem perdurant, deinde ſequenti die uel altera, paulatim de eorum abundantia detrahunt, poſtea conſiſtunt.

Niues hyeme non multæ fuerunt, neque plures quàm Regio hęc habere ſolet, extrema tamen hyeme, quæ aſperior fuit, & veris principio, ad montes circũſtantes, plurimæ fuerunt.

Interim ſudum erat multum, intermixtæ enim fuerunt ſerenitates, ita ut interpluuium tempus ſerenum potius fuerit, quàm nubiloſum.

Col. lib. xi. de re ruſt. cap. 2.

Non fuerunt ſigna in Aſtris fieri ſolita, ut ex tabella Ptolomæi, & ex Oribaſio, & ex Columella obſeruaui.

Hactenus itaque anni tempora ſuam non ſeruarunt Conſtitutionem, quare ſi talia permanent, annum fore morboſum timere debemus, ſi prædictorum recordamur, licet talis nunc non uideatur, non enim morbos commúnes ſtatim apparere neceſſe eſt.

Autumnus namque humidior qui fuit, ſiccitatem præcedentis æſtatis emendare potuit, quæ fuit cauſa, ut illo tempore, neque popularis aliquis morbus uiguerit, neq; ſporades multi.

Hyeme non multum a proprio temperamento declinante, pauci etiam fuerunt morbi, licet nonnulli ad morbum attonitum proni, repente deceſſerint, ab eo capti.

Vere iam magis a naturali temperamento declinante, & in eo frigidiori, & humidiori intemperie perdurante, aliqui communes morbi inceperunt, qui ferè omnes a capitis diſtillatione originem traxerunt, repleto nimirũ capite a flatu Auſtralium, & poſtea, compreſſo cerebro, tum a frigiditate ambientis, tum a flatu borealium, tota etiam pars capitis exterior, & tota facies eriſypelatibus tẽtata fuit, oculi etiam lippitudinibus laborarunt,

rarunt, ſunt enim partes iſtæ, morbificæ cauſæ cæteris magis expoſitæ.

Eſſere etiam ſiue ſere, aut ſyre quas Arabes uocant, multos infeſtarunt, puſtulæ nimirum ex vaporibus craſſioribus ad cutem eleuatis, orientibus a ſanguine, bili, vel etiam flegmate ſalſo permixto, & in ea ab aeris frigore conſtipata detentis, ut inferius conſtabit.

Alij qui hoc tempore homines infeſtarunt morbi, ſporades potius appellandi ſunt, uel medij inter ſporades, & communes, ſiquidem ad eorum generationem vtraque cauſa concurrit, Communis ſcilicet, & propria.

Cap. II.

FVIT tempeſtas illa ei ſimilis, quam deſcripſit Hippoc. 1 Epid. 2 temp. 2. frigida nempe & humida in hoc tamen differunt, quoniam in ea, quæ nunc viget, orientales plurimi perflarunt, & alij uenti omnes; in illa Aquilonarij plurimi, & pluuioſi, viguit tempeſtas illa in Regione temperata, nam quas cõſtitutiones literarum monimentis, tradidit Hippocrates, omnes in regionibus temperatis extitere, noſtra autem, in Regione ad humidum & frigidum intemperata, quæ res non paruifacienda eſt, ſi & præuidere morbos venturos volumus, & ne fiant prouidere, quare hac conſideratione imprimis habita dicimus, niſi forte ſuperueniat contrarium aeris temperamentum, quod præſens emendet (quam rẽ eſſe maxime conſiderandam ſæpius admonuimus) imminere morbos illis ſimiles, quos dicta tempeſtate contigiſſe, refert Hippoc. qui omnes originem trahent, ex humoribus in corpore noſtro, ab ambiente frigido, & humido detentis.

Gal. 3. aph. 14. et 3. de hum. 12.

Frigidæ enim cauſæ, inquit Galenus humores prohibẽt a digeſtione, humiditas autem aeris, non modo non remouet a corpore quicquam, ſed adiicit, ob hæc ſuperfluitas in corporibus congregabitur, non omnibus eadem, ſed ea quam quis habuerit pro temperamenti ratione, & victus præcedentis, & aliorum huiuſmodi: humiditas etiam adiiciet aliquid humoris pituitoſi, inquit Galenus, adiiciet etiam ex aliis humoribus ali- *3. aph. 16.*

quid,

quid, quia diffundendo & diluendo eos magis redundare faciet, & pituitæ naturam quodammodo redolere.

Cap. III.

QVAPROPTER quibus in corporibus excrementum fuerit bilioſum, quales ſunt calidi, & ſicci, natura, uel arte, vt qui laborioſam agunt vitam, & curis, ac ſolicitudinibus plenam, & vigiliis multis defatigatam, hoc nō digeſtum affectus producet bilioſos, diuerſos quidem, prout talia excrementa, hæc vel illa pars affecta aut imbecillis a fortiori depulſa ſuſceperit, & prout putrida, vel imputrida fuerint, quorum feruor, ob pituitæ mixtionem compeſcetur.

Si igitur tale excremētum bilioſum in partibus carnoſis, aut etiam vt nonnullis viſum fuit circa hypochondria, putrefactū fuerit, vt ferè fit in ſimili tempeſtate, inquit Galenus plurimas tertianas intermittentes generabit. Si in venis, continuas, non tamen exquiſitas, quoniam eodem teſte calidus, & torridus ſtatus eas non generabit, ſed impedita tantum totius corporis tranſpiratio. *tempeſt. dicta Cō. 19*

Si vero tale excrementum ad uentrem inferiorem deſcenderit, alui profluuia efficiet, dyſenterias, teneſmos, lienterias.

Si ad ſupremum ventrem, vomitiones bilioſas, & alias huiuſmodi euacuationes ad quas, ſi diuturniores fuerint, & multum dolorificæ, tabes tandem, totiusve corporis conſumptio conſequetur.

Si ad renes, & veſicam, ſtranguriam parient.

Si in cerebro ſe firmauerit phrenitidem, ſi in membrana coſtas ſuccingente, pleuritidem.

Si in exteriori aliqua parte eryſipelata, vel puſtulas ob bilem erumpentes, vel alia huiuſmodi.

Si per ambitum totius effluat, ſudores multos.

Cap. IIII.

QVIBVS vero in corporibus pituitoſum excrementum congeſtum fuerit, vt in temperaturis frigidis, & humidis, atque in his, qui vitam otioſam degunt, & plurimum ſe ingurgitant, hi maxime omnium hoc tempore laborabunt. Cognata enim intemperie coarguentur, eoque magis quoniam frigidioribus humoribus in eorum corporibus exiſtentibus, alios præſens conſtitutio adiiciet, & plures quæ in aliis temperaturis, ſicuti enim in ſiccitatibus, humores bilioſi generãtur, ita in humidioribus pituitoſi. *3. aph. 16.*

Febres ergo pituitoſas expectare debent tales naturæ, intermittentes quotidianas, ſi extra uenas, continuas ſi intra venas putrefacti fuerint humores, ſi uero ad uentrẽ inferiorem fluxerint, uel etiam ſuperiorem, fluxiones uel uomitiones iam antea dictas, ex humore pituitoſo, qui ſi ſalſus fuerit moleſtiora inducet ſymptomata, ſi in articulos podagram, uel alios articulares morbos, ſi in aliquam exteriorem partem, œdemata, ſi ad uniuerſum corporis habitum, cachexiam: ſi per cutem expurgetur, ſudores multos. Si circa hepar obſtructiones, & refrigerationes, ad quæ tandem Hypoſarca, uel alia hydropis ſpecies. Si ad renes & ueſicam dyſuriam, iſchuriam, uel etiam ſtrãguriam, maxime ſi ſalſa fuerit pituita.

Vlterius autem tali aeris intemperie procedente, & cerebrum moleſtante, ſopores infeſtabunt, fatuitates, apoplexiæ, epilepſiæ, conuulſiones, tetani, paralyſes, paraplegiæ, tremores, & alia cerebri, & neruorum accidentia, plurimaque alia, quæ ad deſtillationes capitis frigidas ſequi ſolent, ad quas deſtillationes ſi membra ſpiritus tentauerint, & præcipue ſi ſalſæ fuerint, ulcerato tandem pulmone, tabem conſequi eſt veriſimile.

Cap. V.

AT eos,qui frigidiori, & ſicciori ſunt temperamento,uel alia ex cauſa humorem melancholicum congeſſerint, quales ſunt bilioſiores, uel etiam rubicundiores,quum eorum ætas declinaŭarit, & alij ſimiles, de quibus capite de melancholia dicemus, morbi ex Melancholia infeſtabunt, a quibus uel hæmorrhoides tẽpeſtiue fluentes eos liberare poterunt, vel etiam quartanæ ſi eos præripuerint,hi ergo inſanias expectabunt,demẽtias, hypochondriacas affectiones,& alias melancholias per ſe,vel per conſenſum affecto cerebro,manias etiam,ſi ſuperaſſatus humor iſte fuerit, & cerebrum petierit. Si uero putredinem extra uenas adeptus fuerit talis humor melancholicus, quartanas intermittentes, quæ etiam ab initio multos inuadent,licet in eas multi alij morbi terminabuntur,ſi vero intra venas continuas quartanas, generabit,multi lienoſi fient firmato in viſcere iſto humore,quod tandem aquæ intercutis cauſa eſſe poterit, hepate per conſenſum affecto.

At ſi forte ad uentrem inferiorem deſcenderit talis humor, fluxiones dictas & ipſe pariet, quod ſi ſuperaſſatione ortum traxerit, acerbiſſimas, & periculoſiſſimas dyſenterias: ſi uero ad ſuperiorem ventrem,nigras etiam vomitiones,quod non ſemel factum vidi in lienoſis, licet raro talis humor per ſuperiora purgari ſoleat.

4.aph.9. Quod ſi forte hic humor,in aliqua parte firmetur ſcirrhos, vel etiam cancros quando ob aduſtionem ortus ſit, ſi per uniuerſam cutem expurgetur,puſtulas pariet multas.

Cap. VI.

QVi vero ſanguinis abundantia laborauerint, plethoricos morbos incurrent:nam ſi in aliqua parte corporis firmetur ſanguinis copia,phlegmonas pariet,vel furunculos,vel etiam ſi feruidior ſanguis fuerit,carbunculos.

Quod ſi in venis maioribus efferueſcat tantum ſanguis, febrem ſynocham ſine putredine, ſi uero putre-

ſcat,

ſcat, ſynocham cum putredine pariet, quod ſi diutius collecta excrementa fuerint, quoniam ob nimiam moram, quam in cor- *1. epid. 2.*
pore habebit, maiorem conſequentur putredinem, & ideo pe- *temp. 1. c.*
iora, & deteriora fient, morbi ex multa corruptione orientur, *15. & tẽp.*
ex magnitudine autem putredinis prauitas conſtat humoris, *2. 7. & l.*
ideo non abſque ratione timendæ tunc eſſent febres illæ mali- *ep. 3 3. 27.*
gnæ, quæ ingentem ſequuntur putredinem, & cum papulis apparere ſolent, timeri etiam poſſunt morbilli, & variolæ, ſic tempeſtate illa Hippoc. papulæ excitabantur, quæ non erant excernendis morbis parens, non tamen illæ putredines expectãdæ ſunt, quas calida, & humida temporis conſtitutio ferre ſolet, vt tract. de peſte notauimus, ex dictis etiam intelligitur, quod ſi ſanguinis multitudo, ad ſedem, vel ad ventrem erupe- rit, fluxiones dictas, vel vomitiones dictas pariet.

Cap. VII.

ET licet pauci admodum ſimplices morbi, ut ante diximus orientur, hac conſtitutione perſeuerante, tamen multiplices, & compoſitos, hi maxime incurrent, qui ex natura ſua, vel ex accidenti, pluribus humoribus ſcatent, ſic qui laborando, & operando ſe ſe, ad laſſitudinem vſque affligunt, potent autem large, tum intempeſtiue exercitationes ſubeunt a cibo ſcilicet, aut ubi tardius concocti ſunt cibi, antequam in ſanguinem, nutrimentum ſit probè conuerſum. Et qui bilioſi ſunt temperamenti, ſi ſe otio, & crapulis dederint, proceſſu temporis bilioſos humores ratione temperamenti, aut ratione laborum, crudos uero, ob otium, & crapulam, aut intempeſtiuas exercitationes cõgerent, ex quibus tandem morbi illi grauiſſimi ſuſcitabuntur, in quibus vtriuſque humoris magna colligitur copia, quod ſileno contigit.

Hac itaque tempeſtate ſi humores bilioſi, & pituitoſi in ue- *1. ep. 3. 19*
nis putrefacti fuerint, febres illas naturam tertianæ referentes expectare debemus, ſed imprimis tritæophyes illas, quæ non ex ſucco vno ſed ex pluribus generantur, quorum calidior, inquit Galenus febrem acutam ſuccendit, ſtatimque diſcutitur, quæ dum corpus tenet, contingit frigidioribus corrumpi, &

putreſcere, itaque iterum febrem, accendi ex illa remiſſione, quod eſt ueluti requie, & imminutione febris, atque iſta febris euadit deterior priore, videlicet, quia vires, a prioribus moleſtijs defatigatas offendit, inquit Galenus, quod optime ego obſeruaui, ſicuti quum de febribus compoſitis agam, manifeſtum erit.

Poterit & dictis humores dicto modo putreſcentes, cauſonem nothum, & alias ſimiles febres nothas facere, continuas ſi intra venas, intermittentes, ſi extra putreſcant.

Quod ſi eorum vnus intra, alius extra venas putreſcat Hemitritæum parient.

Errantes etiam febres diuerſorum humorum ſoboles ſunt, inquit Galenus, ſi vero in aliqua parte ſe firmauerint dicti humores, compoſitos morbos aliquos producent etiam. Eryſipelas puta œdematoſum, aut œdema eryſipelatoſum.

Et quod dixi de humore bilioſo, & pituitoſo mixtis, dictum puta de aliorum etiam mixtione.

Cap. VIII.

DIVTVRNA aũt erunt hæc omnia, moleſta, conturbato, nulloq; ordine, atq; ſine iudicio plurima permanebunt, pernitioſę quibuſdã, quibuſdã non, erũtq; multæ recidiuę in morbis, & alia huiuſmodi, quæ ſolent ſequi, ad frigus, & copiam humorum, morbos tales excitan-

Temp. dicta. c. 32. tium, inquit Galenus, ac proinde, ob copiam crudorum humorum abſceſſus fient, qui parui ſi fuerint nihil conducent, ſi autem magni, vires nõ erunt pares, quod ſi quę violenta fuerint,

Com. 34. ſtatim uires opprimẽt, nec proderunt; ob coctionis enim difficultatem, & copiam humorum, nullum ab excretionibus conſequentur emolumentum. Fortaſſe autem multos ægros a periculo vindicabit excretio per vrinam facta: nam tempore Hippocratis, quibus ad ſtranguriam humores diuerterunt, & in hoc abſceſſus facti fuere, ſalutare fuit, expurgato nimirum corpore, per renes, & per veſicam, ſic etiam 3. Epid. 3. 61. purgationes per veſicam commodæ, bonum multis portendebant. Euacuatio enim hæc omnibus febribus continuis putridis cõ-

Com. 36.

moda

moda eſt,quum vrinæ,ex venis,& arteriis deſtillent, in quibus putreſcunt febrium humores, intermittentibus etiam prodeſt, quia licet eorum humores extra vaſa putreſcant, fouentur tamen a materia intra venas exiſtente. Commoda eſt etiam hæc euacuatio omnibus morbis veſicæ,renum, vreterum,gibbæ hepatis,& ſimilium:expurgatis ergo his partibus,& toto corpore per urinam,ſequetur maxima hominibus commoditas. Erunt autem obnoxia his morbis antea dictis, qui imminent nobis, ob hanc tempeſtatem, corpora, omnia quidem, magis tamen frigidiora,& humidiora,deinde humidiora,poſtea calidiora,et humidiora, deinceps frigidiora, poſthæc frigidiora & ſicciora, parumper ſicciora, omnium minime calida, & ſicca, iſtis enim per aliquod temporis ſpatium,ſalubris potius erit, intẽperiem eorum emendans. Si tamen a morbifica cauſa tandem uincantur,peſſime omnium ſe habebunt, ob cauſas a Galeno dictas, *2. aph. 34.* quod ſi ætatem ſpectes.

Pueros conuulſiones potiſſimum infeſtabunt, ob neruoſi generis imbecillitatem, inquit Galenus, & alij etiam morbi, qui ob humiditatem multã fiunt, ſenes qui nullam ſibi curam habent, quoniam multis excrementis abundant, deſtillationibus, & aliis morbis infeſtabuntur,minus tamen ſi ſe bene geſſerint, frigida,& ſicca quum ſit eorum natura,ſi ſexum ſpectes mulieres promptius quàm uiri dictis morbis capientur,humidiores, & frigidiores etiam quum ſint uiris, licet uiſus ſit Hipp. quandoque ſenſiſſe contrarium. *1. de Dieta nu. 30. 1. de morbis mulieb. nu. 2.*

Si uero artes reſpicis, minime cæteris paribus uitam laborioſam agentes, ſi præcipue tempeſtiuis utantur laboribus, e contra deſidioſi. Si fortunam, ſeruilem agentes uitam illis maxime capientur quoniam quouis tempore ambientis iniuriæ ſe exponunt,eoque magis lędentur,ſi ſe crapulæ dederint,nam ut antea notauimus,neque tunc illis labor proderit, potentiſſimum ſane auxilium aduerſus morbos huius tempeſtatis, ſi tempeſtiuum fuerit.

Quælibet etiam Regio, in qua diutius dominetur hæc tempeſtas dictorum morborum erit ferax,quia in omni, cutis conſtipatio poteſt fieri, talis autem potiſſimum erit frigida & humida,contraria minime, quæ tamen ſi ab intemperie dominante tandem uincatur,grauiores proferet morbos,quoniam a po-

tentiori cauſa originē habebūt,inquit Galenus. Nam teſte Hippoc.in morbis minus periclitantur quorū naturæ,aut ætati,aut habitui,aut tempori,ſiue regioni congruit morbus, quàm qui-
2.aph.34. bus nihil horum congruit,ut optime demonſtrat Galenus,& ſi plura quæris,uide Valeſ.ultimo controuer. ultimo.

Ex his concludere poſſumus, quod licet eadem mala nobis immineant, quæ ob ſimilem tempeſtatem infeſtarunt Thaſum tempore Hippoc. qui locus erat temperatus, tamen non adeo periculoſa erunt in noſtra Regione frigida & humida, tum ob rationes iam dictas, tum etiam quoniam noſtra corpora aeri frigidiori & humidiori magis ſunt aſſueta,quæ uero longo tēpore aſſueta ſunt inſuetis minus ſolēt moleſtare. Cuius contrariū de calida & ſicca,& de temperata etiam Regione dicendū. Adde,quod ut antea dixi ſi qualitates tantum ſpectes, tempeſtas illa Hipp. parum aut nihil ab hac differt, at in hoc differt, quia in illa aquilonarij multi pluuioſi, in hac orientales uenti plurimi perflarunt,orientales autem ſaluberrimos dixit Hipp.

Vtinam autem Æſtas,nunc proprium temperamentum adipiſcatur,perfleturque aer ſæpius ab Aquilonariis recta ſpirantibus,ut ſic præterita intemperies emendetur, quod etiam annis elapſis obſeruauimus,ſicuti antea notaui, quod ſperandum eſt ſanctam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam ſupplicationibus continuis,quas pro omnium ſalute effundit,conſequuturā.

Cap. IX.

NE tamen Ars medica humano generi munus ſuum denegare uideatur, poſtquàm iam docuimus, quæ ſint cauſæ huius conſtitutionis, & qui morbi immineant, in quacunque regione, & in quouis corporis temperamēto, ſi diutius uigeat talis tempeſtas, iam modo dicamus, qui ſit modus præſeruandi corpora a morbis imminentibus,ne materia in corpore congeſta, effectus ſuos producere ualeat.

Cap. 22. Initium autem ſit ab his,quæ antea diximus de mente Hipp. & Galeni,uix enim aberrare poterimus, ſi tantos uiros ſequemur,præcautionem,& curationem iſtorum morborum in duobus

bus conſiſtere dicebamus: primo præpotenti cauſæ aduerſando, & manifeſtis qualitatibus, & his, quæ à tota ſubſtantia ipſum oppugnant.

Secundò, corpus ita præparando, vt aduerſanti cauſæ reſiſtere poſſit. Quum autem aer hoc tempore frigiditate, & humiditate tantum nos lædat, nullo modo à tota ſubſtantia, rectificandus eſt calefacientibus, & exſiccantibus, id quod duplici via exequemur, vel locum mutando in vim alienam ab eo, in quo talis tempeſtas excitata eſt, vel eundem, in quo degimus calefaciendo, & exſiccando: quomodo autem, & quibus auxilijs vtrunque facere poſſis abunde inuenies tractatu de peſte.

Corpus autem præparabimus, vt aduerſanti cauſæ reſiſtat, ſi perſpirabile, & ab excrementis liberum erit, quod eodem loco abunde docuimus. Veruntamen hoc etiam in loco iterum admonitum lectorem volumus, in corporibus calidis, & ſiccis victus rationem tunc tantum modice eſſe in hac tēpeſtate mutandam, quando aer multum diuerterit à iuſta mediocritate temperamenti, & quod ſicuti in corporibus calidis, & ſiccis, victus vehementer calidus, & ſiccus multo minus eſt adhibendus quoniam, id ſua ſponte obtinēt, ita frigidiora, & humidiora corpora, maxime calefacienda, & exiccanda ſunt. idque in alijs temperamentis pro portione ſtatuendum eſſe à duabus autem extremis, ſacile eſt ad media deuenire.

Cap. X.

HÆc quidem ſufficere poſſent, nihilominus ne videar hoc in loco vniuerſalia tātum velle docere, omiſſa quæ pluribus dici poſſet, materia eorum, quæ aerem rectificent, ne ſtomachum ijs faciā, qui iam tractatum de peſte legerunt, attingamus alia nō naturalia, paucis.

Corporis multæ exercitationes proſunt plurimum, frigidioribus præſertim, & humidioribus: ſicuti enim quies, & otium humectant, ita exercitationes exſiccant corpora, inquit Galenus, & quæ per ſingulos dies in nobis coaceruantur excrementa expurgant. hoc autem hac tempeſtate maxime conducet, ſicut enim, in ætatibus, ac naturis, & temporibus, & regioni- *1. de hum. 3. aph. 15. 4 aph 2.*

bus

6.ep.5.21 bus calidioribus, non exigua pars ſubſtantiæ effluit è corpore, ita in frigidioribus exiguum eſt, quod inanitur, ut ergo quæ retenta ſunt euacuentur, exercitatione vtendum; promptitu-
6.ep.4.22 do namque ad labores, & vbi parcitas eſt, vera exercitatio ſanitatis: veriſſimum eſt etiã quod dixit Galenus neminem vnquam ab omnimoda deſidia fuiſſe adiutum: ſed tamen quum numeroſæ ſint hominum naturæ, non de his omnibus tamquã de vna ſola determinandum, quam ergo ſibi profuturam exiſtimauerit quilibet eligat, habita ratione ſexus, ætatis, virium, temperamenti, conſuetudinis affectus totius corporis, & partium etiam affectarum, & uitiorum, quibus afficiuntur homines, quæ omnia optime docuit Galenus 5. ſanit. tuendæ, prode-
6.ep.5.11 runt etiam nedum corporis, ſed animi etiam exercitationes, uis enim rationalis in quacunque re ab hominibus eſt exercenda, nam ſi animum cogitatione exerceamus robur illi comparabimus, quem etiam ad iracundiam excitare expedit in frigi-
In timæo. l.32. dioribus, & humidioribus, hac præſertim conſtitutione, teſte Galeno eodem loco. Vtramque exercitationem animi, & corporis commendauit Plato, ſi quis inquit in curando corpore, illam imitetur naturam, quam altricem uniuerſi uocauimus, ita ut nunquam torpere permittat, ſed moueat ſemper, iugiq; agitatione internis extremiſque motibus, ſecundum naturam ubique reſiſtat, & moderata quadam commotione, aberrantes paſſiones corporis, parteſque cognationis ratione ſeruata, uiciſſim in ordinem redigat, & exornet, ſecundum illum ſermonem ſuperiorem, quem de uniuerſo habuimus, nequaquam ſinet, inimicum inimico admotum, prælia in corpore morboſque ciere, ſed efficiet potius, ut amicum adhærens amico ſanitatem corporis tueatur: omnium uerò motuum optimus ille eſt, qui in ſe met, & ex ſe ipſo fit: nam & mentis, & totius ipſius motioni cognatiſſimus eſt: qui uerò ab alio fit, deterior. hæc ad uerbum transferre uolui, quoniam tantam uim, ni fallor habent, ut Aſinum etiam, ad labores promptum, efficere poſſint.

Cap.

Cap. XI.

ROBVR autem corpori, & animo non labore tantum paramus, ſed ſomno etiam, & cibo, & aliis huiuſmodi. 6. ep. 5. 1

Somno itaque quilibet vtatur, qui ſit ſatis ad coctionem, ſic namque in ſomnis viſcera exercentur, quæ alimentum conficient, & bonum reddent habitum conuenienti etiam cibo vtatur, qui ſi in nutrimẽtum pertrãſierit, reſtaurabit, quod in dies deperditur, vireſque priſtinas, conſeruabit, quare quilibet ſibi conuenientem eligat, habita ratione eorum omnium, quæ ſupra diximus. Edulis autem boni ſucci, optimum fuerit dum parantur addere aliquid eorum, quę calefaciebãt, exſiccentq; in frigidioribus, & humidioribus corporibus, carnibus itaque pulli, perdicis, faſiani, turdi, merulæ, columbi, uel paſſerculorum omnium, in nemoribus, & non in aquis, aquoſisve locis degẽtium & etiam carnibus lactantis vitulæ, vel hædi, cuniculi, vel etiam lepuſculi, caſtratique iunioris, & capreoli, vel ſimilibus optima ratione dum parantur quis miſcuerit, vel piperis, vel cinnamomi, vel gingiberis, vel gariophyllorum momentũ, aut quid mẽthę, roriſmarini, ſerpilli, hyſſopi, apij, petroſelini, vel ſimilium eaſq; omnes aſſas potiuſquam elixas parabit hoc tempore.

Ijſdem etiam emẽdabit piſces ſaxatiles, vel marinos, vel fluuiatiles, licet hos magis, vtetur etiam ouis ſorbilibus, vel tremulis momẽto cinnamomi aſperſis, plura elige tract. de peſte, inedia autem vtantur omnes nam ea exſiccat, licet ex accidenti. *7. aph. 17. et 4. aph. 2*

Vinum inquit Galenus, in frigidis, & humidis naturis ſcilicet, ſit modicum, & calidiore natura, quod aquam ducat, potẽs nempe fuluum & tenue, ſic enim etiam vrinam promouebit, in aliis naturis, plus minusve potens eligatur, his quippe omnibus corpus erit perſpirabile, & purum.

Tale etiam reddent quæcunque alia, quæ cutis aperiendo porros, fuliginoſa excrementa expurgant, neq; enim ſolę exercitationes, & frictiones ante cibum ad minus per horam factæ id præſtant, ſed etiam balnea ipſa, his corporibus admota, quæ excrementa fuliginoſa aceruant, ſunt autem ea, & bilioſa, & ea quæ prauis vtuntur edulijs, aut etiam ſæpius cruditatẽ patiuntur, nam digerunt balnea iſta licet ex accidenti. 3. de ſanit. *1. de diff. febr. 3. 6. ep. 5. 2. &*

tuen-

3. & 36. tuenda. ſed imbribus dominantibus expreſſe ea cōmendat. 3. & 6. ep. 6. de humoribus 14. imbribus inquit, dominantibus, quæ intus 2. & 10. collecta ſunt in corpore putreſcunt, niſi quis ea quæ quotidie meth. 4. & congeſta ſunt expurget exercitationibus, & balneis, & cum bal de Cauſ. nea dicimus inquit ipſe, ſi non apponimus aquarum ſponte na morb. 3. ſcentium, aut marinarum, aut ſulphurearum, aut aluminoſarū, ſemper has conſuetas intelligimus. Euacuant autem balnea 6. ep. 5. 36 ſolum ferè cutim, quæ autem ſunt, per carnes, & partes ſolidiores, ſuperfluitates haud ſufficienter, ex balneis euacuantur, 3. aph. 15. poteſt tamen quarta balnei pars, quę ſudores deterget, omnia excrementa euacuare. 10. meth. 11. præterea, ſi a balneo copioſe quis ſudauerit, corpus euacuabunt. 3. acut. 51.

Neque eſt, quod quis dicat, ideo ea non conuenire, quia ea refrigerare, & humectare ſæpius dixit Galenus, ut cap. de hectica dicam, & quoniam eorum moderata caliditas humectare 6. ep. 5. 36. poteſt. Nam ut 2. de ſanit. tuenda habetur, ſi iuſto calidiora & 6. ep. 6. fiant, calefacient, & non perinde humectabunt, & præterea in 1. dictis naturis apprime conueniunt potiſſimam cauſam morborum auferendo, quam cū Galeno diximus ſupra, eſſe cutis conſtipationem, poros itaque cutis aperiendo, fuliginoſa excrementa digerendo, & etiam modo ante dicto euacuando, conueniunt dictis temperaturis, maxime illis aſſuetis, & ob hæc imbribus dominantibus ea conferre dixit Galenus.

Frigidioribus vero naturis ea tantum utiliter adhibentur balnea, quę exſiccare, & calefacere poſſunt, qualia plurima ſunt naturalia in agro Lucenſi, Senenſi, Patauino, & aliis in locis, quæ ſi ad manus non ſint, arte parentur decoquendo & permiſcendo, quæ calefaciunt, & exſiccant cum aqua.

Fluxiles etiam reddere debemus, meatus alios omnes, qui ad ſuperuacuorum emiſſionem, ſunt proprij, Inteſtino, uen- 11. meth. triculo, & meſenterio, & concauis iocinoris, inteſtinum rectū. 19. Renibus, veſicæ, iocinoris gibbis, venæ cauæ, & arteriæ magnæ, omnibus, quæ in lumbis habentur, eum qui in vrinis eſt delegatus. Pulmonibus & pectori, ipſam aſperam arteriam, & fauces. Cerebro, & eius inuolueris, eum qui per palatū, & nares deſcendit, inquit Galenus adde ſi uis, & eum qui aures expurgat.

Libere etiam fluant menſes, & hæmorrhoides aſſuetæ, & fiſtulæ, & cauteria, ſolita aperta ſint.

Cap.

Cap. XII.

ET quoniam pauci ſunt qui dicta omnia peragant, uixque fieri poſſit, ut non multa congerantur excrementa, in tali temporis conſtitutione diutius perſeuerante, optimum fuerit, quo magis corpus perſpirabile, & ab excrementis liberum reddatur, obſtructiones aperire, humores peccantes purgare, & antidotis principalia membra munire, ac totum corpus exſiccare, & calefacere, ut tract. de peſte docuimus, ubi horum omnium materiam inuenies, quare hic a pluribus ſuperſedebo, nam ibi inuenies, & quę humores præparent, & uias fluxiles reddant, & ſingulos humores expurgent, & omnia membra muniant.

Sed quoniam nõ deſunt hoc noſtro ſeculo, qui purgationes penitus fugiendas pręd icent, eo quia Galenus frequentem purgationem damnarit, & Plato etiam in Timæo, hi ſciant eos etiã dicere purgationem, ualde indigentibus, & ex longis interuallis eſſe utilem, noſque etiam frequentem uſum medicamentorum fortium, quibus utebantur antiqui reprobare, ſed eorum quæ nunc habemus leuium laudare, quãdo humores, & copia, & qualitate moleſtant, nec ſolum debitum regimen in ſex rebus non naturalibus eos commode euacuare poteſt, neq; enim inquit Celſus, purgationes ſubmouendæ ſunt, nam corporum, temporumque ratio, poteſt ea facere neceſſaria, dum, & modo, & non niſi quum opus eſt adhibeantur. ſic Galenus pharmaca manus Deorum eſſe dicebat, iuuant enim inquit maxime, ſi his qui illis utitur, in rationali methodo fuerit exercitatus, & natura prudens. Si uero, non fuerint adepta utentem eis recte, nihil ſunt, inquit Gal. procuret itaque unuſquiſque, eum natura prudentem inuenire & in rationali methodo exercitatum, qui ſciat illis recte uti, quem ſi non inuenerit, uel artificis imperitiam, uel ſui ipſius negligentiam accuſet: at ſi inuenerit, iam ſe ſalutem inueniſſe arbitretur quam humanum ſuffragium afferre poteſt, melioreq; ab eo expectet, qui vera eſt ſalus omnium in ſe credentium. Cui ſit honor & gloria.

3. aph. 15.

lib. 1. c. 3.

FINIS.

Angelorum eſca nutriuit
Nos Dominus.
1636
In Eccleſ. S. Martini in foro
Placentiæ Capel. [illegible]